Universidad de Deusto
Biblioteca

COLLATI
Omnes
D. Pauli
Epistolas

Universidad de Deusto
Biblioteca

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante
Plúteo 3 4

9

Cr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

COLLATIO
IN OMNES DIVI PAVLI APOSTOLI EPISTOLAS,

Iuxta eruditorum ſententiam facta, per S. Theologię Doctorem Claudium Guilliaudum Belliocenſem, apud inſignem Eduorum eccleſiam Præpoſitum, & Canonicum eccleſiaſten.

Omnia iudicio Eccleſiæ ſubmiſſa ſunto.

VIRTVTE DVCE, COM TE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
M D. XLIIII.

SOCIETATIS JESU BIBLIOTHECA

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEB. GRYPHIVS LECTORI SAL.

ANNVS propè iam interceſſit, opt. Lector, ex quo primum huiuſce argumenti guſtum dedit Claudius Guilliaudus, interpres literarum ſacrarum peritiſsimus. Verùm ſimulatq; ſenſit, opus ipſum literarum candidatis etiam atq; etiã probari, nihil, mehercule, tanti fecit, quàm eos cumulatiore beneficio demereri. Itaq; nihil quicquã ueritus, ne noua hæc editio prioris imperfectionem oſtẽderet, aut ipſe aliquam ſuam notam detegeret, teſtatamq; æmulis, & naſutis hominibus, faceret: illud idem operis ſub incudem reuocauit, propeq; de integro recudit. Sed tamen hoc ita ſeduló factum eſt, ut qui editionem hanc cum ſuperiore cõtulerit, nunus multis & maximis uigilijs in literatorum gratiam cõcinnatum, longè mea quidem ſententia maius, melius ue cognoſcat. Nam ſi qui fortè loci prius fuerant, qui nonnullam ſalebrarum ſpeciem præ ſe ferre uiderẽtur, illi quidem ipſi ita ſunt reformati, ac ueluti recocti, iam ut uel mediocriter literis tincti ad eos reſtitare nequeant. Deinde ubi nõnihil forſitan deſideran potuiſſet, tanta facta eſt interpretationis acceſsio, uerendum potius ut ſit, ne literarum ſtudioſi copiam pertæſi illud Horatij, Ohe iam ſatis eſt, clament: quàm ut ipſi aliquam deſiderent acceſsionem. Poſtremò ut operi ſimul non parum ſplendoris accederet, & ex eo uel minimo negotio plus fructus perciperetur, effectum [illegible] ut index pleniſsimus, & accuratè pro uerborum ſententiarumq; congruentia, diſtincto literarum ordine digederetur. Hoc ideo Lector te admonitũ uolui, cùm fortè mirum uideretur, quòd in hac editione rem emulatus non ſim, tum ne ipſe quin autor pro hac noua laboris parte, debita quoque merceds, id eſt, laudis portione fraudarer. Vale.

Lugduni, Calend. Maijs.

REVERENDO IN CHRISTO PARTI DOMINO D. IACOBO HVRALTO EPISCOPO EDVENSI, CLAVDIVS GVILLIAVDVS S.



PAVLO illi Triſmegiſto, ex conſcia ſpiritus Chriſti confidentia exclamanti, An experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus? protinus ego ex tantæ diuinitatis admiratione, idem quod Chriſto Petrus, reclamo, Verba uitæ æternæ habes. Illius itaque admirabilis ſcriptura efficit, ut ab Apoſtolorũ temporibus, qui myſticis omnibus Pauli oraculis digna reliquerit commentaria, putem fuiſſe neminem. Doctrinis etenim, ac gratij omnibus abſolutum hæc flagitant interpretem: ob id maximè, quòd quemadmodum in tanto Apoſtolo omnes gratiarum uirtutes ſplenduerunt, ita fortaſſe in nullum alium unum uniuerſa Deus ſua effudiſſe chariſmata uidetur. Quin has dotes ita diſpertitur, ut alius alij propria ſibi gratia præſtet, & uerius in diuerſos largitur, quàm in unum profundat Dei prouidentia. Nec temerè iactatum uulgò ſit prouerbium, ἑνὸς ἀπαντᾶν μόνος. Porrò cùm hæc ſpiritalibus tractandis neceſſaria eſſe, Pauli uerò hominis, ac pluſquam hominis ſcripta, tam eſſe diuina, & ex arcano ſapientiæ fonte manare intelligam: ego infirmitatis meæ mihi conſcius, non ſic inſanij, ut

tam arduum, tamq; mysticum opus commentarijs illustrandum susceperim. Quin hactenus doctorũ interpretum lectione contentus, tum cùm essem Sorbonæ, ubi annos tres enarrandis his ipsis Pauli epistolis impendi, has in Paulum notulas congessi: tum maximè exercitatus quotidiana propè meditatione, cum illius florentissimi Sodalitij Sorbonici doctissimis præceptoribus, assidua item, publicaq; prælectione, quã tuo iussu, tuaq; autoritate annos iam septem in ecclesia tua ex professo sustineo, ex quo me à florenti illo Sorbonico sodalitio in celeberrimã tuam ecclesiam, ac domum asciuisti: Vbi tantis, tamq; diuitibus me donasti muneribus, & honoribus ornasti, quantis theologorum nemo ab episcopis nostræ memorię affici solet. In hac itaq; meditatione, diligenter perspectis omnium scriptis, facilè intellexi, alios quidem magis familiarem in explicandis harum epistolarum locis rationem secutos: alios ab illis aut neglecta aut parum animaduersa clarius enarrasse: alios aliorum opera prolixa in compendium perstringere conatos, quemadmodum Theophylactus fusiora Chrysostomi monumenta mirabili breuitate concluſit: Quosdam rursus breuibus scholijs undeunde collectis contentos fuisse. Præterea nonnullos homilijs, mysticisq; sensibus interpretatos: aliquos uerò omnem ingeniorũ suorũ uim in locis aliquot tractandis effudisse: alios denicq; integrũ sibi opus assumpsisse commentarijs illustrandum. Ego autẽ omnium ratione habita, maximè ingenij mei infirmitate perpensa, egregiũ tuum consilium mihi proposui sequendum: quo scilicet mihi persuasisti, ut quicquid collegissem, tum ex multiplici lectione optimorum, selectissimorumq; doctorum, atque ex professionis meæ diligẽtia: tum ex collatis inuicem symbolis meis, qualia in me-

dium proferre moris est ei, qui Sorbonæ prior (ut dicitur) solẽnium tempore disputationũ, concinnarem ordine, unoq; libro cõcluderem. Ad hoc ut quod singuli non tradunt, uniuersorum congesta farrago sufficere possit. Hoc igitur tuo iussu perfeci: nec tamen citra ingentem laborem. Non sanè quòd solidam, ac propriam huius laboris laudem mihi tribuam, ipsumq; opus asseram (nihil enim alienius ab ingenio moribusq; meis, quàm ad exẽplum Aesopicæ corniculæ alienis me uenditare plumis) interim enim ac plerunq; (fateor) ea congessi, quæ prudẽter differi ab eruditissimis audierã Theologis, & quæ aliquando diuino munere, inspirante Dei gratia, ex meipso sum commentus: tum ea, quæ consequi potui priuato studio, legendo pariter, ac concionando primùm Lutetiæ Parrhisiorum, mox etiam hic Eduæ, Lugduni: denicq; Eleutheropoli Bellijocensi (quæ mihi dulcis est patria) oues mihi creditas, euangelico pastu saginans, ut pastorem sui gregis sedulã curam habere par est, maximè Quadragesimæ, ac alijs anni tẽporibus. Adhæc ex quibusdam alijs scriptoribus, ut aurum de terra & mineralibus elicui, atq; de medijs spinis odoratas excerpsi rosas. Et quoniam locos illos, alioqui insignes, non indignos iudicaui, illinc eosdem exemi, ac repurgaui, interim nihil mutatis uerbis illos transferens, ut & mihi, & lectoribus satisfieret. Bona tamen pars ex sanctis doctoribus sumpta est, in quorum lectione frequenter uersor, eosq; inter se cõparaui, ut quod familiarissimæ interpretationi conueniens esse iudicarem, in hoc opus transferrem. Ex alijs item tanquã subsidiaria opera adiutus sumpsi nonnulla, prætermissis tamen autorum nominibus: quòd utiq; nõ satis meminissem ex quo fonte illa hausissem. Itaque hac obtestatione nunc omnes omniũ querelas deprecor, qui

queri iure posse uideantur, quòd ipsis plagium fecerim. Proinde quicquid est, id omne ad publicarū instructionē uiarum, ac literarum & literatorū usum refero. Interim hoc obtestans, ut qui sua agnoscēt, ita ex suis monumētis desumpta existiment, ut publicæ utilitati sese lætentur profuisse, uiamq; strauisse omnibus qui ab ignorātiæ caligine, ad scientiæ lumen transgrediuntur, ac profectum aliquem ex Pauli scriptis quærunt. Denicq; totius huius operis bona pars (neq; enim ueritas seipsam dissimulari patitur) nō tam mea, aut alius cuiusquam, quàm tua est. Ab annis etenim plus minus septē, quos in officio apud te fui, præterijt ne uel horula, qua non aliquid, quum libitum esset (libuit uerò semper) de scripturis sanctis sis locutus? maximè in prælectionis dimissione, cui assiduè fratres mei canonici adfuisse non sunt grauati: quos alioqui, nisi modestissimi essent, audire me, & ab illis discere æquius erat. Non ne tunc tua dignitas res magnas mihi loquebatur, & abstrusissima quæq; Pauli, aliarumq; scripturarum inuolucra detegebat? Quæ sanè non surda aure præterita mihi excidebant. Quin fideli recondita memoria, pòst ubi me in ædes contuleram, (quibus, ut de cæteris taceam, me tua liberalitate donasti) in hæc commentaria regerebam, sic ut tua facilè agnoscas. Fœtus nanque suos agnoscere naturale est. Ecquid uerò aliud apud tuam dignitatem faxim, quàm omne eruditionis genus inde colligam? & quod Solon dicere est solitus, assiduè discens plurima, fio senex. Apud te (inquam) qui (si quis alius Antistes) excellenti doctrina homines & habeas & foueas, atque ut ingenuè fatear, tu præter Episcopos alios doctissimo satellitio nūquam non sis stipatus. Testes sunt comites tui in Ludouici duodecimi Galliarū regis obeunda apud Florēti legatione; è quibus etiānum

exant

extant, tui sanguinis, & nominis nōnulli tum linguarum uarietate, tum multiplici eruditione præstantes. Ad hæc literarum parentes, Italiæ literatissimi homines, tunc te frequentes uisebant, ac salutabant. Et hoc quidem compertum habeo ex crebris illorum ad te epistolis. Galliarum uerò Budæus & Brixius in re literaria principes, te suis ornauere, & consuluere literis. Cæteros mitto, quos recensere uideretur otiosum: & in ijs præcipuè Theologos tuis sumptibus in sacris studijs sustentatos, & ad gloriam euectos. At quoniam in more institutoq; præclaro maiorum nostrorum positum est, ijs qui autores enarare instituerunt, suos dicare labores alicui primi nominis maximo uiro, qualem te esse nemo non intelligit, idem mihi faciendum censui, uehementer rogans, ut hanc meā opellam, uiris decem meæ professionis doctissimis, iudicio & doctrina clarissimis cōmunicatam, & ab eisdem, spectante Theologorum senatu, probatam, bono excipias animo, qualisqualis est: quam tamē ijs profuturam spero, qui ad arcanam Pauli scientiam contendunt. Hoc si fiet, & mihi, & ecclesiæ tuæ honestissimo sodalitio, eximijs doctrina ac pietate uiris, ut in Theologia, & in Pontificijs decretis, & uarijs linguis ornatissimo satisfeciſſe uidebor, quos utique nominatim recenserem libens, nisi ne forem molestus lectori, reformidarē. Hoc tamen dissimulare non possum, quòd inter magna & innumerabilia tuæ benignitatis munera hoc præcipuum duxero, si hos commentariolos sereniore uultu susceperis: atq; illos in me (quo te iure optimo prosequor) monumentum & pignus amoris apud dignitatem tuam reposueris. Nō quidem, ut quæ in his comprehenduntur euoluendo discas: (qui uerè Encyclopædiam absoluisti) sed ut frequentiore huius libelli attrectatione, atque aspectu crebrior

mei te

Universidad de Deusto
Biblioteca

mei te ſubeat memoria, qui tibi clientulus ſum deditiſsimus, tuæq; dignitatis obſeruantiſsimus. Quòd ſi hæc tibi, uni noſtræ fortunæ, uitæ, & nominis principi & autori gratiſsima ſenſero, pergam, Deo aſpirante, in reliquos noui teſtamenti libros. Atque tuorum in me beneficiorum memoriam æterna beneuolentia colam: non ſolùm dum uiuam, ſed etiam cùm mortuo monimenta tuæ in me beneuolentiæ permanebunt.

Vale.

*

CLAVDIO GVILLIAVDO THEOLOgiæ antiſtiti, ac Villafrancano Curioni, Philippi Crozetij, uectigalium Bellijoci Quæſtoris Regij, Tetraſtichon.

Quæq; canunt ueterum diuina poëmata uatum,
Quicquid Apoſtolici fulget ab arce chori,
Bis ſeptena ſacri depromit epiſtola Pauli:
Cuius inacceſſum culmen adire facis.

EIVSDEM DISTICHON AD LECTOREM.

Hic tibi, non Cumis, ueracis Apollinis ora,
Ora Palæſtini nunc reſerata patent.

NICOLAI ROILLETI BELNENSIS DE CLAVDII Guilliaudi, Doctoris Theologi, præceptoris ſui, in Paulum commentarijs Carmen.

O Lector, Beniamin ille adoleſcentulus Pſal. 67.
In mentis exceſſu, ille raptus tertium
Aduſque cœlum Paulus, & myſteria
Quædam arcana edoctus, homini quæ uix loqui 2. Corith. 12.
Liceat, nunc illa detegit (ſublimibus
Illis è cœlis tibi tam facilis aduolans)
Loca illa difficilia: quidam, ut cæteras 2. Petri 3. cap.
Scripturas, Scioli quæ deprauant perperam:
Cunctis tam facilè, tam dilucidè explicans,
Errare ut nemo, niſi uolens, poſſit. Sacris
Theſauris ergo fruere ſacri Apoſtoli:
Theſauris Lector illis, gratis quos habes:
Simul atq; immenſas Claudio agito gratias
Guillaudo, cuius id debes laboribus.

EIVSDEM AD CHRIſtianæ Theologiæ ſtudium exhortatio.

Somnia Parnaſi pleno deprædicet ore,
Quem nox una tibi fecit Homere parem:
Caſtalijs alius totum ſe proluat undis,
Et redeat uates ex Helicone nouus.
Frigida ſunt iſtis quæ quis de fontibus haurit,
Miſta'que terrenæ plurima fæcis habent:
Oblectant tantùm fallaci ſuauia guſtu,
Sed nil quod mentem roboret, intus habent.
Aureus hic tibi fons, cœleſti nobilis ortu,
Atque aluco nunquam deficiente fluens.
Hic tibi manantem Guillaudus nectare multo,
Ex ſaluatoris fontibus haurit aquam. Eſaiæ 12. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex illis qui potat aquis, rursum sitit: ast hîc
Esse nec esuries, nec sitis ulla potest. Ioannis 4
Hunc quisquis bibit, ex huius mox affluit aluo
In uitam æternam fons salientis aquæ.
Hoc in fonte bibens, uiso Samaritis Iesu, Ibidem.
Ex scorto immundo reddita sponsa Dei est.
Hîc etiam (bene si quæras) occurret Iesus:
Non alio magis est obuius ille loco.
Terrenæ hîc nil facis habes, uis ignea quicquid
Immundum est, quouis purius igne coquit.
Hoc igni flagrans Abisac Dauidica, corpus 3. Reg. 1.
Calfacit amplexu sola senile suo.
Hoc igni flagrans, mox absorbeberis, imis
E terris ipsum raptus aduque Deum.
Has uires frustra à Musis, Phœboq; requires:
Sola sibi proprias quas Sunamitis habet. Ibidem.
In studijs alijs ubi totos trieris annos,
Facundum poterunt, non facere illa pium.
Fons hic, ut est sacræ & cœlestis originis, ex hoc
Sic & cœlestem, qui bibit esse facit.
Illis Pegaseum fontem, atque Helicona relinque,
Queis pura est potior turbidus amnis aqua.
Tu saluatoris bibito de fontibus, illas
Quas tibi tam suaues Claudius haurit aquas. Esaiæ 12. cap.

D. PAVLI AD ROMANOS EPISTOLA.

INTER omnes Epistolas beati Pauli prima habetur, quam scripsit ad Romanos: eaque tam Græcis, quàm Latinis, primo loco collocata est: non quòd tempore præcesserit, sed quòd dignitate, & pondere argumenti reliquis præstet.

STATVS EPISTOLAE AD ROMANOS.

Fide in Christum, non lege (quæ morte Christi antiquata est) iustificamur. Paulus primò Fidem docet per undecim capita: duodecimo Charitatem, & fructus spiritus tractat: tertiodecimo, & reliquis, pro suscipiendis infirmis laborat.

LOCI INSIGNES HVIVS EPISTOLAE.

1 Iudæos, & Gentiles omnes sub peccato esse, & gloria Dei indigere: eosdemq; iustificari fide in Iesum Christum, unicum saluatorem, citra legem: exemplo Abrahæ, patris credentium, ante legem iustificati, docet Paulus. Cap. I. II. III. IIII.

2 Fidem, qua pacem apud Deum habemus, explicat certam esse persuasionem de Dei in nos bonitate per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nitentem domino Iesu Christo, qui nos sua morte redemit. Eoq; stamus, & gloriamur in spe consummatæ cõmunionis diuinitatis. Atque his occupat aduersariorum illationem. Cap. V. VI.

3 Vis, & energia legis: Spiritus, & caro: Lex membrorum: Lex mentis: Libertas, & Seruitus. Cap. VII. VIII.

4 Electio tum Iudæorum, tum Gentium gratuita docetur, Occupat quę de Iudæis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæis obiiciebantur de promissionibus ipsis peculiariter factis,& huiusmodi. Cap. IX. X. XI.
5 Vocatio Gentium,Iudæis abiectis. Cap. IX. XI.
6 Singuli diuersa dona accipientes, exhibeamus nos hostiam Deo placentem,ut nos membra,unum simus cum capite Christo. Cap. XII.
7 Magistratibus parendum: Quid publica potestas: Quæ uis dilectionis proximi. Cap. XIII.
8 Morum paræneses. XII. XIII. XV. XVI.
9 Christus pro nobis interpellat,est propitiator. III. VIII.
10 Baptismus,Resurrectio,Nouitas uitę,Homo uetus,& nouus. VI. VII.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

Euangelium est uirtus Dei, in salutem. CAP. I.

Apostolus,] uel ad munus apostolicum,

PAVLVS seruus IESV Christi,uocatus apostolus, segregatus in Euangelium Dei, (quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis) de filio suo, (qui factus est ei ex semine Dauid secundū carnem, qui prædestinatus est filius Dei in uirtute,secundū spiritū sanctificationis,ex resurrectione mortuorū IESV Christi domini nostri, per quē accepimus gratiā & apostolatum, ad obediendū fidei in omnibus gētibus pro nomine eius, in quibus estis & uos uocati IESV Christi) omnibus qui sunt Romę dilectis Dei,uocatis sanctis,gratia uobis & pax à Deo patre, & domino nostro IESV Christo.

Euangelium.

Christus.

Prædestinatus est] declaratus fuit,demonstratus fuit

Virtute]potentia,& infra. Mortuorum]à mortuis

Paulus missus ut doceret fidē in Christum.

Vocati] nomē est non participium. & infra.

Vocati Sancti.

PAulus. *More Hebraico dictus est Saulus:Paulus uerò uel ad morem Græcanicum,uel Romanum,quorum erat ciuis. Pauli nomen frequentius in Epistolis ideo fortè usurpauit,quòd tum apud ecclesias,quibus scribebat, tū in Romano Imperio magis erat celebre,usitatum & gratiosum:Atq; curandum illi erat,ut à suspicione superuacua & odio fugeret,quo tunc Iudaicum nomen laborabat apud Romanos, & prouinciales,atq; à rabie suorum inflammanda abstineret.*

Paulus. Saulus.

Seruus Iesu. *Seruum sese modestiæ gratia dicit: uel quòd ijs,qui adhuc seruili spiritu erant,sese accommodans,seruum præstaret:ut Iudæum Iudæis,infirmum infirmis.Seruire enim suos uoluit,non dominari. Matth.19.& Lucæ 22. Beatus Chrysostomus in hoc nomine considerandum docet, quàm eximius seruus domini Paulus fuerit, modis scilicet seruitutis Dei omnibus,creatione,opere,fide,uita.*

Seruus.

Vocatus. *Iuxta morem Hebraicum est locutus, quibus Vocari, pro Esse, ponitur.Teste Hisichio Vocatus dicitur Nobilis Vocationis apostolus, aut uocatione apostolus. Nomen est absolutum Vocatus, non participium: habet enim & id emphasim, quòd nomine, non participio usus est. In eo enim est significatio non transeuntis aut temporariæ,sed fixæ atque constantis uocationis. Sic Isaiæ 48. de Israële dicit Dominus:*

Vocatus.

Universidad de Deusto Biblioteca

2

nus: Audi me Iacob & Israël quem ego uoco. Vel ut habet alia translatio, Auscultà mihi Iacob, & Israël uocate mi. Et sicut Dei uoluntate fuit Israël illi populus & peculium: ita erat de Paulo in eo, ut esset Christi apostolus. Hoc epitheto ut frequenter alibi, ita ter in hac salutatione utitur. Totus enim in eo est, ut omnia diuinæ beneuolẽtiæ, atq; potestati adscribat. Qui enim uocat, is suo arbitratu & dignatione agit. Tum quos uerbo sibi quis sistit, & ad quælibet applicat, in eos necesse est habeat potestatẽ. hinc dicit Isaias 41. Dominum uocare nationes ab initio: hoc est, uerbo ex nihilo homines condere. Dixit, Fiat lux, & facta est lux. Ita & cæteras res produxit uerbo.

Exod. 19.a

Psal. 148. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Psal. 148.

Segregatus. Ex multis euocatus & separatus: id est, certò designatus, & cum iudicio delectus. Est Paulus segregatus, id est delectus in hoc, ut annuntiet Euangelium Dei. Galat. 1. Actorum 13.

In Euangelium Dei. Habet hoc mirificam uim, Paulo & gratiam & pondus autoritatis augendi. Euangelij enim nomine significat publicam diuinæ beneuolentiæ & salutis adnuntiationem toti orbi inuulgandam. Cumq; addit, DEI, maiestatem, & diuinitatem huius prædicationis amplius expreßit, ut quod sicut à Deo donatum est, ita Deum nobis non tam prædicat, quàm exhibet in Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre unum est. Vnde id alibi uocat Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

Euangelium.

Quod antè promiserat. Ab hoc uerbo usq;, Et uos uocati Iesu Christi: parenthesis est, id est interpositio, in quam sese apostoli animus extulit flagranti admiratione Euangelij incitatus: sed sic tamen, ut uim cognoscas spiritus sancti. Hæc parẽthesis definitio est Euangelij, quæ hunc in modum explicari potest: Euangelium est diuina illa publica & saluifica de Domino nostro Iesu Christo filio Dei prædicatio in omnes gentes declaranda: quam Deus pridẽ per sanctos prophetas suos, ut sacræ testantur literæ, promisit: qua prædicatione exponitur, hunc Dominum nostrũ natum Deo secundum carnem ex semine Dauidis: declaratum uerò, atque comprobatum esse Dei filium ab ea uirtute quæ per spiritum illum omnis sanctitatis autorẽ in electis, paßim in orbe extitit: ex eo quòd idem Dominus noster, satisfacto pro peccatis nostris, à mortuis resurrexit, regnumq; suum uictor peccati & mortis iniuit: quam quidem prædicationem nos, quibus hoc beneficium munusq; per eundem Dominum nostrũ contigit, nũc postquam ingreßus est gloriam suam, exequimur, & administramus: in hoc, ut gentes uniuersas, fidem dante ijs, quæ de nomine eius testamur, eidem sese totos addicant: id quod consequũtur, quicunq; in hoc diuinitus uocati sunt, ut sint Domini nostri Iesu Christi, ei à patre donati. In hac definitione exponitur quicquid in natura est Euangelij, undeq; eius cognitio pendet. Explicatur enim, à quo illud sit, de quo, & quale, per quem ad nos ueniat, quãdo & per quos administretur, ad quos, & propter quid. Cum dicit, Quod antè promiserat: commendat Euangelium ab antiquitate, depellit inuidiam nouitatis, rem maximi momenti significans. Quæ enim diu ante quàm exhibeantur promitti solent, ea habẽtur singularis pretij, utpote digna longa & ardẽti expectatione.

Definitio Euãgelij.

Qui factus est ei. Temporaria natiuitate secundum carnem de matre patri factus est homo, ex quo erat ab æterno sine matre genitus Deus. Addit,

Secundum carnem: ut intelligamus ipsum habere aliquid carne superius: nempe quod subijcit,

Qui prædestinatus est. Id est, Iesus Christus declaratus ac demõstratus est filius Dei: certißimisq; argumẽtis orbi exhibitis: nẽpe potẽtia, spiritu, & resurrectione.

Prędestinatus.

In uir

3

In uirtute. Id est, potentia, & ui, qua miraculorum uirtutes operatus est. dicebat enim, Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. In hanc sententiam Petrum, Lucas, Actorum secundo, scribit dixisse, Viri Israëlitæ audite uerba hæc, Iesum Nazarenũ uirum approbatum à Deo in uobis, uirtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit Deus per illum, in medio uestri sicut scitis. Aliter. Intelligi potest uirtus illa, qua Iesus Christus demonstratus est esse Dei filius, ea uis qua afflati boniines, Christo cœperunt credere, attracti à patre, & per ipsum sanctificatos sese cognouerunt.

Virtus.

Ioan. 10. c.

Secundum spiritum. Hebraismus est, Id est, Spiritum sanctum & sanctificatorem, sanctimoniæ autorem, qui Christo ascendente, & ad dexteram patris sedente amplius effusus est in corda credentium.

Spiritus sanctificationis.

Ex resurrectione. Potest ad tempus referri, cùm dicitur, Ex resurrectione. Post resurrectionem enim Dominus dedit spiritum sanctum apostolis dicens, Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis in cœlis. Hoc quid aliud erat, quàm Do uobis facultatem sanctificandi homines: quicunq; habuerint fidem Euangelio? Aut potest designare causam nostræ iustificationis, quæ est nostra resurrectio, ut infrà dicetur 4. cap. Ipse enim resurrexit propter nostram iustificationem. Placet quibusdam dicere, Ex resurrectione mortuorum: Id est, ex eo quòd sua uirtute suscitat mortuos, sicut suapte uirtute surrexit à mortuis. Obserua phrasim scripturæ, quam ubique Paulus sequitur: sic loqui solet, ut per resurrectionem mortuorum, nihil quàm resurrectionem à mortuis intelligat. Sed cùm hanc Apostolus dixit, omnem eorum, qui Christi sunt, resurrectionem simul dixit. Ex eo enim nos resurgemus, quia ipse resurrexit. 1. ad Corinth. 15.

Ioan. 20. Quorum remiseriis, quid significet.

Nostra resurrectio.

Resurrectionis Christi uirtus.

Per quem accepimus. Videtur Paulus hoc loco Metonymia usus: Subijciens Apostolatum seu munus apostolicum, explicasse uidetur, quam hic accepisse per Dominum gratiam dixit. Solet accipi Gratiam in sacris pro facultate gerendi aliquid ad profectum ecclesiæ & ad gloriam Dei. Cùm huius facultatem Dominus nobis concedit, maximo & summo beneficio nos ornat. Hinc dicit Ephes. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Et subijcit uaria illa ecclesiæ beneficia & munia Apostolorum, Prophetarum & aliorum. De hac Gratia meminit Ephesiorum 3. capite, Cuius Euangelij factus ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secũdum operationem uirtutis eius. Mihi enim omnium sanctorũ minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi. Quomodo ergo hoc loco Gratiam accipiat Paulus liquet. Nam ipse interpretationem huius uocis subijcit, dicens: Et apostolatum: id est, apostolici muneris functionem. Si mauis dicere: Accepi gratiam, ut essem Apostolus: idem erit. Id enim totum est diuinæ beneficentiæ. Origenes Gratiam refert ad patientiam laborum: Apostolatum ad prædicationis autoritatem. quanquam ea subijcit, unde uideatur Gratiam hic accepisse etiam pro illa spiritus efficacia, qua gentes apostolis prædicantibus in fidem obedierunt.

Gratia.

Apostolatus.

Origenes.

Ad obediendum fidei. Augustinus Obedientiam hanc, ipsam fidem in Christum intelligit: sic & Origenes. Videtur & pro ea obedientia capi, qua se homines ex fide Christo Domino in omnibus permittunt, & sunt dicto audientes. Hunc in modum uidetur Apostolus de obedientia loquutus secundæ ad Corinthios secundo: Ideo enim & scripsi uobis, ut cognoscam experimentum uestrum, an in omnibus obedientes sitis. 2. ad Corinthios 10. In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam cùm impleta fuerit uestra obedientia. Obedire interdum credere est: sic usus est Paulus ad Roma-

Obedientia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos 10. Sed non omnes obediunt Euangelio. Obedientiam docens, prohibet uerborum contentiones, & quæstiunculas, ut suo apostolatu fungens, ad fidei obeditionem, gentes omnes adducat.

In omnibus gentibus. Tempus aduenerat, ut his quoque, qui longè fuerant, Deus se communicaret, ut se gentium quoque Deum declararet, ut Euangelium salutis omni creaturæ adnuntiaretur. Iam ut Petrus ad Iudæos præcipuè, ita Paulus ad gentes fuerat peculiariter missus. In omnibus gentibus, perinde est, atque quibuslibet: ita ut infrà ait, Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Cùm uerò subiecit, In quibus & uos estis: expressit Romanos quoq; inter eas gentes esse, quibus ipsum Dnminus Apostolum constituisset, unde & sæpe ad eos uenire proposuisset: sed usque ad præfinitum tempus, & à Deo ordinatum, distulit.

Pro nomine. **Pro nomine eius.** Beato Ambrosio idem est quod uice Domini, conueniréque credit cum illo, Pro Christo legatione fungimur. 2. Corinth. 5. cap. Aut accipito in hunc sensum, Apostolatus meus ad aliud non est, quàm nomen Christi prædicare, & celebrare. Aliter, Pro nomine, id est, de nomine, uel super nomine fidei, quæ est, ut credatur in Iesum.

In quibus: Id est, inter quas gentes, quibus datus sum minister, comprehendimini. Vocatiq; estis, Iesu Christi: id est, per uocationem estis Christiani, & Christi participes.

Pauli ardens affectus. **Omnibus qui sunt Romæ.** Salutatio est affectibus ardens: ut sunt Apostoli huius omnia. Cùm ait, Omnibus: ostendit quàm latè sua in Romanos charitas patebat. Nec enim indigenis tantùm, & ciuibus, sed quicunq; tum Romæ agebant, etiam peregrinis, quorum ingens illhic semper turba erat, studere se uoluit testari.

Dilectus. **Dilectis Dei.** Amicis Dei. Dilectus hoc loco nomen est, non participium: sicut & Vocatus infrà, proximo loco. Aduerte: Quæ Dominus hominibus, uel mala uel bona, opulentè & copiosè immittit, insigniteq; in eis apparere facit, ab his solet scriptura dicere, eis indi diuinitus nomina. hinc cùm promitteret Dominus redemptorẽ Christũ, in quo sunt omnia bona, & quidem apertissimè, subiecit Isaiæ 62. Ecce saluator tuus uenit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo: & uocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino. Et ad Hierusalem: Tu uocaberis quæsita ciuitas, & non derelicta. Hoc modo Paulus intelligi uoluit, Romanos à Deo amari tam eximiè, idq; Deum eiusmodi suis beneficijs declarare, ut mererentur uocari dilecti Dei.

Vnde nomina diuinitùs indita.

Gratia. Pax. **Gratia uobis & pax.** Beatus Ambrosius in nomine GRATIAE, remissionem peccatorum: PACIS, reconciliationem intelligit. Et adiectum ab Apostolo, Et Iesu Christo, ut doceret sine Christo nullam esse pacem & spem. Patrem exprimi propter originem, quia ab ipso sunt omnia: Christum, quia eius sanguine redempti, filij Dei sumus. Spiritum sanctum intelligi uult in donis, quæ nomine Gratiæ & Pacis comprehenduntur. Coniungit Deum patrem & Dominum Iesum Christum primùm, ut moneat, nobis Gratiam, & cætera, donari à Deo propter filium: & hæc certò nobis donari, si propter filium petamus. Deinde significat Christũ natura Deum esse, & pari potentia cum patre regnare.

Fides Romanorum. **Primùm quidẽ gratias ago Deo meo, per IESVM Christũ pro omnibus uobis: quia fides uestra annuntiatur in uniuerso mundo. Testis enim mihi est Deus,**

Cui seruio in spiritu.] Quem colo spiritu In uoluntate.] Per uoluntatẽ Aliquid impertiar] aliquod impertiar uobis donum spirituale Simul cõsolari in] ut cõmunẽ capiã cõsolationem in uobis per mutuam

cui seruio in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriã uestri facio semper in orationibus meis, obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in uoluntate Dei ueniendi ad uos. Desydero enim uidere uos, ut aliquid impertiar uobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos uos: id est, simul consolari in uobis, per eam quæ inuicem est, fidem uestram, atque meam.

Optat Paulus uidere Romanos.

Primum quidem. Exordium est. Omnia flagrantissimis ardent affectibus. Argumenta quibus utitur, sunt, à suo erga eos, & rem ipsam, de qua agitur, studio. Memorat quanti cùm ipsos, tum Euangelium existimet: quanta teneatur & ipsorum charitate, & Euangelij admiratione. Prius gratias agit pro ijs, quæ illi iam acceperant: deinde orat ut hæc confirmentur, & augeantur. Antè laudat, posteà monet.

Deus meus. **Deo meo.** Deum omnium, suum peculiariter facit, non quidem ab huius communione excludẽs alios: sed explicãs se, illum sibi Deum: hoc est, se omne bonum, ut aliàs, ita præcipuè in beneficentia hac Romanis exhibita, peculiariter experiri. Sunt quibus placet Apostolum ideo dixisse Deum suum, quòd nondum plane Romanorum Deus esset, ut qui fidem Christi nondum rectè tenerent. Pace horum dixerim: Videtur hoc superius dictis nõ cohærere. Quos enim uocatos Iesu Christi dilectos Dei, & uocatos sanctos agnouit, à communione Dei excludere non potuit.

Per Iesum. Gratias agit per Christum, quòd nihil Deo gratum sit, nisi quod illius auspicijs cœptum, aut per illum sit oblatum, quem Deus & mediatorem, & pontificem constituit omnium.

Fides uestra annunt. in uniuer. Prædicatam in toto orbe fidem (id est, religionem) Romanorum: intelligamus, omnium fidelium ore, qui de ipsa rectè & sentire & pronuntiare poterant.

Iurare licitum. **Testis enim mihi est Deus.** Cùm expedire nouerat, ad stabiliendam prædicationi suæ fidẽ, Romanos de sua synceritate bene esse persuasos, iuramentum adhibuit. Licet enim iure iurando, si sic exigat gloria Dei, ueritatis negotium, & charitas proximi, res dubias confirmare.

Variæ diuini cultus species. **Cui seruio.** Seruire se Deo dicit, gentibus afferens Euangelium de filio Dei. Species diuini cultus multæ sunt: ut, Deum colere, corpus inedia extenuare, sacris listat fide & dilectione) profitetur. teris operam dare. Maximè autem Paulus hoc loco spiritualem Dei cultum (qui con-

Euangelium filij. **In Euangelio filij eius.** A signo probat, quomodo Deum nõ fictè colat: nempe ministerio suo. Porrò Euangeliũ filij, uocat, quo Christus illustratur: atq;, In Euangelio filij eius: idem pollet, secundum doctrinam & autoritatem Euangelij filij Dei.

Quod sine intermissione. Istud est, quod iurando confirmare Romanis uoluit. Magnum erat, Paulum nullas preces ad Dominum fundere, ubi non faceret Romanorum mentionem.

Prosperum iter. Beatus Ambrosius agnoscit, Apostolum illud prosperum iter putare, quod uolente Deo suscipiatur. Declarat enim, non tantùm se expectare à Domini gratia prosperitatem uiæ, sed inde æstimare prosperum iter, si domino probatur:

ad quam regulam debent esse composita omnium uota.

Pietati nostræ semper aliquid addendum.

Id est, simul consolari. Adeò se magnificam de ipsorum fide & integritate opinionem habere exprimit, ut non tam ideo cupiat uenire, ut eos corroboret, & spiritualibus beneficijs iuuet, quàm ut & ipse inuicem ab eis consolationem accipiat, & sancta cohortatione recreetur, atque in Christi studio augeatur. Dum sanè hic sumus, semper erit quod pietati nostræ adijciatur. Quod autem addit, Fidem uestram, atque meam: ostendit, & uiuæ fidei esse semper operam dare, ut sese diffundat in alios. Quod & Dominus grani sinapis & fermenti comparatione, seu simili, significauit.

Functio uiuæ fidei. 1. Cor. 13

Nolo autem uos ignorare fratres, quia sæpe proposui uenire ad uos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam in uobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quòd in me promptum est & uobis qui Romæ estis euangelizare. Non enim erubesco Euangelium; uirtus enim Dei est, in salutem omni credenti; Iudæo primum & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus autem ex fide uiuit.

Prohibitus sum] præpeditus fuerim ad hũc usq; diem.

Sapiẽtibus & Eruditis pariter ac rudibus

Quòd in me promptũ q̃ tũ in me est paratus sum

In eo reuelat] Per illud patefit. & infrà.

Euangelium.

Abac. 2. a
Hebr. 10. g
Galat. 3. b

Et prohibitus sum. Non exprimit à quo, aut quo pacto. Videtur autem prohibitus fuisse necessitate aliarũ ecclesiarũ, & causæ Euãgelicæ in uniuersum dispẽsandæ. Nõ enim aliquas tantũ, sed uniuersas propè ecclesias Satan perturbare cœperat, disputatione illa de ceremonijs Mosaicis. E' qua disputatione non modò ecclesiarum concordia, sed fidei quoq; synceritas periclitabatur. Et propter tam exactam ecclesiarum solicitudinẽ, uarias migrationes Paulus suscipere coactus est. Plerunq; etiam illum ab instituto suo rapuerunt uxriæ persequutiones, & pericula. Corinthũ statuerat redire cùm ageret Ephesi, 1. Cor. xvi. sed detẽtus fuit grauissima adflictione. 11. Corin. 1. Thessalonicensibus scripsit similia. 1. Thess. 11. Quoniam uoluimus uenire ad uos, ego quidẽ Paulus & semel & iterũ: sed impediuit nos Satanas. Similiter & infra cap. xv.

Vt aliquem fructum. Dicit, ut habeam: non, ut faciam, uel, adferam fructum. Quem enim adferebat alijs, hunc ipse fructum percipere sibi uidebatur: Id suũ lucrum, & summũ ducebat, quod faciebat Christo. Memor erat doctrinæ Iesu Christi, Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, ut eatis, & fructũ adferatis, & fructus uester maneat. Hæc illi omnis causa erat, cur sustineret uiuere, alioqui cupiens mori, & esse cum Christo. Sibi fructum inter cæteras gentes contigisse dicit, quò spem concipiãt Romani, aduentum eius sibi non fore ottosum, quem tot gentes fructuosum expertæ essent.

Ioan. 15. c
Philip. 1.

Debitor sum. Perinde ac si dicat, Debitorem inquam, non doctorem, non magistrum me dico. Hos titulos Domino trãscribo, uni magistro nostro cœlesti. Et si huius beneficio & actu sim doctor, & magister gentium: me uobis non præfero, sed subijcio: ministerium uobis, obsequium debeo: non uendico autoritatem uel dominium. Debitum hoc, ex quo Paulus se debitorem fuisse Græcis, &c. scribit, Origenes ex eo putat fuisse, quòd omnium linguis loqui posset, & sapientiam accepisset in mysterio. Beatus Ambrosius: id debitũ intellexit fuisse ex missione, iussuq; Dei. Diuus Chrysostomus notat in

tat in illo, Græcis & Barbaris &c. indicari quàm commune, & populare sit Euangelium, & quòd ad id percipiendum, sola & uiua fide, nullis syllogismis opus sit, nulla humanitus parata sapientia. Beatus Ambrosius per Sapiẽtes intelligit humanis rationibus eruditos, qui uarias tenent artes: Stultos, siue insipientes, qui simplicitatem sequentes, harum rerum imperiti sunt. Quanti hoc debitũ fecerit, & unde se debere hoc putarit, prioris ad Corinthios nono capite copiosè exponit Paulus.

Sapientes. Insipientes.

Ita quòd in me promptum est. Adnotat Chrysostomus. debitor sum quarũlibet gentium, ergo & uester. Hoc ergo quod debui, semper (si ita Domino uisum fuisset) persoluere paratus fui, nihil deterritus uel maximo tum labore tum discrimine.

Virtus enim Dei. Graui descriptione præmittit, quid sit Euangelium. Est illa cœlestis denũtiatio, quæ nobis potentiã Dei Iesum Christũ prædicat: in quo Deus orbi omnẽ plenitudinẽ exhibuit: ut quisquis, siue Iudæus, siue Gentilis illi fidit, non pereat, sed habeat uitã æternam. Agnosce uim Euangelij. Si magnifieri debet à nobis Dei Potentia, ea elucet in Euãgelio: si Bonitas digna est quæ expetatur & ametur, Euangeliũ est eius bonitatis instrumentũ. Obserua: Nõ operatur in omnibus efficaciter: sed tantùm ubi spiritus magister cordibus illucet: ideo subijcit, Omni credenti. Cùm ergo Euangelium liberet à confusione, & ruina æternæ mortis, salus eius est Vita æterna.

Euangelium quid.

Ex fide in fidem. Iustitia Dei, id est, Christus in Euãgelio reuelatur ex fide ueteris instrumenti, in fidem & per fidem noui. Qui enim in Lege adumbrabatur, manifestatus est in Euangelio. Nam qui in Lege non intelligebat illud Isaiæ, Ecce uirgo concipiet: reuelatur in Euangelio per fidem, dum legit, Ecce concipies, & paries filium. Qui non capiebat illud Michææ, Egressus eius à diebus æternitatis: illi reuelatur per fidem, cùm audit Ioannem tonantem, In principio erat uerbum. Iustitia ergo, seu Iustificatio nostra Christus, qui ænigmaticè adumbratus est in uetere testamento, reuelatur nobis per fidem in Euangelio. Aut, Iustitia Dei, id est, acceptatio diuina, qua nos Deus recipit, & approbat, hæc patefit in Euangelio. Ex fide: id est, ex fiducia Christiani animi. In fidem, id est, in ueritatem, & exhibitionem misericordiæ.

Esaiæ 7. Lucæ 1. Michææ 5. a

Iustus autem. Propheta de superborum euersione uaticinans, addit, iustorum uitam in fide consistere, non in legis cognitione: id est, quum fiducia misericordiæ statuimus nobis Deũ propitiũ esse, nos exaudire, uelle seruare, & expectamus salutẽ, iustificamur, & uiuificamur: scientes, cũ remissione peccatorũ & reconciliatione coniunctam esse donationem spiritus sancti.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorũ, qui ueritatem Dei in iniustitia detinent: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quę facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius uirtus & diuinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt: Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis

Ira Dei.

Ephes. 4. c

Notũ est Dei] de Deo cognosci potest.

Creatura] creatione

Per ea quæ facta, &c. Jdũ per opa intelliguntur, perindenf.

Virtus] potentia

Dicẽtes enim] cũ se crederent

Incorruptibilis] uel immortalis.

corruptibilis,hominis,& uolucrum,& quadrupedum, & serpentium. Serpentium & reptilium.

Reuelatur enim ira Dei. Incipit probatio. Probandum suscepit, fidem in Christum id esse,quo iustificamur,& inter iustos annumeramur.Ostendendum ergo ei fuit,sicut fide uua nos iustitiam cõsequi:ita si eadem destituamur,totos seruire iniustitiæ.Reuelari,hic accipitur pro palam exhiberi.Ira Dei,pro ultione.De cœlo,habet in se significationem dirioris ultionis,quæ cœlestis & diuina esse appareat.Cùm nihil sit unde potentia,& maiestas Dei in oculos plenius occurrat,quàm cœli. Cœli enarrant gloriam Dei,Et animus noster cognitionem suam à sensibus hauriens,quicquid cogitat, semper loco alicui affigat,Cœli Deo sedes in scripturis dicũtur.Et quod Deus ita præclarè facit,ut homines diuinam ipsius uim & potentiam sentiant, id peculiariter ut è cœlis profectum accipitur.hinc suspicimus ad cœlos cùm oramus, Pater noster. Quod & Christus fecisse dicitur Ioannis XVII. Et subleuatis oculis in cœlum dixit, Pater uenit hora,&c. Cùm Deus magnificè opem fert, de cœlo eam tulisse prædicatur, ut Psal.XVIII.& LVII.Sic cùm sceleratos grauiter punit,dicitur è cœlis immittere ultionem.Psal.LXXVI.Vnde & tempestatibus cœli,iram suam Deus grauiorẽ prodere subinde solet:ita cùm iam perditurus esset Aegyptios,Israëlem persequentes, tonuit & perterrefecit eos è cœlo:Exodi XIIII.& Psal.LXVII.Idem fecit cùm sterneret regem Iabim & exercitum eius,Iudic.IIII. Hinc est ut prophetæ insolentiores & atrociores Dei ultiones minantur,conturbandos cœlos, obscurandum solem,lunã, & reliqua astra,prædicunt.Sicut ergo quæ è cœlis fieri dicuntur,eiusmodi sunt,ut Dei potentiam plenius referant,Ira Dei de cœlo,intelligenda est ultio sæuior,atrocior, importunior.Et hanc è cœlo reuelari,idem fuerit,quod eam inferri immanitate singulari: ut nemo non sentiat, Dei ultione homines urgeri. Diuus Chrysostomus per Iram Dei hic,futurum iudicium intelligit: cùm Dominus in nubibus cœli ueniens, è cœlo humanum genus iudicabit,idq; ex Euangelio,ideo reuelari ait, ut quos non mouet immensa Dei bonitas,metus diuinæ iræ impendentis coërceat.Atheniẽsibus Paulus ad hunc modum iudicij futuri meminit,Act.XVII.Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus,nunc annuntiat hominibus,ut omnes ubiq; pœnitẽtiam agant:eò quòd statuit diem,in quo iudicaturus est orbem in æquitate:in uiro in quo statuit,fidem præbens omnibus,suscitans eum à mortuis.Intelligamus Paulum eam diuinæ iræ reuelationẽ hoc loco dixisse,quæ ex tam flagitiosa & conscelerata hominum uita (quam Paulò post explicaturus est)facta est.

Reuelari. Ira Dei. De cœlo.

Sedes Dei.

Super omnem impietatem. Id est,super omnes homines impios,& iniustos. Hebraismus est. Hoc est: Prædicatur in Euangelio diuinitus tradito aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum.

Detinere. **In iniustitia detinent.** Id est,Qui ueritatem Dei agnitam celant. Emphasis est in uerbo DETINENT:nam significat illos uim feciſse ueritati.Veritas siquidem de qua loquitur,cognitio erat eorum,quæ Deo,quæq; hominibus debebant. hæc tam erat plena,ut impelleret huc, & urgeret,ut Deum tanquam Deum colerent, & proximos ut seipsos amarent.Inde nulla eis in conscientia quies,dum diuersam uiuendi uiam ingrederentur.Dira ergo,& immanis fuit eorum impietas,& iniustitia,qui non uocante tantùm,sed & impellente Deo ad pietatem,& iustitiã,impij tamen,& iniusti esse pergerent. Chrysostomus ex uoce OMNEM, animaduertit uarias esse & impietatis & iniust

iniustitiæ species. Nomine impietatis complectitur omnia quæ pugnant cum prima tabula.Iniustitia uerò significat uniuersalem inobedientiam.

Quod notum est Dei. Id est,quod naturaliter de Deo nosci potest.Notum est illis:expositio est superioris propositionis.

Deus enim illis man. Hoc addit,ne quis humanæ naturæ nimium tribueret: sed & modum quo se illis manifestauit mox subdit.

Inuisibilia enim. Qualia sunt Bonitas,Sapientia,& similia.

Per ea quæ facta sunt. Id est,non scripturis & oraculis sese gẽtibus ut Iudæis manifestauit,sed ex ipsius effectis intellecta conspiciuntur à creatura mundi,seu ex cõditione, & creatione mundi: scilicet, ex quo mundus est conditus. Quòd ex opificio mundi tam admirando nouerint Deum,id argumento erit,quòd Cleanthes dicebat,Cognitiones Dei informatas in animis nostris: quarum causas quatuor memorat Lucilius apud Ciceronem lib.II. de natura Deorum. Primam posuit eam, quæ orta est ex præsensione rerum futurarum. Alteram, quam accipimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cœli temperatione,fœcunditate terrarum, pluriumq; aliarum commoditatum copia.Tertiã,quæ terret animos fulminibus,tempestatibus,nimbis,niuibus, grandinibus,uastitate,pestilentia,terræmotibus,guttis imbriũ quasi cruentis,tum præter naturam hominum,pecorumq; portentis,cometis,& eiusmodi,Quartam,æquabilitatem motus,conuersionem cœli,solis,lunæ,siderumq; omnium distinctionẽ, utilitatem, pulchritudinem,ordinem,& huiusmodi.Has causas scriptura multis in locis memorat. Futurorũ suos præmonuit scriptura,& diuinandi,prophetandiq; uim cõtulisse in sacra historia passim legimus de Noë,Abraham,Isaac,Iacob, Dauide, & alijs qui Deũ unum esse annuntiantes,multa futura prædixerunt.Deuter.XVIII.Isaiæ XLI.& XLV. & in multis Psalmis.Similiter magnitudinem cõmodorum quæ percipiuntur cœli temperatione,fœcunditate terrarum,fluminum,ac maris usu,scriptura commemorat: eisq; diuinitatẽ euidenter cõprobat.Leuit.XXVI.Deute.XXVIII.& Psalmo CIIII. Argumento quoque tempestatum sæpissimè utitur Psal.XVII.Iob XXXVII.Insolentia illa,quibus Deus iram suam cœlitus declarat,à prophetis memorari solent, quoties diras prædicunt euersiones. Isaiæ XIII. & alibi. Præter hæc diuinitatis manifestandæ argumenta scriptura unum multis in locis urget. Quod est certæ prouidentiæ Dei erga homines,qua bonis facit cadere omnia feliciter,& destruit tandem omnes malos.Præter hæc si plura desyderaueris,quomodo ex uisibilium consyderatione inuisibilia Dei cognoscantur,uide egregium libellum VII.Hugonis à sancto Victore in suo Didascalico.Simili ratione ad Hebræos II.secula dicit esse specula, seu spectacula rerum inuisibilium.Hic locus desumptus est ex Psal.18.Cœli enarrant gloriam Dei.

Cognitio Dei.

Deum colere.

Quia cùm cognouissent Deum. Deum colere ut Deum,est seipsum totum Deo addicere:expectare ab ipso uno omnia, & omnia in huius gloriam facere. Quod autem hunc cultum Ethnici cognouerint,id maximo argumento est,quòd Balbus libro II.de natura Deorum apud Ciceronem cultum diuinum expressit:Cultus autem Deorum,ait,est optimus,idemq; castissimus,atq; sanctissimus, plenissimusq; pietatis, ut eos semper pura,integra, incorrupta mente & uoce ueneremur. Hoc non ignorauit Persius Ethnicus,

Quin damus id superis,de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum ius,fasq; animi,sanctosq; recessus

Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo, ut admoueam templis, & farre litabo.

Non sicut Deum. *Ex ipsis effectis concipere poterant Dei gloriam, quòd æternus sapiẽs est, &c. Aeternitas ex eo liquet, quòd autor est omnium: Potentia, quòd tenet omnia sua manu, facitq; ut in se consistant: Sapientia ex ordinatissima dispositione: bonitas, quia nihil causæ erat, cur conderet omnia, neque alia ratione moueri potest, ut conseruet, quam ob illam ipsam: Iustitia in administratione, quia sontes punit, innocentes uindicat: Misericordia, quòd tanta patientia tolerat hominum peruersitatem. Huiusmodi cùm in Deo non recognouerint homines, sed somniarint tanquã inane phantasma, ut Cyclopes & Epicurei, meritò dicuntur Deum suo honore & gloria improbè spoliasse.*

Sed euanuerunt in cogitationibus suis. *Id est, derelicta Dei ueritate, ad sensus sui uanitatem conuersi sunt: cuius rationes omnes inanes sunt, & instar fumi dilabuntur.*

Dicentes se esse sapientes. *Rogabis: Quomodo Deum non glorificauerunt, sed uani facti sunt? Quia nemo fuit, qui non uoluerit Dei maiestatem sub captum suum includere. Qui deberent in humilitate dare gloriam Deo, uoluerunt sua arrogantia apud semet sapere, sola ratione humana & Philosophica Deum quærere, & ad suam humilitatem deijcere: iusta ergo Dei ultione infatuati sunt, & quod ipsis erat lumen, factum est tenebræ.*

(Propter quod tradidit illos Deus in desyderia cordis eorum, in immunditiam: ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis,) quia commutauerunt ueritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui est benedictus in secula: Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ exarserunt in desyderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut nõ probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, cõtentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, Deo odibiles, cõtumelioso s, superbos, elatos, inuẽtores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiã Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Contumelijs] ignominia
In semetipsis,] inter se mutuò.
Potius & creatori,] ultra eũ qui condidit.
Passiones] cupiditates
Reprobum sensum,] reprobã mentem.
Malignitate?] malis præditos moribus:
Deo odibiles,] Dei osores,
Incõpositos,] pactorum haud quaq; tenaces,
Sine affectiõe:] alieni à charitatis affectu,
Absq; fœdere,] fœditragi,

Tradidit

Tradidit illos Deus. *Id est, Deus illos abire permisit. Iuxta illud Psal. 80. Dimisi eos secundum desyderia cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Vsitata est hæc phrasis apud Hebræos: ut, Ne inducas nos in tentationem: id est, Non sinas nos induci. Permißiuè hæc intelligenda sunt: Deus enim nequaquam est causa peccati, sed Diabolus: nam qui facit peccatum ex Diabolo est, impellit enim ad hos furores, qui hìc describuntur.*

Vt contumelijs afficiant. *Hæc particula* VT, *hoc loco euentum rei, non causam dicit: id est, propter quam Dei desertionem contigit, ut derelicti corpora sua contumelijs, id est ignominia afficerent, ac dedecorarent.* Vt.

Naturalem usum. *Naturali usu nihil amplius exprimit, quàm eum qui non sit contra naturam: hic solùm in coniugio laudabilis est.* Naturalis usus.

Mercedem. *Merentur excæcari, ut obliuiscantur sui, nec agnoscant, quid sibi cõueniat, qui ad oblatã Dei lucẽ oculos clauserũt sua malitia, ne gloriã Dei aspicerẽt.*

Et sicut non probauerunt. *Quia non probauerunt permanere in Dei cognitione, permisit Deus, peruersam habeant mentem, quæ nihil iam probare potest.*

Non probauerunt. *Id est, Deum, Deiq; beneficia noluerunt agnoscere. Fugientes lucem necesse est in tenebris permaneant.*

Tradidit. *Deserendo: sicut Indurare dicitur, dum suæ malitiæ, ac libertati pravæ peccatorem derelinquit.*

Repletos omni. *Addit coaceruationem, & magnum cumulum peccatorum, ut cætera uitia etiam arguat: Iniquitas enim significat uniuersalem inobedientiam contra primam & secundam tabulam legis diuinæ.*

Malitia: *Cupiditas nocendi.*

Fornicatio: *tum externa, tum interna concupiscentia.*

Nequitia: *exercitata malitia, uel solutior malitiæ patrandæ licentia.*

Malignitas: *insignis, & notabilis improbitas, ubi quis in morum corruptione obduruit ex consuetudine, & malo habitu.*

Susurrones: *qui in aurem obstrepunt, & occulta maledicentia odium, aut dissensionem moliuntur. Obtrectatores sunt paulò illis liberiores nullius fãmæ parcentes.*

Contumelioso s: *iniuriatores, qui per uim opprimunt inopes.*

Incompositi: *pactorum, ut uenditionis, & huiusmodi ruptores.*

Qui cùm iustitiam Dei. *Amplificatio est enumeratæ peruersitatis. Nam nõ solum ipsi huiusmodi sunt, tamq; atrocia mala committunt: sed etiam fauent, & adsunt alijs: ut eadem perpetrent. Seu non tantum comprobant, quæ alij faciunt, sed ad hæc etiam tam nefanda sese illis adiungunt socios: & ad effrænem peccandi lasciuiam nihil reliqui faciunt.*

Digni sunt morte. *Intelligit per mortem extremum supplicium, & mortem quam Deus ut mortem infligit, nempe æternam. Meminerunt studiosi regulam, quòd uiolatio legum naturæ, sit uiolatio iuris diuini, & uerè peccatum mortale.*

CONCILIATIO IN PRIMVM CAPVT.

QVID hic Paulus Christum secundum carnem natum (qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem) prædicat? cùm 2. ad Corinth. 5. cõtrarium dicere uideatur: Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. RESPONDENDVM. Apertißimum est ex scripturis sanctis, filium Dei factũ hominem: Sed quod Corinthijs pronuntiat Paulus, suo more est loquutus, futuram uitam exprimens, Prima.

exprimẽs,quæ iam in ipso homine mediatore Iesu Christo Domino nostro cõpleta est. Hãc uitam spe certa meditatur Paulus,tanquã iam adsit,præsensq; teneatur:Quæ utiq; uita non erit secundum carnem, sicut nec Christi uita iam non est secundum carnem.

Caro. Carnem hoc loco appellat, carnalem corruptionis seu mortalitatis qualitatem, quæ tunc non erit. Quia mutata caro nõ corrumpetur. Noueramus ergo Christũ secundum carnem,id est secundum carnis mortalitatem, antequàm resurgeret:sed nũc iam non no
1.Corinth.15. uimus.Quia Christus resurgens à mortuis,iam non moritur.Non ergo est locorum pugnantia. Quia Paulus ante resurrectionem nouerat illum habuisse carnem mortalem, quæ post resurrectionem est incorrupta,& immortalis.

Secunda. PAVLVS scribens, Quod notum est Dei,manifestum est illis.Et, Quia cùm cognouissent Deum &c. uidetur aduersari multis locis tum à se, tum ab alijs Apostolis scripto relictis.Psal.14.Dixit insipiens in corde suo,nõ est Deus.primæ ad Corinth.2. Quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei.Luc.10.Nemo scit quis sit filius,nisi pater:& quis sit pater,nisi filius,& cui uoluerit filius reuelare. Primæ Ioannis 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit,mendax est. Ad Ephesios 2. scribit Paulus,eos qui absq; fide in Christum erant,fuisse sine Deo.

Notitia Dei. NVLLA est planè eorum,quæ producuntur,pugnantia:si agnoueris, duplicem esse notitiam Dei:alteram generalem, & communem, quam quia Deus omnibus irradiat,seu concursum suum(ut ita dicam) lumini naturali addit (sine cuius auxilio causa secunda nullum producere potest effectum) Naturalem & Generalem dicimus:hæc notio tanta est,ut omnem nobis excusationem adimat. Facièti enim quod in se est(aiunt Theologi)Deus non denegat gratiam. Altera uerò specialior est, in se charitatem & Dei amorem complectens. Et hac, qui carne uiuunt Deum agnoscunt. Nunc ex parte habetur hæc notio,sed in patria,perfecta & consummata erit. Qua uidebimus Deũ
1.Ioan.3.a sicuti est,ait Ioannes.Et Hieremiæ 3.cap. Et non docebit ultra uir proximum, & uir fratrem suum,dicens,Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum,usq; ad maximum,ait Dominus.

DICTIO.

Iustificari. QVONIAM epistola hæc tota uersatur in explicanda iustificatione nostra, placuit adnotare Iustificationem duobus modis accipi in scripturis sanctis. Primò iustificari est,ex impio fieri pium.hoc ut intelligas,aduerte. Cùm nati sumus in peccatis,
Ephes.2.a & nihil quàm ingratum Deo facere ex nobis ualeamus,restitui non possumus, nisi adEsa.64.b sit satisfactio pro peccatis nostris,quibus morte digni sumus: & deinde adsit, qui nos
Roma.6.d spiritu iustitiæ adflet.Vtrunq; perfecit Christus,purus & innocens solus,& nõ alius:
1.Pet.3.d qui in cruce uolens obiuit mortem,qua pro nobis omnibus,etiam inimicis,satisfecit:re-
Esaiæ 53.c linquens in cruce per mortem omnes infirmitates ab Adamo assumptas. Et quum in eo
Hebræo.9.c uita esset, suscitauit seipsum per gloriam patris, dans uitam suo corpori afflicto &
Roma.5.b mortuo,uiuitq; Deo,iam non amplius moriturus. Hunc in modum uictor mortis & in-
2.Corinth.5.c ferni,uiuificauit secum quotquot in se credunt.At quia non amplius moritur, eiusdem
1.Corinth.15. mortis ac resurrectionis suæ nos participes facit per baptismum, & uiuam fidem, qua
Ioan.1.a cum Christo moriẽtes exuimus ueterem hominem, morimurq; peccato & carni, & si-
2.Corint.13.a mul cum eo resurgimus, uiuentes Deo, cuius spiritu donati, & noua in Christo creaRoma.6.b tura effecti,benè operamur, pugnantes cum carne, & crucifigentes ipsam cum uitijs
Ephes.2. & concupiscentijs.Hæc fides qua iustificamur,hoc est condonantur nobis peccata,&
1.Corinth.15. renascimur spiritu, est donum Dei, non ex nostro merito, imò ne ex operibus quidem
Roma.8.b nostris,
Ioan.6.
Colos.3.b
Galat.2.d
& 6.d
Roma.5.a
1.Corinth.1.d
Galat.5.d

nostris,ut ne quis glorietur. At quum iustificatur quispiam, necesse est accedat motus uoluntatis seu liberi arbitrij, quo amplectitur beneficium Christi, eoq; fidit, & credit, Christum à Deo nobis in hoc donatum, ut per huius obitum pro nobis mortem peccata nostra expiarentur,& per uitam eius, quam resurgẽs ex mortuis iniuit, nouam ac cœlestem iniremus, donato nobis spiritu & communione suæ iustitiæ. Hunc bonum motum uoluntatis seu liberi arbitrij,non nisi eiusdem spiritus afflatu attracti,gratis habemus.Quare id totum Deo debemus.Hæc est iustificatio,qua ex impio fit pius,& ab infidelitate & peccato ad gratiam resurgit homo: quam solus Christus sine nobis meruit,& illam gratis largitur. De hac intelligito Paulum loqui, quoties hominem iustificatum dicit sine operibus,qualia qualia fuerint opera nostra præcedentia. Hæc est radix bonæ arboris,quæ malos fructus facere nõ potest.Ab hac procedunt opera, tum bona,tum meritoria,quibus in iustitia proficimus, & iustiores efficimur. Apocal.22. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Hac secunda iustificatione, ex priore emanante, dicuntur opera nostra meritoria, non ex dignitate nostrorum operum ex se,sed quia admista & coniuncta sunt fidei & gratiæ, per quæ ex bonitate Dei ita nobiscum paciscentis mereri dicimur. Quare non debet Meriti nomen exosum esse uiris pijs,quo & sacra scriptura passim utitur. Ecclesiast. 16. Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Hoc secundo modo accepta iuctificatio facilè explicabit autoritates passim in sacris repertas.Sapientiæ 10. Reddet iustis mercedem, &c. 1.Corinth.3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet.

Ephes.2.a
Ioan.3.
Ad Tit.3.b
1.Pet.3.d
Ioan.6. & 12.e
Iob.14.a
Roma.3.d
Lucæ 6.f
Apoc.22.

EST quædam uocatio diuina immediata, qua Apostoli uocati sunt immediatè à Deo:sicut Prophetæ in ueteri testamento ab ipso Deo. Alia est mediata, facta per hominem,diuina tamen,qua Apostoli uocauerunt suos discipulos, ut Paulus Timotheum & Titum,qui deinde episcopos.Hæc uocatio durat,durabitq; usq; ad finem mundi. Vocatio diuina duplex.

PROPHETAE nomine omnes sacri scriptores uocantur. Dei enim interpretes sunt,instincti à Spiritu sancto scripserunt.Nonnunquam tamen Lex suo nomine & Psalmi,reliqui prophetæ uocantur Lucæ 22.Sed frequentius Lex & Prophetæ,ut infrà 3.cap.Metth.11.& alibi. Prophetæ.

SCRIPTVRAS uocat sanctas,quia solæ ueritatem illibatam, & Deum absq; ulla admixtione erroris docent,totæ ubique Spiritum sanctum autorem testantes. Scripturæ cur sanctæ.

NOMEN in scripturis pro laude,& celebratione accipitur.Vnde Dominus Dauidi per Nathan dixit, Feci tibi nomen grande,iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra:id est,reddidi te celebrem,clarum & illustrem. Nomen. 2.Reg.7.

PACIS nomine in scripturis optata rerum conditio, dum ex animi sententia omnia cedunt,significatur. Iacob rogans de rebus Laban,an secundæ essent, dicebat: An est ei pax?Et respondebant,quos rogauerat,Est pax. Quo nihil uolebant aliud intelligere,quàm illum rectè habere.Idem dicebat ipsi Ioseph filio suo Genesis 29. cùm uiseret fratres suos. Pax.

BARBAROS à Paulo,ut Quæ ab alijs autoribus, uocari gentes nullo ingenij cultu præditas,nullis humanitatis studijs intentas,nemini ignotum est. Barbarus.

SAPIENTES uocat imbutos doctrina,& singulari ui prudentiæ pollentes. Sapientes.

ROMANOS hac epistola,non Romæ tantùm natos,aut ciuitate donatos,intelligere oportet:sed quotquot Romæ habitabant,seu Romanorum ciues essent aut municipes,seu Itali,aut Græci aduenæ. Romani.

INSIP

INSIPIENTES *dicit stultos, simpliciores, rudiores, & nulla excultos doctrina.*

MEMORIA *pro mentione.*

Passiones. PASSIONES *Græcis est* πάθη, *quod apud eos nonnunquam perturbationes animi sonat, aut motus, aut morbos, aut (quod maximè placet Fabio) affectus.*

Nullum discrimen personarum apud Deum. CAP. II.

Iudæos omnes esse peccatores ostendit Matt. 7.a.

PROpter quod inexcusabilis es, ò homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum cõdemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secũdum ueritatem in eos, qui talia agunt. Existimas autem hoc, ò homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi irã, in die iræ: & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundũ opera eius. Iis quidẽ, qui secundũ patiẽtiã boni operis, gloriã, & honorẽ, & incorruptionem quærũt, uitã æternã. Iis autẽ, qui sunt ex cõtentione, & qui nõ acquiescũt ueritati, credũt autẽ iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnẽ animã hominis operãtis malũ, Iudæi primũ & Græci: Gloria autã & honor et pax omni operãti bonũ, Iudæo primũ et Græco: nõ enim est acceptio pſonarũ apud Deũ.

In quo enim] nã hoc ipso q; Quæ] qui

Ad pœnitentiã inuitat Dei sua tolerantia.

Patientiæ,] tolerantiæ, Longanimitatis] uel lenitatis

Adducit?] uel inuitat? Secundũ autẽ] Sed iuxta Thesaurizas] uel colligis

Opera. Matth. 16.d.

Secundũ patiẽtiam boni operis,] perseuerãtes in benefaciendo.

Deutero. 10.d. 2. Paral. 19.c. Iob 37.b. Actorum 10.c.

Ex contentione,] cõtentiosi. Acquiescunt] obtemperant

Propter quod. **Propter quod.** *Videtur cõtinuationis potius, quàm illationis esse particula* Propter quod. *Volens Paulus ostendere omnes esse peccatores, ostendit crassiora peccata. Et ne aliquẽ iustum corã Deo relinquat aduersus hypocritas, hoc est, nescio quos Sanctulos homines, sanctimoniæ speciem præ se ferentes, disputat: & uelut ex abrupto se illis obiecit, dicens: Sed ne à peccato quidem alieni estis, qui alienorum morum acerrimi censores estis. Probat: In quo enim &c. Quòd ait, Eadem facis: loquitur non de externa, sed de interna immunditia. Hoc loco uerbo iudicandi usus est pro accusandi, protrahendi, culpandi ue nomine. Iudicium Dei dicit uindictam. Secundum ueritatem: id est, uerè. Iudicium Dei est secundum ueritatem: id est, Deus uerè puniet.*

An diuitias bonitatis. *Locus hic uidetur desumptus ex illa sacra acclamatione Exodi 34. Moysi ad Dominum: Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac uerax, qui custodis misericordiam in millia, &c. Usus est hoc loco Paulus anthropopathia, significans Deum uideri affligi, & molestiam sentire à tantis hominum sceleribus. Ea anthropopathia est frequens apud prophetas, qua ineffabilis illa Dei erga nos charitas ostenditur, quæ saluos nos adeò cupit, ut doleat ei, si ipsi nos eamus perditum. Qui cùm nihil omittamus ad iritandum illum*

Anthropopathia, hominis passio aut affectus.

illum, tamen perseuerat mansuetus, & tardus ad iram, lentus ad ultionem: ut concedat spatium ad agendam pœnitentiam. Huc pertinet celebratissima illa sententia Valerij Maximi lib. 1. cap. 2. Lento quidem gradu ad uindictam sui diuina procedit ira: sed tarditatem grauitate supplicij compensat. Est & apud Plutarchum liber elegans de ijs conscriptus, qui tardè puniuntur à numine. Bonitatis, pro benignitatis, posuit. Benignitas est uirtus sua sponte ad benefaciendum exposita: Patientia autem simplex, est malorum tolerantia: sed Longanimitas expectationem, & diuturnitatem patientiæ addit.

Benignitas. Patientia Longanimitas

Thesaurizas tibi iram. *Elegans est metaphora. Vt enim homines recondunt opes, quibus nondum utuntur: ita impij dum pro sua libidine uiuunt, nec desungũtur meritis pœnis, eas pœnas sibi reponunt, & seruant. Quò fit, ut non Deus, sed ipsemet te tormentis afficias. Dices: Quo pacto id fieri potest? Quia cor impœnitens geris, imò durum, & inflexibile ad aliquod bonum exequendum. Cùm igitur nec Dei bonitate ductus leniris, nec pœnæ formidine flecteris, quid dici te durius potest? Translatione ista thesauri & Moyses usus est Deut. 32. & Hieremias 50. cap.*

Thesaurizare

In die iræ reuelationis. *Tribus notis signauit eundem diem, Iræ, quòd tum locus misericordiæ non erit: Reuelationis, quòd omnia nuda erunt, quæ nunc latent: Et iusti iudicij, quòd rectè pro cuiusq; meritis pronuntiandum est.*

Dies iudicij quibus nominibus significatur.

Qui reddet. *Docet Paulus, ut apud Deum mali, scelerumq; est mulcta: ita boni, uirtutumq; præmium.*

Qui secundum patientiam boni &c. *Non desunt, qui legant. Perseuerantiam: at ad uerbum est Patientiam: quo uerbo plus aliquid exprimitur. Nam tolerantia in sanctis requiritur, qua uarijs tentationibus oppressi subsistant. Non enim eos expedito cursu ad dominum Satan pergere permittit: sed innumeris offendiculis remorari eos, & à recta uia auertere nititur. Contentio hìc pro rebellione & peruicacia ponitur. Veritatis nomine simpliciter regula diuinæ uoluntatis, quæ sola ueritatis lux est, designatur.*

Ira & indignatio. *Significatur his uocibus subita quædam & concitatior animi ad puniendum elatio. Atq; hoc loco diuinæ ultionis intelligenda est subita uehementia: quæ ad hoc ualet, ut summè perterrefaciat: sicut mala, quæ subitò incidunt, planè exanimant. Qua causa ubiq; in scripturis cùm grauiores ultiones distribuuntur, prædicantur futuræ subitæ, & inopinatæ. His uocibus Afflictio, & Angustia, exprimitur animi coartatio, & quædam quasi conquassatio. Hoc tormentum animi Dominus in Euangelio per fletum & stridorem dentium expressit: Fletu, sensum præsentis doloris stridore dentium, metum impendentis doleris. Non dissimile est huic loco quod habet Psal. 77. ubi canit de ultione sumpta de Aegyptijs, Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem &c.*

Vitio grauior. Psal. 77.c

Gloria autem. *Etsi epistola ad Hebræos hunc locum peculiariter tribuit Domino Iesu Christo: is tamen simul competit in omnes, qui per Christum restituuntur, & in suas caulas reponuntur, ut sint unum cum eo qui est coronatus gloria & honore. Sanctissimè igitur obseruatur mos ille in Ecclesia à patribus exceptus, quo in laudem martyris canitur, Gloria, & honore coronasti eum Domine.*

Ad Hebræ. 1.b

Iudæo primum. *Quos nunc Græcos appellat, eos Gentiles mox dicet. Iudæi autem in huius causæ actione præcedunt, qui præ alijs habent legis promissiones.*

Non enim est personarum acceptio. *Non cuiusquam ueretur personam Deus,*

Deus, sed opera & facta disquirit: cordis puritatem, ac interiorem innocentiam: non autem genus, patriam, dignitatem, copias, & similia. Quare non est ut quisquam sibi placeat, quòd uel Gentilis, uel Iudæus sit.

Matt.7.d Iaco.1.d

Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabũtur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: eiusmodi legem non habẽtes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum. Si autem tu Iudęus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatem eius, & probas utiliora, instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & ueritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandũ, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris Idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per uos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est: Circuncisio quidem prodest, si legem obserues; si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, non'ne pręputium illius in circuncisionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quę in manifesto in carne, est circuncisio. sed qui in abscondito, Iudæus est: & circuncisio cordis, in spiritu, nõ litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Exleges.

Iustificabũtur] Iusti habebuntur.

Eiusmodi] ex

Defendẽtibus] excusantibus

Vtiliora, instructus per legẽ,] eximia institutus in lege.

Sciẽtiæ,&] cognitionis ac

Mœchandum, mœcharis:] adulterandũ, adulteraris:

Esaiæ 52.b Ezech.36.e Circuncisio Iudæi.

Per uos blasphematur] pter uos male audit, blasphemijs afficitur Iustitias] Iustificationes

Præputium.

Gentes.

Legem cõsummãs,] si legem seruauerit,

Iudæus.

Circuncisio.

Quicunque enim sine lege. *Etiam si legem Gentes nullam acceperint externam, & scriptam, peribunt tamẽ, si malè fuerint operati. Satis enim legis uel in corde suo scriptum habent, ut meritò bene operari debeant.*

Non enim auditores. *Quia sola legis notitia superbiebant Iudæi, præoccupat:*

cupat: Non hi sunt iusti, inquit, qui audiunt legem: sed qui credunt in Christum, quem promisit lex: Ita & Gentes incircuncisæ seruant legem. Ad hũc modum dicimus etiam de lege euangelica: Qui solam audientiam, seu intelligentiã legis Euangelicæ habent, non iusti sunt coram Deo: sed proferenda sunt opera, iuxta præscriptum Euangelij, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit.

Naturaliter faciunt. *Id est, naturali notitia ac lumine, quæ notitia est lex illa naturalis, docens honesta, & reprehendens turpia.*

Testimonium redd. *Superiora propriæ conscientiæ (quæ est instar mille testium) testimonio probat. Amplissimum theatrum est bona conscientia: mala uerò pessimus carnifex, sæuius quibuslibet furijs impios exagitans.*

Secundũ Euangeliũ meum. *Suum appellat Euãgelium ratione ministerij. Penes unum Deũ est Euãgelij edendi autoritas, sola dispensatio Apostolis cõmissa est.*

Ipsi sibi sunt Lex. *Id est, ex lumine naturali tantum habent, ut ipsi se docere queant, quæ facienda, quæ uitanda. Id manifestum faciunt, cùm quæ docent, uel ipsi faciunt, uel alios eadem docent.*

Si autem tu Iudæus. *Si id est, quia Iudæus cognominaris, de lege tibi places, omnem tibi requiem in legis litera collocas. Tollebat illis animos Paulus, quod Deuteronomij 4. Moyses dixit, Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, iustaq; iudicia, & uniuersam legem, quam ego proponam hodie &c. Cognomentum Iudæi idem tum ualebat, atq; hodie Christiani, siue quòd ueræ religionis cultus in tribu Iuda diutius manserit siue quòd à Iuda Machabæo (ut quidam dicunt) totus populus Dei hoc nomine gentibus uocari cœpit. Origenes, & Ambrosius censent, Iudæos hoc loco uocari à Christo, qui de tribu Iuda fuit, & in quo completa sunt, quæ patriarcha Iacob de Iuda uaticinatus est. Chrysostomus præterea existimat tacitè sugillatam hîc ab Apostolo Iudæorum hypocrisim, & fucum, eò quòd non dixit, Iudæus es, sed cognominaris.*

Iudæi undè dicti.

Requiescis in lege. *Id est, frequens es in lectione, uel auditu legis, non attẽdens in quem finem lex data est: Et nosti uoluntatem Dei, quid uelit, aut quid nolit: nec hoc tantùm, uerùm probas utiliora: hoc est, iactas te uidere posse, quid in re qualibet sit præstabilius, utpote qui institutus es in lege à cunabulis. Diligenter hîc est considerandum, quo consilio Paulus hæc scribit. Accusat Iudæos, ut intelligant, se non lege iustificatos: sed opus esse alio beneficio.*

Lumen in tenebris. *Sunt sanè præcepta Domini ita pura, ut illuminent oculos. Psal. 18. Lex Domini immaculata, conuertens animas. sequitur: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Quapropter non absre cæci, & errare in tenebris dicuntur, qui ea præcepta non habent, quæ illuminant.*

Vis præceptĩ diuini.

Habentem formam. *Quasi dicat, Instituendi, formandiq; rationẽ, quam alijs præscribat, ut sunt & hodie qui profiteantur se posse formare conscientias singulorũ. Itidem Iudæi sibi placebant, quòd proselytis ueluti stupidis formã uitæ præscriberent.*

Sacrilegium facis. *Origenes & Ambrosius omnia ista allegoricè accipiunt. Fieri potest, ut Paulus hîc sacrilegium rapinam intellexerit, quam Iudæi in suis sacris admiserint, cùm emendo, uendendoq; sacerdotia, tum intercipiendo ipsas sacras hostias, ac pecuniam in usum religionis à populo oblatam: deniq; & aucupium illud auaritiæ, quod sub specie promouendi cultum Dei instituerant: qua de causa Dominus huiusce modi nundinantes templo eiecit. Hæc enim omnia impudentissimè admittere iam*

Sacrilegium.

pridem cœperant,ut Iosephus testatur.

Ioan.1. Matth.3. **Circuncisio quidem.** Occupatio est eius, quod Iudæi obijcere potuerunt ad id,quod Paulus in præmißis uisus est tam paruifacere,cognominari Iudæum,habere legem &c. Etenim promiserat Deus Iudæis, se illis Deum futurum, habiturum eos uice peculij,& loco primogeniti.Et in huius signum,sanctificauerat eos sibi circuncisione, dederat legem,instituerat cultum religionis, quæ omnia circuncisionis nomine intelligit.Respondet itaq; Paulus,circuncisionem hanc non frustra à Deo institutam, sed utilem fuisse spiritalibus. Veritas circuncisionis in promißione spirituali erat sita, quæ fidem requirebat:non autem in illo signo pelliculæ scissæ.

Circuncisio.

Et iudicabit. Accusabit gentium innocentia & pietas, quæ legem Dei non audierunt,peruersitatẽ,atq; impietatem Iudæorum,qui uerbis legem iactabant, factis soluebant,accusatione eò grauiore,quò facta uerbis in accusando potiora sunt.Sic Dominus reginam Austri,& Niniuitas condẽnaturos prædixit gentem Iudæorum, eò quòd illi uerbum Dei suo loco habuissent,quod Iudæi repudiabant.Hoc loco per Enallagen rem pro persona usurpat,Præputium uidelicet pro Gentibus præputium habentibus.

Matth.12.d Luce 11.d

Ex natura est præputium. Id est,qui in ea conditione nati erant,ut non circuncliderentur.Soli enim de domo Abrahæ,& qui cum eis uiuebant,legi Mosaicæ obnoxij erant,

CONCILIATIO.

Prima. PAVLVS hoc loco tritam illam,& uulgatam sententiam scribens, Reddet Deus unicuiq; secundum opera sua, aduersari uidetur Ezechieli prophetæ 33.cap. dicenti, Impietas impij non nocebit ei,in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Si impietas impio conuerso non nocebit, non reddet unicuique secundum opera sua. RESPONDEO. Impietas impij sese ad Christum conuertentis uera fide, satis ulta est in morte illius,qui talem impium suo sanguine lauit.Propterea oblita est,& non imputatur pœnitenti propter magnam Dei misericordiam. Imo resurgenti à peccato, iustitiæ illius ante lapsum ab eo factæ non obliterarentur,tanta est Dei bonitas, quæ tamen non resipiscenti, sed in peccato è uiuis decedenti inutiles forent. Nihil igitur dißidet Ezechielis dictum à Paulo pronuntiante, Deum iustißimum redditurum operantibus iuxta opera.Quæ si bona permanserint,reddetur gloria,honor,& huiusmodi. Si mala,afflictio,angustia,& quæ his similima sunt.

Secunda. ADVERSATVR hic locus,Non est acceptio personarũ apud Deum, Esa.66. dicenti,Ad quem respiciam,nisi ad pauperculum,& contritum spiritu,& trementem sermones meos? FREQVENS est sententia in scripturis,quòd Deus personã minimè respiciat.Deuter.10. 2.Paralip.19.Esa.42.Galat.2.Ephes.6.Colos.3. 1.Petri 1. Re ipsa comperies,quòd non sit personarum respectus apud Deum,sed in quauis gente,qui timet ipsum,et operatur iustitiã,is acceptus est illi.Dicit enim scriptura:Omnis qui credit in eum, non confundetur. Et, Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quare Deus respiciens pauperculũ,seu humilẽ,& fidentẽ in Christum,non dicitur respicere personã:sed id respicit,cuius gratia retributio fiet.Nõ enim est distinctio uel Iudæi uel Græci.Nam idem Dominus omnium,diues in omnes inuocantes se.

Tertia. SI DEVS personam non accipit, Quid est quòd quosdam in suis peccatis relinquit,& alios ad se uocat? RESPONDET Beatus Thomas in hunc locum, Personarum acceptio opponitur iustitiæ: unde locum habet in his quæ dantur ex debito: quod attendit iustitia. Deus autem non ex debito, sed gratis peccatores ad pœnitentiam

tiam uocat.Si enim ex operibus,ut infra xj.cap.iam non ex gratia.In talibus autem beneficijs gratis datis, non solùm Deo, sed etiam homini liberum est dare cui uoluerit. Matth.20.cap.An non licet mihi facere quod uolo?

INVICEM aduersantur hi loci,Factores legis iustificabuntur: infra 3.cap.Ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro. RESPONDEO: Factores legis iustificantur,quia iam accepta iustificatione gratis,in operibus legis proficiunt,& merentur. Quæ merita sunt ab illa prima iustificatione(qua ex impio factus est pius)tanquam à radice, quæ ramos fructus producentes emittit. Aut iustificabuntur iusti, & à lege non accusati,tanquam legis transgressores coram Deo & hominibus. Non autem iustificantur operibus legis,seu primam illam gratiam, qua peccatum remittitur illis,non merentur.Quia hæc à Christo & non à nobis.Non enim ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos:sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

Quarta. Factores legis iustificari. Ad Titum 3.b

DICTIO.

DIES iræ peculiariter dicitur tempus iudicij uniuersalis.Quia in ultimo illo iudicio tota ira Dei in sceleratos accendetur, & ad plenum omnibus rependetur. Ista diuini iudicij periphrasis, dies iræ, dies afflictionis, dies ultionis in prophetis admodum frequens est.Esaie 13.22.34.61.63.Hieremiæ 17.30.46.Ioëlis 2.& passim.

Dies iræ.

GLORIA in sacris literis accipitur pro dignitate, uel præstantia: unde alicubi pro opibus accipitur,quibus cùm homines pollent, uidentur habere pondus dignitatis, esse præstantes, & eximij. Cùm quererentur filij Laban de Iacob,quòd opes suas parasset de opibus patris sui,dicebant:De eo quod patris nostri erat(ut habet alia translatio)fecit omnem hanc gloriam.Nonnunquam pro potentia:hinc dicebat Ioseph Genesis 45.fratribus suis:Nuntiate patri meo uniuersam gloriam meam.

Gloria.

CONTENTIO propriè est, cùm quis sine causa contradicit. Et in malam sumitur partem. Id uerò faciunt,qui aduersantur Euangelium. Tanta est enim Euangelij lux, ut se etiam inuitis conspiciendum ingerat, ut cum ei contradicunt, non sileat conscientia reclamans. Propterea uerè contentiosos existimauerim Pharisæos, Christo tum doctrina,tum operibus se filium Dei manifestanti,aduersantes.Contentionem Origenes scribit eum animi morbum esse,per quem omnia mala gerũtur, per quem factiones & schismata in ecclesia excitantur cùm quisq; sua commenta pro lege ingerit: quo deniq; in omnibus ueritati,& rectè monitis obsistitur.

Contentio.

INDIGNATIONEM quidam definiunt, ut sit exeandescentia modò nascens,& modò desistens.Omnino enim est animi commotio præter rationem.

Indignatio.

IRA est ultionis appetentia confirmatior.

Ira.

Omnes homines egent gratia Dei.

CAP. III.

Ampli⁹ Iudæo est?] habet in quo præcellat Iudæus?

Credita sunt illis] cõmissa sũt illis oracula.

Euacuabit?]faciet irritam?

QVid ergo amplius Iudæo est? Aut quæ utilitas circuncisionis? Multum per omnem modum.Primum quidem,quia credita sunt illis eloquia Dei.Quid enim si quidam non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Absit.Est autẽ Deus uerax,omnis autem homo mendax:sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudi-

Iudæos gentibus nõ esse excellentiores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

caris. Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat,quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus,qui infert iram?(secundũ hominẽ dico) absit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Si enim ueritas Dei in meo mendacio abũdauit in gloriam ipsius:quid adhuc & ego tanq̃ peccator iudicor,& non (sicut blasphemamur,& sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala,ut ueniant bona?quorum damnatio iusta est.

1.Timoth.1.c Verax deus. Ioan.3.d Psal.115.a Psal.50.

Iniquitas]Iniustitia. Secundũ hominem] humano more loquor. In meo mendacio abundauit] Per meum mẽdaciũ excelluit Adhuc] posthac. Blasphemamur.]de nobis male loquuntur.

Quid ergo. *Dicere poterant Iudæi:Si nihil,nullaue in parte Gentibus præstamus,quid opus erat eo symbolo circuncisionis à Domino signari?*

Primum. Primum quidem. *Primum hîc ordinẽ significat sermonis potius, quàm præcipuè. Subiunget enim Paulus multa Iudæorum prærogatiua usq; ad finem epistolæ, quæ non Iudæorum uirtutes,sed Dei dona declarabunt.*

Eloquia Dei. Eloquia Dei. *Dei promissiones, responsa, & oracula Iudæis credita sunt, & commissa. Sane uelut incomparabilis quidam thesaurus,oracula omnisq; lex Dei credita Iudæis,fuere dispensanda toti orbi. Nam per semen Abrahæ omnes gentes fuerũt benedicendæ: hoc est,reddendæ participes uitæ æternæ. Hac uoce* ELOQVIA *intelligit omne id,quod Deus cum sanctis suis locutus est,cùm promittendo,tum instituendo.his enim duobus constant omnia, quæ Deus per prophetas suos nobis exposuit, & sacris biblijs compræsa sunt.*

Fides Dei. Fidem Dei. *Fidem Dei hîc pro eo accipit,quod scriptura uocat Veritatem,quã Deus præstat in promissis suis. Paulus ostendit,promissionem gratiæ non fieri irritam, licet multi Iudæorum non crediderunt, & Christum interfecerunt: sed manere ratam omnibus, quicunq; credunt. Hic locus consolatur nos, ac monet, ne propter ingentem multitudinem impiorum suspicemur, promissionẽ gratiæ ecclesiæ factam, irritam esse: sed sciamus,uerè eam exhiberi credentibus,etiam si pauciss imi sint.*

Mẽdax homo. Omnis homo mendax. *Omnem hominem dicit mendacem,quòd ex se nemo hominum in bono perstet,rectiq; propositi,atq; promissi sit seruans.*

Vt. Vt iustificeris. *Probat Paulus Dauidis exemplo, nequaquam fidem Dei, & promissionem ob incredulitatem populi irritam fieri: sed ueracem illum semper remanere. Dicebat enim Dauid Deo:Tibi soli peccaui,ut iustificeris &c. ubi particula* VT, *euentũ rei,non causam dicit:id est,propterea factum est,ut dum uel mihi peccanti promissa seruas,uerax appares,ac iustus,uincisq; eorum impietatem,qui te ob mea peccata promissis non staturum mentiuntur. Beatus Ambrosius docet Deum in eo se ueracem*

Deũ iustificare quid est? Baruch 1. *declarasse,quòd Christum,ut pollicitus erat,miserit: Iudæos autem prodidisse se mendaces,illum reijciendo. Deum iustificamus, cùm Deum iustum pronuntiamus, ut dicamus, Tibi Domine iustitia,nobis uerò confusio faciei nostræ. Baruch 1. Quidam prælegit ex Psalmo:Tibi solùm pecco,& malum coram te facio,ut iustificeris &c. Id est, tantùm sum peccator,cognosco me nihil afferre ad te,nisi peccata. Posterior pars continet petitionem,& rationem petitionis. Ideo exaudias me, fretum non mea dignitate, sed tua promissione: ut appareat,te esse iustum,& seruantem promissa propter tuam ueritatem: & uincas cùm mundus te iudicat, & blasphemat, quòd non cures, & non exaudias homines. Pendent igitur promissiones non ex dignitate nostra, sed ex eo,*

quòd Deus est uerax.

Si autem iniquitas nostra. *Obiurgat Paulus illos, qui carnali iudicio, & diabolicis quibusdam calumnijs ingens beneficium Euangelij deformabant, dicentes: Si misericordia Dei amplificatur per hoc,quòd uiuificat indignos, & nihil nisi peccata afferentes: Item,si non sumus iusti propter nostras uirtutes, quorsum opus est benefacere? Item,quò plura peccata remittit misericordia,eò fit illustrior: Peccemus igitur, & faciamus mala, ut eueniant bona. Has obiectiones ex promissionibus malè detortis nunc tantùm abrumpit,quas infra sexto capite diluet.*

Secundum hominem. *Interpositio est,qua uidetur exprimere uoluisse,quàm impiè iudicemus, quando de rebus diuinis pro captu nostri ingenij iudicare nobis permittimus.*

Si enim ueritas Dei. *Repetitio est cum imitatione,qua & hominum hac in re taxauit impietatem,sibi permittentium de Deo loqui tam infanda: & quantopere ipse hasce illationes detestaretur professus,cùm dixit,Absit.*

Blasphemamur. *Male audimus,siue de nobis male loquuntur homines.*

Causati enim] Nã ante causis redditis ostendimus, Quisquam,]ne unus quidem,

Quid ergo? præcellimus eos? nequaquã. causati enim sumus,Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse: sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens,non est requirens Deum: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: nõ est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum,linguis suis dolose agebãt: Venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in uijs eorũ, & uiam pacis non cognouerunt. Non est timor Dei ante oculos eorum. Scimus autem quoniam quæcunq; lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, & prophetis. Iustitia autẽ Dei, per fidem IESV Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio.

Iudæi peccatores sicut gẽtes. Galat.3.d Psal.13.a Psal.5.c.13.b Psal.139.a Psal.9.c Esaiæ 59.b Psal.13.b Galat.1.d Opera. Iustificatio. Lex. Iustitia Dei.

Maledictione] execratione Infelicitas] calamitas

Quid ergo? præcellimus eos? *Observua sanctum artificium. Cùm excellentiam Iudæis assereret. Quid amplius Iudæo est? in tertia persona loquebatur: nunc uult omnia detrahere, ne proprio merito superbiant, seipsum numero admiscet, offensionem effugiens.*

Causati sumus. *Repetit quod dixerat,omnes sub peccato esse,dicens,Nõ præ-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cellimus Græcos, seu præputium: nam causis redditis ostendimus, omnes sub peccato esse: id est, omnes homines esse reos peccati, iræ Dei, & mortis æternæ.

Sicut scriptum est. Hactenus usus est rationibus Paulus: nunc argumentatur ab autoritate, quæ apud Christianos est firmissima probationis species. Scripturis, seu pronuntiatis, confirmat eadem: In homine uidelicet nullam esse Iustitiam. Loquitur de hominibus, quatenus ipsorum natura consideratur, nec intelligũtur per misericordiam reconciliati, In hoc testimonio magis sensum, quàm uerba Paulus recensuit. Primùm generaliter posuit, quæ esset summa eorum, quæ in homine esse à propheta referuntur: nempe, Iustum esse neminem. Postea enumerat per partes fœtus Iniustitiæ. Primum, quòd non sit intelligens, non est requirens Deum: id est, omnes contemnunt Deum, sunt sine timore Dei, & sine fide, propterea habent impias opiniones, & uanas. Nam uanus est homo in quo non subest cognitio Dei, quacunq; tandem eruditione aliàs præditus sit. Imò disciplinæ ipsæ, & artes, quæ per se bonæ sunt, dum hoc fundamento carent, uanæ redduntur. Omnes declinauerunt à recta uia in deuia iniustitiæ, & ob id inutiles & uani facti sunt. Additur: Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum: quo intelligitur, exuisse omnem humanitatis sensum. Ignorantiam enim Dei fere sequitur inhumanitas: dum unusquisq;, alijs contemptis, seipsum amat, & quærit. Sequitur: Sepulchrum patens est guttur eorum. Alluſit ad hominem, qui tetrum anhelitum ex corruptis spirat extis, & ad cadauer quod è sepulchro intolerabilem spirat odorem, transtulit metaphoram à corpore ad animum: uolens ostendere, non solùm hominem esse uoraginem ad homines perdendos, sed etiam hominẽ prorsus esse corruptum mente & animo. Cæterùm qualis mens, talis oratio: unde subditur: Linguis suis dolosè agebant: quo notatur hypocrisis, & decipiendi ars, & adulandi studium. Venenum aspidum sub labijs eorum: quo notatur calumniandi & obtrectandi studium.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: hic impios intelligit, qui si quid loquuntur aut crudele, aut calumnia, minæ, scurrilitas, uersutia, obscœnitas, aut mendacium est. Ista Paulus nobis omnibus accommodat, quatenus nondum renati sumus. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Sitibundi sunt sanguinis innocentis. Contritio, & infelicitas in uijs eorum: Immanis est eorum feritas, uastitatem & perniciem quoquò uersum secum trahunt. Vnde uiam pacis non cognouerunt: quia rapinis, uiolentijs, iniurijs, sæuitiæ, & truculentiæ assuefacti, nihil amicè aut benignè facere nouerunt. Additur totius negotij conclusio: Non est timor Dei ante oculos eorum. Quemadmodum timor Dei est frænum ad coërcendam nostram malitiam: ita si abest, in omnem uitiorum licentiam soluimur.

Scimus autem. Per legem hoc loco intellexit omnem scripturam sanctam. Sensus est: Quæcunque scriptura loquitur, ad eos maximè loquitur, quibus data est: data est autem Iudæis: ergo de ipsis maximè intelligenda, quæ superius citata sunt. Nam etsi fateantur se nosse Deum, factis tamen negant.

Vt omne os obstruatur. Id est, ut præcidatur omnis tergiuersatio, atq; excusandi facultas: metaphora à iudicijs petita, ubi reus si quid habet ad iustam defensionem, uices dicendi postulat, ut quæ sibi imposita sunt, purget. Si uero conscientia sua premitur, silet, ac tacitus expectat suam damnationem, suo iam silentio damnatus. Obturatum est enim os gentium ex his quæ primo capite, & ab initio secundi, contra illas disseruit: obstructo ergo his, quæ modo adduxit, etiam ore Iudæorum, obturatum planè est omne os, totusq; mundus factus Deo obnoxius, ita ut nemo hab

mo habeat quicquam, quod pro defendendo se adferat: sed compellantur singuli, siue Iudæi, siue Græci, seipsos condemnare, omnemq; iustitiam adscribere uni Deo, & sibi omne malum.

Et subditus fiat. Id est, fiat humilis, abiectus, inglorius, nec proprijs operibus iustificatus, & ope indigens aliena, hoc est, Dei gratia. Græcis est, ac si dicas, obnoxius & reus. Nam δίκη Græcis & crimen significat, & causam, & uindictam, siue pœnam, uelut obligatus ad pœnam. Itaque uoluit scriptura omnes concludere sub peccatum, ut omnium misereretur Dominus. Subditus.

Coram illo. Scilicet Deo. Emphasis est diuinæ maiestatis, & eius quòd omnis nobis salus eo constat, ut coram Deo iustificemur.

Nunc autem sine lege. Antitheton est Euangelij & Legis. Nam quod dixit sine lege manifestatam iustitiam Dei, reuelationem significauit Euangelij. sicut 1. cap. dixit in Euangelio iustitiam Dei reuelari. Sine lege: id est, non ex obseruatione legis reuelatur, sed per auditum fidei. Ad Galat. 3. Hoc solùm à uobis uolo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Iustitia Dei, scilicet qua iustificat nos: hoc est, acceptatio, uel remissio peccatorum, & imputatio iustitiæ.

Iustitia Dei per fidem. Dicitur iustitia Dei (ait Thomas in hunc locum) per fidem IESV Christi, non ut quasi per fidem meremur iustificari, quasi ipsa fides ex nobis existat, & per eam mereamur Dei iustitiam, sicut Pelagiani dixerunt: sed quia in ipsa iustificatione, qua iustificamur à Deo, primus motus mentis in Deum est per fidem. Hæc fides gratis à Deo Ephes. 2. Gratia enim saluati estis per fidem: & hoc non ex uobis, Dei enim donum est. non ex operibus, ut ne quis glorietur. Hanc fidem non præcedunt nostra opera. Fides. Ephes. 2.

In omnes, & super. Significat Paulus hanc salutem prorsus ad omnes pertinere credentes. Vt ergo iustificemur, causa efficiens est misericordia Dei: materia, Christus: uerbum cum fide instrumentum.

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. In sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: ut sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide IESV Christi. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis. An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & gentium? Immo & gentium: quoniam quidem unus est Deus, qui iustficat Circuncisionem ex fide, & Præputium per fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

Peccatores omnes.
Iustificatio.
Redemptio.
Remissio peccatorum.
Iustus.
Iustificatio.
Fides.
Deus Iudæorũ & gentium.
Lex stabilitur.

Propitiatorẽ] Reconciliatorẽ
Præcedẽtium] Præteritorum
In sustẽtatione Dei] Quæ tolerauit Deus,
Factorum?] Operum?
Destruimus] Irritã facimus
Statuimus.] Stabilimus.

Omnes enim. *Quia omnes sunt peccatores, non est distinctio. Nulla est alia obtinendæ iustitiæ uia, quàm per Christum.*

Gloria dei.

Egent gloria Dei. *Gloriam Dei uidetur hic dicere singularem præsentiam ac dignitatem Dei elucentem in uita diuiniore, hoc est, pia ac innocente: hæc locum habet coram Deo.*

Tria ad iustificationem nostrã cõcurrẽtia.

Iustificati gratis. *Obserua Paulũ hoc loco ter hac particula* PER *usum fuisse: Per gratiam ipsius, per redemptionem, & per fidem in sanguine. Vt intelligamus, cùm iustificamur tria maximè concurrere. Primas habet gratia, quæ est ex parte Dei, qui omnia sua gratuita bonitate agit. Deinde ex parte* IESV *Christi, iustitia redemptionis, proprius sanguis effusus & oblatus tanquam pretium redemptionis humanæ. Demum ex parte nostra fides, qua donati à Deo mouemur, innitentes morti* IESV *Christi. Perierant homines suo peccato, quorum miseriæ succurrit Christus: eò à prate traditus, & se fidelibus communicat, ut in seipso inueniant omnia quæ illis desunt. Gratis ergo misericordia Dei iustificamur.*

Quem proposuit. *Alludit ad tabernaculum uetus: ostendens, filium Dei esse, & fore omnium credentium salutem unicam, Act. 4. Hebr. 10. Proposuit, ut credamus in sanguine eius: id est, ut fidamus illi propter mortem eius, qua seruamur ab ira, & propitius nobis est Deus. 1. Petri 1.*

Per fidem in sanguine. *Quia per fidem in sanguine, (id est, qua innitimur morti Christi) applicatur nobis beneficium Christi, solum sanguinem nominauit: intelligens summam nostræ redemptionis. Tum sanguinem nominauit, in quo habemus nostrum lauacrum.*

Ostensio iustitiæ Dei.

Ad ostensionem iustitiæ. *Beatus Ambrosius ostensionem iustitiæ Dei exhibitionẽ promissorum eius interpretatur. Beatus Augustinus intelligit per iustitiã Dei, eam qua nos Deus induit & iustos reddit. Propterea ostensionem iustitiæ intelligit amplam huius communicationem. Vide Augustin. de spiritu & litera, cap. 9. Origenes per ostensionem iustitiæ in eo intelligit, quòd Deus hic peccata clementer tolerat, atque eo pacto ad resipiscentiã inuitat, in futuro cuiq; secundum merita sua repensurus. Planior tibi uidebitur sensus, si dixeris, Ostendit, & manifestat se Deus iustũ, tum quòd ad eluẽdam ueteris Adæ noxam proprio filio suo non pepercit, tum quòd hoc tempore Euangelij (qui tamen ad remissionem ueterum delictorum, quæ diu longanimis sustinuerat, ultionem dissimulauit) omnibus, uidelicet in infirmitate constitutis, iustitiam suam, seu proprium filium reconciliatorem, & propitiatorem ostendit, seq; iustum esse in ulciscendo, & iustificantem in condonando ei, qui in Christum credit.*

Lex fidei.

Sed per legem fidei. *Legem fidei uocat iustitiam Dei iustificantem homines. Vides ut Fidem (ait Theophylactus) Legẽ idcirco appellet, quia Legis hoc nomẽ apud Iudæos uenerationi habetur. Augusti. in Psal. 118. ait, Hæc est Lex fidei, qua credimus, & oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus, ne ignorantes Dei iustitiam & nostram uolentes cõstituere, iustitiæ Dei nõ simus subiecti. In lege itaq; factorum est Dei iubentis iustitia: in lege autem fidei, subuenientis misericordia. hactenus Augustinus. Aut, Lex fidei: id est, doctrina de fide docet gratis donari remissionem peccatorum per fidem in Christum.*

Legem ergo destruimus. *Augustinus libro de spiritu & litera, Per Legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ cõtra peccatum, per gratiã sanatio animæ à uitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberũ arbitrium iustitiæ dilectio,*

dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex nõ euacuatur, sed firmatur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat uoluntatem qua iustitia liberè diligatur. Omnia hæc quæ uelut catenatim connexui, habent uoces suas in scripturis sanctis. Lex dicit, Non concupisces. Fides dicit Psal. 40. Sana animam meam, quia peccaui. Gratia ait Ioannis 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Sanitas dicit Psal. 29. Domine Deus meus exclamaui ad te, & sanasti me. Liberum arbitrium dicit Psal. 53. Voluntariè sacrificabo tibi. Dilectio iustitiæ ait Psal. 118. Narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non ut lex tua Domine. Hæc Augustinus. Non destruit legem Paulus, qui prædicat factum, quod lex promiserat: eumq; nuntiat, in quem, ceu scopum, summa legis spectabat. Nam Rom. 10. finis, id est, perfectio legis, Christus, ad iustitiam omni credenti. Et Christus ait: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Exod. 20.c

CONCILIATIO.

PAVLVS *hoc loco manifestat omnes tũ Iudæos tum Gentiles sub peccato esse: qui tamẽ infrà 4. cap. ait, Vbi non est lex, nec præuaricatio. Et 7. cap. infrà, de se loquutus ait, Viuebam aliquando sine lege, cùm ad Philip. 3. affirmet se circuncisionem accepisse octaua die. Hæc reuera sibi inuicem pugnantiam habere uidentur.* IVDAEIS *lex Moysi, Gentibus lex naturæ uim habuit. Lex semper luxit tum Iudæis, tum gentibus. At quoniam frequens audis Paulum dicentem, quosdam sine lege esse, plane accipies illum intelligere sine lege scripta. Qui cùm dicit se aliquando sine lege fuisse, insinuat hominem fieri sub lege, quando eam consequutus est ætatem, & rationis usum, qua eligere, & discernere potest, quid sit lex emanans ab habente potestatẽ imponendi legẽ. Nec prius legis externæ ullius iugum suscipere potest, quàm internæ, & naturalis legis habere incipiat firmitatem. Quare cum se aliquãdo fuisse sine lege affirmat, ostendit pueritiam suã, in qua nõ cognouit quæ sunt legis, quod maximè expressit sequenti textu. Sed cùm uenisset mandatum, peccatum reuixit. Venit autem mandatum, aut lex alicui, cùm cœpit cognoscere, ac discernere bonum à malo, & contrà.* Concil. 1. Esse sine lege. Lex alicui uenire.

IN SPECIEM *pugnare uidetur hæc responsio, Nequaquam præcellimus: cum superiore, Multum per omnem modum. Quia nunc omni dignitate priuat eos, quibus multum antè tribuerat.* REVERA *nihil est dissidij: nam priuilegia illa, quibus eminebant, sunt in Dei bonitate, non autem proprio merito. Si ergo gratia Dei deposita sunt apud illos illa oracula nihil illis relinquitur, quo tanquam ex proprio merito gloriari, aut superbire possint in conspectu Dei. Quare quod postremò infert, nequaquam præcellimus Gentes: rectè & commodè respondet: ostendens tum Iudæos, tum Gentes coram Deo ex se nihil habere, quo glorientur: sed solùm peccatores, & gloria Dei indigere.* Concil. 11.

MAGNA *hoc in capite uidetur pugnantia, cùm ait, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Quomodo enim per legem testificata, si sine lege manifestata est?* RESPONDET *Augustinus libro de spiritu & litera, cap. 9. Sed iustitia dei sine lege est, quam Deus per spiritum gratiæ credenti confert sine adiutorio legis, hoc est, non adiuto lege. Quandoquidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad eius misericordiam iam per fidem confugiens sanaretur. Idem scripsit & contra Pelagium lib. primo, cap. 8. Quomodo, inquit, sine lege manifestata, sed sine lege iustitia: quia iustitia Dei est: id est, quæ nobis non ex le-* Concil. 111.

ge sit,sed ex Deo: non quæ illo operante cognoscendo timeatur, sed quæ illo donante diligendo tenentur:ut & qui gloriatur,in Domino gloriatur.hæc ille.

Quarta. PVGNANTIAM habere uidentur hoc capite, Iustificati gratis per gratiam ipsius:Et,Iustificati per redemptionem,quæ est in Christo Iesu. Nam si per redemptionem,ergo non gratis.Et si per gratiam,ergo non per iustitiam redemptionis. NIHIL pugnantiæ offendes in his, si diligenter ea conspexeris. Cùm scriptura explicat nos gratia Dei iustificari, nõ excludit iustitiam Dei,quæ est redemptionis in Christo Iesu, sed excludit iustitiam hominum.Redemptio enim facta per Christum uerum Deum, Iustitia Dei est,non iustitia nostra.Quare gratis iustificati sumus:id est,non ex meritis & operibus nostris.Licet & gratia Dei,& iustitia Dei sint causa nostræ iustificationis. Exhibitio enim illius iustitiæ Dei nobis fit gratuitò,imò gratia Dei est.

DICTIO.

Gloria Dei. GLORIA DEI, in sacris accipitur pro gratuita omnium peccatorum remissione:ut in hoc capite, Omnes peccauerunt,& egent gloria Dei.Aliquãdo dicit singularem præsentiam, ac dignitatem Dei elucentem in uita diuiniore: hoc est, pia ac innocente. Hinc cùm appareret Dominus uel Moysi uel populo in nube lucida speciéue ignis, cùm insigne aliquod miraculum ederet,dicitur in scriptura apparuisse Gloria Domini.Exodi.24.33.40.Leuit.9.Numeri 10.16.Ezech.3.& 4.& alibi.Et Exodi 29. capite,præsentiam suam ad tabernaculum fœderis pollicetur his uerbis:Ibiq; præcipiã filijs Israël,& sanctificabitur altare in gloria mea.Sanctificabo & tabernaculum testimonij,&c.Hinc capta arca fœderis, nurus Eli clamabat 1.Reg. 4. Translata est gloria 1.Reg.4. Domini de Israël,quia capta est arca Dei.Ex his uerbis facilè est uidere,manifestiorem Esa.60. numinis præsentiam, dici Gloriam Dei. Esaiæ 60. cap. Surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum,& gloria Domini super te orta est.

Absit. ABSIT: frequens est apud Paulum pro,Ne fiat,aut sit:Ne contingat,siue,Deus auertat,aut prohibeat.Est autem abominantis sermo.

Inferre. INFERRE. hoc loco,qui infert iram,est infligere.

LEX uis quædam est,ab alijs rebus auocans,ad alias impellens. Quicquid eiusmodi aliquid in se habet,& hominem quodam modo regit, Lex per metaphoram dici Lex mentis. potest.Sic uocat Apostolus infrà 7.cap.Legem mentis,rectam illam mentis præceptionem,sanctumq; uoluntatem.Et Legem in membris nostris,peruersam ad peccandum cu- Lex membrorum. piditatem,quæ membra nostra occupat.Ad eum modum dicit hic legem fidei,uim fidei, Lex fidei. quæ certè totũ hominem moderatur:agit enim quisq; secundum id,quod animo persuasus est.Et Legem operum,ipsam uim & existimationem ceremoniarum,& huiusmodi. Lex operum.

Causor. Causor:id est,rei gestæ causam affero,seu reperio,& excusationem adduco.

Subditus. Subditus non hic subiectus dicitur,sed ὑπόδικος,id est obnoxius,reus, ueluti ad pœnam obligatus.

Fides iustificat,non opera. CAP. IIII.

Fides Abrahæ. QVid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est,habet gloriam,sed nõ apud Genes.15.b Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Galat.3.a Deo,& reputatum est ei ad iustitiã. Ei autem qui operatur Iacobi 2.d

Gloriam, Iqđ glorietur, Reputatum] Imputatum. & infrà.

ratur,merces non imputatur secundum gratiam,sed secundum debitum. Ei uerò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus:Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir,cui non imputauit Dominus peccatũ. Beatitudo ergo hæc in Circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio: Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione,an in præputio? Non in circumcisione,sed in præputio.

Opera. Fides. Accepto fert] uel,imputat Psal.31.a Circumcisio. Genes.17.b

Quid ergo dicemus. Conclusio est ex præcedentibus, ac propositio sequentium:ut enim satis abundè probauerat Paulus,sanctos omnes,non ex operibus,sed fide in Christũ iustificari:ita iam euidentissimũ est,Abraham,& quælibet, iustitiã habuisse ex fide,& nõ ex operibus.Hæc adiectio SECVNDVM CARNEM, sententia Origenis,Chrysostomi & Theophylacti,cõiungitur cũ illo,quod dixit,PATREM NOSTRVM, erant enim carnales, non spiritales filij Abrahæ.Putatq; Chrysostomus Apostolum hac adiectione uoluisse tacitè Iudæorum arrogantiam retundere: qui Abraham secundum carnem modò haberent. Cùm ij (qui ex gentibus in Christum credunt)fide illum patrẽ nacti sint,cognatione multò præstantiore. Beatus Ambrosius coniungit uerbo INVENISSE, quod uerbũ significat interdum mereri, consequi scilicet aliquid ex eo,quod quippiã pro eo dederis,feceris,aut pertuleris:qui significatus quadrabit lectioni Ambrosianæ hũc in modũ pronũtiandæ:Quid dicemus Abrahã patrem nostrum inuenisse:id est,meritum esse, secundum carnem, id est,circũcisionem. Verùm inuenias hoc uerbum etiam pro quauis consequutione, etiam eorum quæ donantur,usurpatum:ut notat Budæus in commentarijs.Interrogationem more suo proponit hoc loco Paulus gratia euidentiæ,& confidentiæ exprimendæ. Facit ad lectionem Ambrosianam sequens particula causalis.Si enim,id est,nam si suopte merito iustificatus est Abraham,potest suo merito gloriari:sed non habet unde glorietur apud Deum, ut docuimus:ergo non ex operibus iustificatus est. Gloriationem uocat,cùm licet prætendere aliquid nostrum,cui merces in iudicio Dei debeatur.

Inuenire pro mereri. Gloriatio.

Quid enim dicit scriptura? Habet hæc interrogatio confidentiam ueritatis,quam adstruit,iustificationis mentionem faciẽs.Non meminit operum legis, aut circuncisionis,quæ non erat, sed fidei tantùm. Christus tamen Ioannis 8.capite, operum Abrahæ meminit,dicens,Si filij Abrahæ estis,opera Abrahæ facite.

Credidit Abraham Deo. Non hoc tantùm Paulus uult dicere, quòd Abraham Dei uerbis ceu expositæ fidem habuerit historiæ, assenseritq; :sed quòd se Deo uero commiserit,& sese totum illi crediderit.

Et reputatum est illi ad iustit. Credendo id accepit, ut Deus eum pro iusto haberet.

Ei uerò qui non operatur. Operãtem uocat, qui suis meritis aliquid promeretur

meretur,& operi innititur,& mereri uult:Non operantem,cui nihil debetur operum merito.Argumẽtatur autem à contrarijs,quomodo Deus non rependat nobis iustitiam ut debitam, sed acceptam ultrò ferat. Oppositа enim sunt Operari, & Non operari: Merces, & Gratia:Debitum, & Imputatio:hæc autem simul consistere nequeunt. Non dicit,qui contraria operatur: sed solùm negat merita operum: hoc est,& si impius nihil boni antea egerit. Qui tamen in Christum credit, adscribitur, seu attribuitur illi fides ad iustitiam. Hoc est quod suprà diximus ex Augustino, Fidem sine operibus præcedentibus iustificare. Et hoc confirmat ex Dauide, qui nulla operum facta mentione,asserit illum beatum esse,cui Deus accepto fert iustitiam:id est, quẽ Deus pro iusto habet, seu, cui Deus imputat & adscribit iustitiam. Iustitiam (ait Augustinus Psal.110.) homo non operatur, nisi iustificatus. Credens autem in eum qui iustificat impium,à fide incipit:ut bona opera non præcedentia,quod meruit: sed consequentia, quod accepit,ostendant. Et quia totum gratiæ Dei debetur,non meritis nostris, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Non in quibus non sunt inuenta peccata: sed quorum tecta sunt peccata. Si texit peccata Deus noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.

Non in circuncisione. Enallage,seu immutatio uocum est:usurpat enim rem pro persona: Præputium uidelicet,& Circuncisionem, pro Abraham præputium habente,& circunciso.

Circuncisio. Genesis 17.b

Et signum accepit circuncisionis,signaculum iustitiæ fidei,quæ est in præputio,ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam; & sit pater circuncisionis, non ijs tantùm, qui sunt ex circuncisione, sed & ijs, qui sectantur uestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, ut hæres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex,nec præuaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti, qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: qui contra spem in spem credidit,ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei, Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli,& arena maris. Et non infirmatus est in fide: nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam uuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia:sed confort

Pater credentium Abrahã.

Genes.13.b

Genes.13.d & 15.b

In præputio,] ante circũcisionem,
Qui sunt ex circuncisione,] Qui sunt Iudęi
Qui sectantur] Qui credunt

Lex. Promissio. Fidei iustitia.

Genes.17.a

Qui ex lege] uel qui ad legẽ pertinent,
Exinanita] Inanis facta est
Abolita] Irrita

Viuificat] Vitæ restituit
Tanquam ea quæ sunt:] tanquam sint:
Contra spẽ in] præter spẽ sub spe
In repromissione] uel ad promissionem

Confortatus] robustus factus
Plenissimè sciens,] certus factus.

cõfortatus est fide,dans gloriã Deo: plenissimè sciens, quia quæcũq; promisit,potens est & facere. Ideo & reputatũ est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatũ est illi ad iustitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit IESVM Christum dominum nostrum à mortuis,qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Cõsolatur nos Paulus.
Christus traditus propter peccata nostra.

Et signum accepit. Abraham accepit circuncisionem in signum pacti fœderis inter Deum & populum suum, hoc signo à gentili distinctum. Hoc, inquam, accepit, tanquam signaculum, characterem, notam, & insigne iustitiæ acceptæ in præputio, seu antequam esset circunciſus,ut per hoc insigne iustitiæ in præputio,declaretur non solùm pater omnium gentium credentium, sed etiam circuncisionis non carnalis, sed spiritualis: hoc est, circuncisorum habentium uestigia fidei, quam in præputio pater Abraham habuit. Aduerte: Fidei causa solemus obsignare,quod certum esse uolumus. Atque ad hunc modum obsignamus quod ad tempus sepositum,ac reconditum esse cupimus, suo loco depromendum. Alioqui uideri poterat Paulus bis idem dixisse, cum paulò ante dixisset SIGNVM, mox repetens SIGNACVLVM. Alterum est Græcis σφραγὶς, signum,quo aliud significatur. Siquidem iam tum carnalis illa circuncisio, typum gerebat Christianæ circuncisionis, quæ non aufert pelliculam à glande, sed amputat omnes noxias cupiditates à corde. Erat & Signaculum, quod ad tempus tegeret mysterium pòst aperiendum,uidelicet iustitiæ quæ confertur per fidem. Potest autem aliquid esse signum, quod non sit signaculum: ut, statua signum est, At annuli symbolum affixum syngraphæ signaculum est. Est autem in his duabus dictionibus appositio. Eadem enim res,dicitur signum quatenus declarat iustitiam ex fide, quæ erat in Abraham ante circuncisionem: & signaculum quatenus exemplo Abrahæ, omnibus credentibus promittebatur iustitia ex fide, sine circuncisione. Annotatum est hoc diligenter ab Origene.

Iu præputio.
Signaculum.
Signum.

Non his tantum. In hunc sensum interpretari uidentur patres: Qui non tantùm sunt ex circuncisione,sed etiam incedunt per uestigia fidei &c. Vt intelligas,non esse satis, Iudæum fuisse natum,ad hoc ut sis filius Abrahæ,nisi eiusdẽ ingrediaris uestigijs,id quod est filiorum. Ab hac lectione non recedit Origenis interpretatio, significans,ita demum Iudæos patrem habituros Abraham,si ad fidem pertinerent,quæ illi nondum circunciso,iusti nomen conciliasset.

Qui filij. Abrahæ.

Exinanita est fides. Promissio prior est, fides ad promissionis exequutionem spectat. Propterea auget inconueniens. Si ex lege esset hæreditas,euacuata esset fides (qua fiunt dicta) à ueritate:irrita esset promissio,qua dictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Tum quia nihil commune gentibus cum lege. Ex uocabulo Hæreditatis colligere licet quod ad institutum pertinet. Quæ hereditate obueniunt,gratis obueniunt: nam filij à parentibus non emunt. Obuenit autem iustitia hæreditate,ergo gratis datur. Item ad Galatas 3. Si ex lege est hæreditas,iam non ex promissione. Sed per promissionem donauit Deus Abrahæ:ergo non per legem.

Virtus fidei.

Genes.13.d

Lex enim iram. Id est, lex punit. Operari enim iram, est efficere uindictam.

Operari iram.

Hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc legis actionem probans subiungit, Vbi enim non est lex, nec præuaricatio: supple, imputatur ad pœnam. Quare tantum abest ut lex faciat compotes diuinæ hæreditatis, ut ea una deijciat: Nam ultionem adducit. Tum iustitia pacat: lex terret, ergo nō iustificat. Quod enim iustificat, pacat.

Semen. **Omni semini.** *Semen hîc posteros dixit, ex Hebræi sermonis proprietate.*

Non ei qui. *Quidam ait, apud Græcos* ABRAHAE, *uidetur Datiui casus, ut pertineat ad Pronomen* EI. *Id est, non solum ei Abrahæ, qui est ex lege peculiaris Iudæis: sed etiam ei, qui est ex fide communis omnibus gentibus: ut duos Abraham imagineris in uno. Etenim ut duos facit Adam, ita duos facit Abraham.*

Ante Deum cui. *Id est, coram Deo, cui credidit, siue ad instar & exemplum Dei, cui credidit, positus est pater, caput & origo sancti generis. Sensus Pauli est: Quemadmodum Deus non est Deus huius aut huius nationis tantùm, sed communis omnium: sic & Abraham pater omnium credentium. Disputant de eo, quod ait Dominus, Ego constitui te, quod idem ualeat, quod constituam. Sed Deo futura etiam præsentia sunt. Hæc nouissima debent legi per parenthesim. Quidam sic legit, qui est pater ante Deum, seu coram Deo, cui tu, ò gentilis credidisti.*

Qui uiuificat mortuos. *Videtur totum hoc esse explanatio eius, quod præmisit, qui est pater omnium nostrum, in hunc sensum, idq; instar Dei. Nam sicut Deus mortuos uitæ restituit, & exhibet uerbo præsentia, quæ non sunt: sic Abraham fide sua, se & uxorem quasi ex mortuis in uitam reuocauit, recuperata ui generandi, quæ per ætatem iam amissa erat, consequutusq; est filios; qui non solùm erant, sed etiam quicunq; ad finem usque mundi in sortem filiorum Dei assumentur. Vocandi uerbum more scripturæ pro suscitare, ad exprimendam magis Dei uirtutem, qui solo nutu quos uult erigit.*

Paranomasia. **Qui contra spem in spem cr.** *Elegans Paranomasia est quæ Latine Agnominatio dicitur, quum aliquod nomen ex alio in significatione distante conficitur. Plurimum ualet ad commendandam fidem Abrahæ, omni certe hominum opinione maiorem, & ad excitandum animos piorum ut admirandam hanc patris credentium fidem digne considerent, & suspiciant. Est autem hic locus, iucunda uocis eiusdem traductio, tum contrariorum inter se relatio, quasi dicas, Sperabat in rebus desperatis, & cum spes non esset, tamen sperabat, sibi diffidens, Deo fidens. Atq; ea demum Deo gratissima fiducia, quoties destituti nostris opibus, toti pendemus à Deo. Sic enim expeditè distinguit beatus Chrysostomus præter spem humanam in spe Dei. Spem autem Dei uocat, quam habebat in promissis Dei, credens se fore patrem multarum gentium.*

Roborari fide. **Et non infirmatus.** *Causæ erant ut fides Abrahæ infirmaretur: hoc tamen non est passus, sed magis est roboratus. Paulus firmam & infirmam fidem dicit, Dominus uerò in Euangelio paruam & magnam pronuntiat. Roborari, seu firmari fide, est ui spiritus sancti persuasionem promissionis, aut huiusmodi intendi, reddiq; pleniorem.*

Emortuam uuluam. *Id est, matricem (qua concipitur) effœtam & sterilem.*

Non est autem scriptum. *Hic locus egregiam affert consolationem. Spiritus sanctus noluit tantùm scripturis ostendere, quomodo Abraham duntaxat sit iustificatus: quin potius quomodo omnes homines iustificari possunt. Est enim Abraham pater, & exemplar omnium credentium. Sciant ergo homines sic se diligi, & iustos reputari, sicut testatur Deus se diligere, & iustificare Abraham: & quòd in illo propositi,*

posita sunt testimonia ueri & magni amoris: id eò factum est, ut sciamus, nos similiter diligi, & exaudiri.

Traditus est propter. *Rogabit forsan quispiam: Quo pacto acquisita est nostra salus? Respondet Paulus, Christus uolens traditus est Iudæis, & mortem uolens obiuit innocens & purus, interimens ueterē Adam, & se offerēs Deo pro nobis omnibus, etiā inimicis & peccato plenis: exauditusq; est pro sua reuerentia. At quum innoxius esset, & purus, detineri non poterat à morte & inferno. Quò fit, ut gloriosus & triumphans resurrexerit. Huius mysterij beneficiū concedit omnibus in se credētibus. Nempe hæc uiua fides applicatio est huius tanti beneficij mortis & resurrectionis* IESV *Christi. Quæ idem in nobis efficiunt: hoc est, à peccato liberant. Sed significatione diuersa uidentur: Nam mors Christi ostendit moriendum esse peccato, carni & concupiscentijs. Resurrectio autem indicat nouam creaturam in nobis, & ambulandū esse in nouitate uitæ, in qua ambulantes afflamur spiritu illo diuino: hoc est, spiritu Christi. Christo enim adhærētes, Christo incorporamur, ipsi uiuimus, eius membra sumus: ipse caput est nostrum, dans nobis uitam & iustificationem nostram, cuius uim & efficaciam sequenti capite Paulus explicabit. Aut morte percussus est, ut in persona peccatoris peccati miseria defungeretur, & pretium pro peccatis esset: quia Deus uoluit aliquam uictimam pro peccatis, nulla placuit, nisi hostia filij. Resurrectione autem in uitæ regnum exaltatus est, ut iustitiam ac uitam suis largiretur.*

CONCILIATIO.

QVAE *hic Paulus dixit, Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Et præcedente capite, Arbitramur enim iustificari hominē per fidem sine operibus legis: pugnantiā habere uidētur cum his quæ Iacobus secundo capite dicit, Abraham pater noster non'ne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Et sequitur, Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter & Raab meretrix non'ne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia uia eijciens?* PVGNANTIA *nulla est. Duæ sectæ olim erant: Prima confidentium in operibus, ut quæ (sententia eorum) sufficerent ad iustificandum. Secunda confidentium in fide, nihil opera curantium. hanc confutat Iacobus apostolus, illam Paulus. Et tu (si spiritu sapis) neq; in fide, neq; in operibus, sed in Deo confide, & primas partes assequendæ salutis à Deo, fidei uiuæ, quæ per dilectionem operatur, tribue ex Paulo: et opera fidei adiunge, ex Iacobo. Sunt enim opera signum uiuæ & fructiferæ fidei. At carentia operum, signum fidei otiosæ, & emortuæ, & contraria opera, ut fœtor quidam horribilis ex mortuo dudum cadauere iam exhalans. Quòd si diligenter consyderaueris Iacobum, agnosces Abrahā ex fide, non præcedentibus operibus illius fidei (quæ donum Dei est, non ex operibus, ut ne quis glietur, Ephe. 2.) iustificatū. Et suppleta est scriptura dicēs (ait Iacobus) Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Vide quomodo iustificationem est consequutus ex fide, quæ quoniam otiosa esse nequit, Corint. 13. ideo ipsius fructum & ramos opera dicit. Sed quia ex his Abraham iustificatum pautò ante dixit, accipiēda est iustificatio (ut docuimus primo ca. huius epistolæ in Dictione) pro ea, qua iam accepta fide in iustitia, seu iustificatione proficimus: & iam per fidem gratis iustificati, rursum iustificamur. id est, amplius iusti efficimur. Quod maximè nobis expressit Ioannes Apoc. 22. cap. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Hæc opera meritoria sunt, non ex dignitate operum nostrorum, sed ex gratia Dei illis coniuncta,*

Concil. 1.

Iof. 6. d. & 1. 2. Duæ sectæ olim de fide & operibus.

& ex

& ex benignitate Dei, ita nobiscum pacisscentis. Et ut paucis absoluam in uno eodemq; facto beati Abraham, Iacobus operum eius magnificentiam, Paulus fidei constantiam laudauit. Nec tamen disparem, diuersamq; Iacobo protulit Paulus sententiam. Sciebāt enim ambo quia Abraham & fide & operibus erat perfectus, & ideo quisq; eorum in eo magis uirtutem prædicauit, qua suos auditores amplius indigere perspexit. Legito uenerabilem Bedam in 2. cap. Iacobi.

Concil. 11. HAEC SENTENTIA, Ei uerò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium &c. pugnantiā in se habere uidetur, Quî fieri enim potest, Credat quis non operans: Credens amat, fit igitur ut amando operetur. RESPONDEO, Hoc loco Paulum nihil aliud persuadere, quàm fidem hanc, qua iusti efficimur, non esse ex aliquo opere nostro præcedente, & hāc fidem efficiente. In hac fide docuimus in dictione primi cap. primum motum bonum esse liberi arbitrij à Deo, & non ab opere, & merito nostro. Quare fides hæc datur etiam non operanti, qua accepta iustificatur. Vide scholiam supra.

Concil. 111. QVOMODO Paulus asserit Abraham neque considerasse corpus suum emortuum, neque hesitasse diffidentia, cum Geneseis 17. dicatur, Abraham audita promissione filij ex Sara, cecidit super faciem suam, & risit, & dixit in corde suo, Nunquid centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Ex his facile conijcere licet Abrahamum tum consyderasse, tum hæsitasse. ABRAHAM ab initio illius reuelationis non perceperat reuelationem esse assertiuam: propterea animo reuoluit, disceptauitq; (adsit reuerentia uerbo) de impedimentis naturæ tam in se, quàm in Sara. Sed consyderans, quàm potens esset Deus, dicens, Verè Sara uxor tua pariet tibi filium, neq; cōsyderauit, neq; hæsitauit, sed statim credidit. Quare dictum Pauli refrendum est ad tempus completæ reuelationis. Aut dicito: Non hæsitauit diffidens de promissione Dei, sed apud se cogitabundus erat de modo cōceptus: sicut Virgo non dubitauit de his quæ angelus Gabriel nūtiauit, sed solicita fuit de modo conceptus dicens, Quomodo fiet istud? quoniam uirum non cognosco. Et respondens Angelus, &c.

Luce 1.

DICTIO.

Dare gloriam Deo. DARE gloriam Deo, in scripturis idem ualet, quod, Deferre Deo debitum honorem. Cum sorte diuina deprehensus esset Acham ille filius Charmi, Iosue 7. qui tulerat de anathemate Iericho, dictum est illi, Fili mi, da gloriā Deo Israēl, & confitere: id est, Defer honorem Deo, & agnosce eum sorte hac sua uerum: & sicut is sorte sua te manifestum fecit, ita fateare te illum esse, qui de anathemate sustulit. Ad eundem modum cum sacerdotes Philistinorum consulerent satrapis suis, 1. Reg. 6. cap. arcam Dei cum muneribus remittendam in suum locum, dicebant, Et dabitis Deo Israēl gloriam, hoc est, agnoscetis uirtutem eius, debitumq; honorem deferetis. Abraham hoc loco dedit gloriam Deo, hoc est, promissionibus diuinis non diffidit, sed ueracem eum in illis credidit, etiam contra spem humanam in spe Dei promittentis.

Accepū ferre. ACCEPTVM ferre, est, pro accepto habere quod non acceperis: quæ apud Iureconsultos uocatur Acceptilatio. Accepto fert, hoc loco, id est, imputat, siue acceptum fert.

Emortuus. EMORTVVM hic uocat effœtum, ne quis eum iam cadauer fuisse putet, sed inualidum senio, non simpliciter, quoniam ex Cethura filios postea sustulit, sed hactenus emortuum, ut citra opem diuinam non posset gignere ex anu & uetula prouecta ætate.

Fide

Habeamus] Vel habemus

Fides. Pax. Gratia. Ephes. 2. d

Iacob. 1. a

Patientia. Probatio. Spes. Charitas Dei. Hebr. 9. d 1. Pet. 3. e.

Confundit] Pudefacit

Vt quid enim] Nam

Fide, spe & charitate filij Dei constituimur. CAP. V.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrū IESVM Christum, per quē habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autē: sed & gloriamur in tribulationibus: scientes, quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio uerò spem: spes autē non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori.

Iustificati. Incipit Apostolus ab effectis illustrare id, quod de fidei iustitia hactenus asseruit.

Pacem habeamus. Quidam legunt, Habemus: insinuantes pacem primū esse iustificationis fructum. Alijs placet Habeamus: quasi dicat Paulus, nequaquā ultrà precandum, quin potius pacem cum Deo conciliemus, & uitam hanc ita degamus, ut illum oblectet: hoc fiet, si sequamur mandata eius. Sequemur autem ducem IESVM Christo, carnis & mundi tyrannidis uictore, nobis opem simul & operam præstituro. Qui si formur. Is enim accessus est ad patrem. Christus ergo non abs re dicitur accessus, seu aditus, uia, & ostium ad patrem. Pacem uocat serenitatē conscientiæ, quæ ex eo nascitur, quòd Deum sibi reconciliatum sentit. Non ergo dubitandum de remissione peccatorū: quia hic textus inquit, Pacem habemus. At conscientia dubitans non habent pacem: oportet igitur fide erigi mentes contra dubitationem.

Christus accessus noster ad Deum patrem.

In gratiam istam. Gratiam uocat conditionem istam filiorum Dei, quæ per Christum contingit: seu, gratiam iustificationis, quæ in Christo iacet.

In qua stamus. Dubium est, an QVA relatiuum referat gratiam, an spem. Beatus Ambrosius uidetur ad fidem referre, cùm ait, Christus enim est arbiter Dei & hominum, qui nos doctrina sua erigens, sperare fecit donum gratiæ Dei, stantes fide eius. Ideo stantes, quia prius iacuimus: credentes autem erecti sumus gloriantes in spe claritatis quam promisit Deus nobis.

Et gloriamur. Iste est fructus iustificationis in nobis, gloriamur in spe uidendæ gloriæ Dei. hæc gloriatio non solùm gaudium illud & animi exaltationem, qua cœlestem illam gloriam certò expectamus significat: sed etiam hilaritatem & animi alacritatem, qua iam gaudemus de tali spe habita per IESVM Christum: ut cohæredes & consedentes nos iam aliqua ex parte in cœlestibus agnoscamus. Imò iactantiam quandam & commendationem magni nominis, quòd tantæ domui & familiæ adscribimur. Aut gloriam intelligit communicatam diuinitatem, ueram & magnificam præsentiam Dei, ut supra docuimus. Pulchrè dixit gloriæ Dei (ut quidam legūt) absq; genitiuo filiorum. Gloria Deo est promissa largienti. Cùm enim promissa eueniunt, efficiunt eum

Gloriatio nostra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui promisit celebriorem, glorificantq;.

Non solùm autem. Occupatio est. Obijceret aliquis fortasse per ludibrium, Christianos hìc cum sua gloria mùris modis uexari & conteri, quæ conditio longè abest à felicitate. Respondet, non tantùm nihil impediri pios calamitatibus, qui minus glorientur: sed eorum quoq; gloriam expressuris promoueri. Vbicunq; enim profectus est salutis, illhic non deest gloriandi materia. Tametsi mundus iudicat, afflictiones esse signa iræ Dei: tamen pij, & fideles sciunt esse signa bonæ uoluntatis Dei: & obedientiam in afflictionibus esse nouum cultum Dei. Re ipsa ergo gloriam habemus non tantùm speratam, sed præsentem. Quæ est illa? Afflictiones pro fidei defensione.

Tribulatio. **Tribulatio patientiam.** Tribulatio patientiam operatur, si tribulatio ipsa (ait Ambrosius) motum non patiatur infirmitatis, aut dubitationis. Hæc gloriatio in afflictionibus est fructus iustificationis. Donec morimur hæc uita est perpetuum certamen, & caro subiecta est afflictionibus, ut reliquiæ peccati mortificentur. Necesse est sciamus, nos non affligi casu, sed certo Dei consilio: non ut Deus nos perdat, sed ut reuocet nos ad pœnitentiam, & ob id afflictiones esse signa bonæ uoluntatis Dei in nos. Item intelligamus, indignationem & impatientiam esse peccata. Quare opus est obedientia Christiana, & inuocatione, qua auxilium petimus & expectamus, iuxta illud Psal. 80. In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, exaudiui te in abscondito tempestatis.

Probatio. **Patientia autem probationem.** Scriptura uocat probationem eam exlorationem qua Deus immissis aduersis uelut periculum facit, & sumit experimẽtum de fide suorum: de quo Psal. 66. Probasti nos Deus, igne examinasti nos, sicut examinatur argentũ. Similia habẽtur Hieremiæ 2. Zachariæ 13. & multis alijs locis. Quæris quare ista sanctorum examinatio & exploratio fit? Reuera fit, ut cùm ipsi, tum alij certius cognoscant, & quàm nihil sint ex se omnes mortales, & quãtis à Dei bonitate donentur. Beatus Ambrosius causam, cur gloriãdum sit in tribulationibus, hãc scribit esse: Quia tribulatio augmentum faciat præmij: Sicut non cedere malis, spe futurorum, magni meriti est. Index enim fixæ spei tribulatio est, quæ testimonium perhibet ad coronã. Hinc itaq; tantò plus accepturum se credit Christianus, quàtò in tribulatione se uiderit fortiorem. hæc Ambrosius. Patientia Christiana est obedientia, quæ præstatur propter Deum in aduersis: ad quam accedit fides, spes, & expectatio auxilij.

Confundere. **Spes autem non confundit.** Id est, non pudefacit, aut pudore afficit, aut non frustratur sperantem. Gradatione utitur Paulus hoc loco multum faciente ad iucunditatem orationis. Vide Augustin. de doctrina Christiana 4. cap. 7.

Effundere. **Quia charitas Dei.** Diffusa, id est, effusa: ut intelligas largiter effusam. Eleganti usus est metaphora effusionis, in qua est exuberantis diuinæ dignationis significatio. Ad id enim solet effundendi uerbum in scripturis trãsferri. Esaiæ 44. cap. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam. In quo tamen etiam fœcunditas significata est. Ioël. 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Idem apud Zachariam 12. cap. Hæc charitas Dei diffusa in cordibus nostris, est dilectio, qua diligimus Deum: & donũ Dei est, cũ quo datur & nobis spiritus sanctus, imò seipsum nobis dat merito IESV Christi, qui ascendens in altum dona dedit hominibus. Et, Ego si abiero, mittam ad uos spiritũ paracletum. Colligamus ex his, Spes non confundit, quia promissio est certa, & rata, in qua apprehendimus dilectionem Dei erga nos.

Ioan. 16. b

Vt quid

Vt quid enim. Ad quid enim: supple, ne spes confundat. Amplificatio est, quæ colligit signa, & testimonia, quòd Deus nos diligat.

Cùm adhuc infirmi. Hanc partem SECVNDVM TEMPVS, alij ad nostram infirmitatem, alij ad mortem Christi referunt, qui idoneo tempore, & à patre præscripto, mortem oppetijt. Ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit. In hac sententia sunt Origenes, Ambrosius, & Theophylactus. Si referatur ad infirmos, mitigat quod dictum est, quasi infirmitas illorũ tempori sit imputanda, quo nõdum apparuerat gratia Euangelij. Et hoc ex more Pauli esse uidetur, ut tẽporis rationem infirmitati & impietati nostræ tribuerit. Lystrensibus eum Lucas Act. 14. cap. dixisse scribit: Annuntiantes uobis, ab his uanis cõuerti ad Deum uiuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et ad Athenienses Act. 17. cap. Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant. Et ad Ephesios 2. de hoc eodem infirmitatis tempore ait, Propter quod memores estote, quòd aliquando uos, qui gentes eratis in carne, qui dicebamini præputiũ, ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manufacta, qui eratis illo in tẽpore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Item in eadem epistola cap. 3. De mysterio Christi, quod in alijs ætatibus non innotuit. Ergo quod ait, SECVNDVM TEMPVS, uidetur hunc sensum in se habere: Cùm adhuc tempus esset ignorantiæ, cùm annus gratiæ nondum illuxisset, & nos Deo adhuc alieni essemus, Christus morte sua ignorantiam istam & cæcitatem depulit, diemq; salutis exoriri fecit: ut à tempore, in quo tenebræ impietatis omne humanum genus oppresserant, nostram miseriam grauiorem fuisse ostendat: indeq; redemptionis nostræ beneficium faciat augustius. Infirmitatis tempus.

Vix enim pro iusto. Amplificatio est à comparatione. Si quis iure mortem demeritus est, uix patienter feret. Nam pro aliquo magno bono, & magna aliqua utilitate cõsequenda, forsan se aliquis ausit morti opponere. Addit FORSAN, nam eos qui pro patria & pro amicis legũtur se in certam mortem obtulisse, ut Curtius, Decij, Codrus, Philenij fratres, & similes, eos plurimum etiam tanti nominis gloria impulit. Sed fac ut nihil detur gloriæ, sed solus amor patriæ uel amicorum obijciatur: quotus (quæso) reperitur, qui hoc solo ductus amore, mortem oppetere uoluerit? Ne unus quidem offendetur: tantum abest, ut pro inimico lubens mortẽ oppetierit: quod fecit Christus, qui flagrantissimo amore pro nobis tum impijs, tum inimicis sanguinem fudit, mortem uolens subijt. Iustum & bonum, per Heterosim, rem iustam & bonam significat. Origenes utroque modo edisserit, pro iusto uiro, & iusta causa.

Secundũ tẽpus mortuus] Qui tertia die resurrexit

Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam si cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in uita ipsius. Non solùm autem: sed & gloriamur in Deo per dominum nostrum

Charitas Dei in nobis.

Mors Christi uita.

Gloriatio in Deo.

Adam & Christus cõferũtur.

stum IESVM Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Propterea sicur per unum hominem peccatũ in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputanatur, cùm lex non esset: sed regnauit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.

Commendat. *Confirmat Deus, id est, certißimam, ac solidißimam erga nos charitatem suam declarat, quòd impiorum causa Christo filio nõ pepercit. In hoc enim apparet eius in nos dilectio, quòd amore non prouocatus, sponte nos prior dilexit, ut ait Ioannes.*

Si enim cùm inimici. *Declarat superiorem sententiam argumento à comparatione uitæ & mortis sumpto. Cùm Christus se medium opposuit ad propitiãdum patrem, inimici eramus: nunc sumus amici per eius reconciliationem. Si morte id effici potuit, uita multò erit potentior & efficacior. Ista sunt, quæ salutis fiduciam animis nostris confirmant.*

Non solùm autem. *Non solùm autem, subaudi, gloriamur in tribulationibus,* Reconciliatio. *sed etiam gloriamur, quòd Christus omnino pro nobis mortuus est, quum impij essemus. Reconciliationem hoc loco assertionem dicit, qua nos Deus in libertatem asseruit, qua item per Christum Deo patri irato antehac nobis, recõciliati sumus. Propterea gaudemus & gloriamur, qui ex impijs & inimicis per Christum amici facti sumus. Non gloriamur, nõ placemus propter propriam dignitatem, sed in Deo gloriamur: hoc est, sentimus nos habere gloriam, ac iustos esse per misericordiam Dei propter Christum.*

Propterea sicut per unum. *Hic locus uidetur desumptus ex Geneſis 3. cap. Dixit enim Dominus, Quacunq; die comederis ex hoc ligno, morieris. Edit autẽ, ergo mortuus est, non utiq; corporaliter, ergo iuxta animam: quamuis & suo tempore mors quoque corporea sequeretur. Huc uidetur spectare Pauli consilium, ut causas peccati abducat, imò & uniuersum genus humanum sub mortem concludat, in hoc ut uitam nõ nisi ex unico speraremus Christo. Nam ut Adam prima sua creatione tam sibi, quàm posteritati, diuinæ gratiæ dotes acceperat: sic à Domino excidendo naturam nostram in seipso corrupit, uitiauit, deprauauit, perdidit. Abdicatus enim à Dei similitudine, semen nisi sui simile gignere non potuit.*

In quo omnes peccauerunt. *Ne quis uel insanus, iniustitiæ insimulet Deum, quòd ob Adæ delictum nos moriamur, ait, In quo omnes peccauerunt: perinde quasi dicat, Ipse quidem principium præbuit & causam: peccauimus & ipsi nos. Aut peccauimus in Adam tanquam in massa: ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato. Per hunc intrauit peccatum in mundum, non solùm imitatione, sed etiam propagatione, id est, per carnis originem uitiatam. Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*

Vsq; ad legem enim. *Quatenus lex uiguit, uiguit & peccatum. Dubitari poterat:*

terat: An ne ante legem, seu Moysen, esset peccatum. Ideo respondet Paulus, non absolui peccati damnatione eos, qui ante legis promulgationem sceleratè ac flagitiosè uixerunt. Semper enim fuit Deus, cui cultus deberetur: semper fuit aliqua iustitiæ regula. Sensus est, Vsq; ad legem: id est, etiam cùm lata est lex Mosi, tamen mansit peccatum. Lege enim neq; peccatum, neq; mors tollitur.

Peccatum autem non imputab. *Peccatum ipsum hic dicit, quod ex præuaricatione Mosaicæ legis, eiusq; præceptorum constet: qualia sunt, Oportere circuncidi, Sabbatum sanctificare, Hæc deinde manducari, ab illis uerò temperari. Nam peccatum cuiusmodi est Furtum, Raptus, Homicidium, & huiusmodi, ipsi humanæ naturæ cùm cognitum erat, tum imputabatur. Huius rei testes sunt, Cain, Lamech, Sodomitæ, & similes. De hisce nanq; peccatis lex erat cordibus hominum insculpta. Sunt quibus placet Paulum uoluisse exprimere hoc loco quid peccatum ante legem ualuerit. Dixit ergo, illud fuisse in mundo, hoc est, totum occupasse mũdum, omne hominum genus sine discrimine, usque ad id tempus quo lex Hebræis data est. Et cùm ait, Peccatum autem non imputabatur: uidetur occupatio cogitationis huiusmodi. Quomodo peccatum erat in mundo, cùm nulla esset lex, contra quam peccaretur? Respondet ergo Paulus: Erat omnino peccatum in mundo: sed fateor publicè non imputabatur, non arguebatur, non puniebatur: maximè omne peccatum, & illa peccatorum radix Concupiscentia contra Deum uerum regnabat plenè, & nemine solidè contradicente, obtinebat animos hominum, eoq; mors regnabat in omnes usque ad Moysen. Nam lex illa naturæ, quæ alioqui peccato reclamat, cum nulla externa legis admonitione fulciretur: propter innatam quandam uim libidinũ et deprauatarum opinionum assultum, sic oppressa erat, ut homines iam absque ullo pudore in quoduis se flagitium, & scelus præcipitarent, atq; adeò in his obbrutescerent, ut omnem Dei reuerentiam, iudiciiq; diuini metum animis prorsus excuterent. Iam ut Paulus Epheſ. 4. capite, dicat: Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à uita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Beatus Aug. lib. de Nuptijs & concupiscentia, 2. cap. 27. & contra Iulian. lib. 6. cap. 2. Istud* NON IMPVTABATVR, *intelligit de imputatione legis, quæ solidam peccatorum cognitionem in hominibus excitat.*

Etiam in eos qui non pecc. *De infantibus & paruulis hic locus uidetur intelligendus, qui nullius peccati actualis rei originali uitio pereant, ut confirmet primam propositionem Paulus, Omnes esse sub peccato. Dicit mortem regnasse etiam in eos qui non peccauerunt secundum similitudinem transgressionis Adæ: id est, infantes etiam morti subiectos esse, tametsi non habeant actualia peccata. Si enim infantes sunt subiecti morti, ergo habent quoddam peccatum, quia mors intrauit per peccatum in mundum. Est igitur aliud peccatum, præter actuale, quod uocant originale.*

Qui est forma futuri. *Quia sicut Adam origo est mortis nostræ, ita Christus nostræ uitæ: & sicut proprio Adæ peccato, uel sine ullo nostro proprio demerito morimur, ita per Christi gratiam sine ullo nostro proprio merito iustificamur.* FORMA, *per similitudinem: quia sicut Adam est caput & uir Euæ, ita Christus caput & sponsus ecclesiæ. Sicut in Adam omnes generati, sic in Christo omnes regenerati. Sicut Adam de terra uirgine, & non maledicta, sic Christus de Maria uirgine*

benedicta. Origenes & Ambrosius scripserunt, iuxta genus constare similitudinem, iuxta speciem constare dissimilitudinem & repugnantiam. Vt ab Adam quiddam dimanauit in omnes, ita & à Christo: hîc genus est. Cæterum ab illo mors & peccatum, ab hoc innocẽtia & uita: hîc species est. Non desunt, qui aiunt, dictionem FVTVRI, *absolutè sumi neutro genere, ut referatur non ad posteriorem Adam, seu Christum: sed ipsum peccatum quorumlibet imitantium parentem Adam. Is enim fuit exemplum peccandi posteris.*

Donũ & gratia Dei.

Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis IESV Christi in plures abundauit. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex uno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iustificationem. Si enim unius delicto mors regnauit per unum: multo magis abundantiã gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in uita regnabunt per unum IESVM Christum. Igitur sicut per unius delictũ, in omnes homines in condemnationem: sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Sicut enim per inobediẽtiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionẽ, iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit, ut abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia: ut sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in uitam æternam, per IESVM Christum Dominum nostrum.

Iudicium] condemnatio. Ex uno] peccato.

Iustitia Christi

Obedientia.

Lex.

Gratia. Vita æterna.

Sed non sicut delictum. *Tres collationes eleganti ordine se consequentes Paulus exprimit. Ex prima simpliciter ostendit Apostolus beneficiũ Christi plus præstare ad seruandũ nos, quàm potuerit peccatum Adæ ad perdendum nos. Sed nõ adeò efficax est delictum Adæ, ut donum Dei. In altera explicat, in quo beneficium Christi plus præstiterit ad salutem, quàm peccatum Adæ ad perniciem. Nempe quòd Adam per unum peccatum plurimos perdidit, Christus autem non ab hoc uno tantùm, sed ab omnibus peccatis liberat, adducens ad iustificationem & perfectissimam & plenissimam. In tertia declarat quanta sit hæc iustificatio, & quid conferat: id scilicet ut sancti regnent in uita, hoc est uita Dei fruantur iure plenissimo, & possessione certissima, atq; consummatissima: quia in æternum. Huius loci uidebitur fortassis explanatior interpretatio: Quia Christus Adamum superat: huius peccatum, illius uincit iustitia: huius maledictio, illius obruitur gratia: ab hoc mors profecta, illius uita absorbetur.*

Nam iudicium quidem. *Augustin. de nuptijs & concupisc. ad Valeriũ lib. 2. cap. 27. palàm asseuerat, Ex uno, supple peccato, sentiendum: non ex uno, supple homine. Vt respondeat ad id quod sequitur, Gratia autẽ ex multis delictis. Vt intelligamus unum*

unum peccatum sufficisse ad condemnationem uniuersi generis humani: gratiam autem unam ad uniuersa peccata delenda. Idem adfirmat aduersus Iulianum Pelagianum, lib. 1.

In condemnationem. *Supple, mors peruenit.*

In iustificationem. *Supple, gratia peruenit. Itaq; sicut per unius delictum irrepsit peccatum ad condemnationem, ita per unius iustitiam ingressa est salus ad iustificationem omnium. Communem omnium gratiam facit: non quòd ad omnes extendatur re ipsa. Nam etsi passus est Christus pro peccatis totius mundi, atq; omnibus indifferenter Dei benignitate offertur: non tamen omnes apprehendunt.*

Sicut enim per unius. *Explicat primum hominis peccatum seu lapsum, unde malum uenit in omnes homines ad condemnationem. Tum quid hoc ipsum malum sit, quod à primi parentis peccato cunctos mortales inuasit. Et ait, Lapsum illum fuisse primi hominis inobedientiam, malum autem hoc, eam peccati communionem, qua meritò condemnantur omnes, quippe peccatores. Per unius, inquit, inobedientiam (ecce lapsum unius hominis) peccatores constituimur multi (ecce peccati communio). Hanc uerò peccati communionem Adam posteris subministrauit: quia occulta tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe uenientes. Hæc ex Aug. lib. 1. de meri. & remiss. cap. 9.*

Constituti multi. *Multi, perinde ualet hoc loco, atq; Omnes.*

Lex autem. *Quia dixerat superius, ante publicatam legem peccatum fuisse iustitiæ transgressionem: dicet aliquis, Quorsum igitur opus lege? Respondet: Lex obiter irrepsit ut abundaret delictum. Coniunctio ἵνα, id est, ut: non est posita hîc, ut rationem reddat: uerùm ut quod accidisset indicaret, posuit hîc, iuxta proprietatem linguæ pro consequens. Non enim in eum finem sancita est lex ac data, ut peccatum faceret abundare: uerum data est, ut nos seruet, & erudiat. Atqui non obseruata auxit peccatum, non quòd per propriam naturam peccatum augeat, sed per socordiam eorum, & transgressionem, qui ipsam non obseruant.*

Superabundauit & gratia. *Vehementer, ac supra modum abundauit. Non enim à peccatis nos tantummodo liberauit, sed innumera etiam bona largita est. Quò magis eminet & æuit peccatum, hòc magis elucet eius beneficium, qui a peccato liberauit.*

Vt sicut regnauit peccatum. *Peccatum, regis instar, Mors uerò militis, & ministri in morem fuit. In morte, id est, per mortem, regnauit: hoc regnum expugnatur & deijcitur, regnante gratia per iustitiam in uitam æternam. Quod regnum tum est, cùm nos spiritus Christi totos tenet, ac ita fructibus iustitiæ implet, ut dicere possimus, Non uiuo iam ego, uiuit uerò in me Christus. Hoc regnum Dei & Christi est, & aduenire quotidie, & augeri precamur: idq; regnat, per Dominum nostrum IESVM Christum. Origenes putat sub mortis nomine diabolum posse intelligi. De morte tamen corporali interpretatur, disputans de Enoch à morte subducto. Beatus Ambrosius putauit ad animi mortem referendum sensum.*

CONCILIATIO.

CVM PAVLVS ait, Iustificati ex fide pacẽ habemus ad Deũ: uidetur aduersari Christo dicenti, Non ueni pacẽ mittere, sed gladium. RECTÈ distinxerũt qui duplicem pacem tradiderunt, externam uidelicet, & internã. De interna hic loquitur Prima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus,quæ est animi & conscientiæ tranquillitas. Est & quædam bona pax externa, quæ est bonorum consensus & cõcordia. Est & alia,quæ est impiorum securitas nihil ueritatis nomine uolẽs pati,& uoluptates amans: hanc Christus se daturũ suis negat.

Secunda. PAVLVS asserens sanctos gloriari in afflictionibus,non uidetur adhærere multis locis sacræ scripturæ, pronuntiantibus, sanctos magna animi ægritudine queri & tristari. Matth.26.cap.Tristis est(ait Christus)anima mea usq; ad mortem. Lucæ 22. Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum: Et factus in agonia, prolixius orabat:Et factus est sudor eius,sicut guttæ sanguinis decurrẽtis in terram. Et in cruce

Psalm.21.a. clamabat, Deus Deus meus,ut quid dereliquisti me? In his nihil gloriationis uidetur esse. Huiusmodi multa sunt suspiria, multæ tribulationes uirorum sanctorũ apud prophetas & psalmos expressæ. AD hæc respondet beatus Tho.in Matthæum: Quia tristitia inest ex hoc quòd caremus eo, quod naturaliter amamus. Anima naturaliter uult uniri,& istud fuit in anima Christi.quia comedit & bibit et esurijt. Ergo separatio erat contra naturale desyderium.Ergo separari erat ei triste.Sed refrendo mortẽ ad finem,Christus in parte superiore gaudebat.hæc Thomas.Aut si mauis dicito: Hominis cognitio à sensibus uenit: horum apprehensionem sequitur cupiditas,& affectatio,uel fuga,& depulsio, secundum quod res apprehensa sentitur naturæ nostræ consentanea,uel dissentanea:Istam uerò appetitionem & auersionem à sensibus ortam consequuntur reliqui affectus. Et iuxta hanc appetitionem(quæ naturalis est) est quædam tristitia, quæ est in Christo & sanctis membris eius. Sed quia ratione & pollemus & excellimus,quæ de ijs(quæ naturæ nostræ amica uel inimica sunt)altius iudicat,ut sæpe utile id esse,& expetendum deprehendat:Quod quia dolorem infert corpori,sensibus iudicatur inutile, & fugiendum: sequitur autem rationis iudicium sua appetitio, & detestatio: accidit sæpenumero ut à quibus appetitus sensus abhorret, ea uoluntas iudicium rationis sequuta unicè expetat,& in eis glorietur. Gloriãtur iuxta rationem & spiritum in afflictionibus,quas sensus & caro fugiunt.

Tertia. PAVLVS hic se peccatoribus, ac impijs, Dei hostibus adnumerans, Quoniam (aii)cum adhuc peccatores essemus secundum tempus,&c. sequitur, Si enim cùm inimici essemus,&c.aduersari uidetur ei,quod ad Galat.secundo ait, Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. NIHIL pugnantiæ offendes in his locis, si agnoueris, Paulum hìc se annumerasse inter peccatores, seu ex massa illa peccatrice ex Adæ peccato. Sed Galatis scribens, uult se Iudæum ostendere, & non gentilem peccatorem,seu non idololatria ductum,ut gentilem. Cùm ergo se inter impios & peccatores adnumerat, ostendit conditionem in quam natus erat, & in qua uixerunt maiores eius, priusquam à Deo in populum sanctum eligerentur. Consyderauit item se hoc loco in ea sorte & conditione, in qua omnes sumus, ante perceptum fructum mortis Christi. Præcipuè sese inter peccatores adscribit, ut Romani, & alij qui hæc legerent, eius exemplo inuitati preßius intuerentur, atque agnoscerent plenius, ex quanta essent perditione, per Dominum IESVM Christum erepti. Quòd autem sese talem agnouerit,manifestum est ex 2.ad Ephes.3.Ad Titum,1.primæ ad Timot.1. & alijs pluribus locis.

Concil.IIII. ECCLESIASTICVS capite 25.dicens, A' muliere initium factum est peccati:& per illam omnes morimur:aduersatur Paulo hìc enuntianti,Per unum hominẽ peccatum in hunc mundum intrauit.Et,In quo omnes peccauerunt. HVNC unum hominem beatus Ambrosius intelligit Euam,cui nomen Adam, id est hominis, æquè ut uiro

uiro tribuitur. Origenes Adam uirum intelligit, nam etsi per Euam peccatum cœperit,ut quæ primùm seductioni Satanæ cesserit, uiro tamẽ tribuitur in scripturis successio.Peccatũ autem cum successione in orbem propagatum est.Qualis iam erat Adam, ubi legem Dei transgressus est,peccato captiuus,tales genuit posteros. Quid autem si per unum hominem,utrunq;, uirum & mulierem intelligamus, sicut scriptura utrunq; coniunctim Adam,id est hominem uocat? Creauit(inquit)Deus hominẽ,masculum & fœminam creauit eos:una quoq; caro sunt. Ab hac sententia non recedit Beatus Aug. lib.1.de peccatorum meritis,& remißione,contra Pelagianos cap.16.parte 7. Sic & in Ecclesiastico, ait, scriptum est: A' muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur.Siue autem à muliere,siue ab Adam dicatur,utrunq; ad primum hominem pertinet. Quoniam sicut nouimus mulier ex uiro est, & utriusq; caro una est. Vnde & illud, quod scriptum est: Et erunt duo in carne una. Igitur iam non duo(inquit Dominus)sed una caro.hæc ille.

RESPONDERE non uidetur, imo plurimum dißidere locus hic Pauli, Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors,& ita in omnes homines mors pertransijt. ab eo qui scribitur 1.Ioan.3. Qui facit peccatum, ex diabolo est,quoniam ab initio diabolus peccat.Et Sapientiæ 2. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. PAVLVS hic loquitur non de quouis peccati principio, sed eo quod etiam propagatione uim peccati transfudit: id uerò Adam,non diabolus præstitit.Nam facit primum Adam ad eum modum esse hominibus autorem peccati,sicut est Christus iustitiæ. Atqui Christus iustitiam confert non exemplo tantùm, uerùm etiam conferendo occultam uim sui spiritus. Consequens ergo est,ut Paulus Adam dixerit peccati corruptionem,transmissa in posteros suos peruersa cupiditate, propagasse. Augustinus ait, Si Paulus de sola imitatione & non propagatione dicere uoluisset, certè dicendũ ei fuisset, Peccatum in orbem, non per primum hominem, sed per diabolum uenisse. Sed per primum hominem ait peccatum in mundum uenisse: Fit igitur,ut propagatione inuectum sit per Adam.Simul ergo uerum est,per diabolum peccatum in orbem uenisse,& per primum hominem: sed per illum exemplo tantùm & suasu: Per primum hominem præterea etiam propagatione prauæ concupiscentiæ. Legito August.lib.1.de peccatorum meritis & remißione,cap.9.septima parte operum eiusdem.

Concil. v. Peccati propagatio in posteros.

QVOMODO Paulus hoc loco ait, Commendat autem charitatem suam Deus in nobis:Quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus,Christus pro nobis mortuus est. Cùm Psalmo 5.dicatur, Odisti omnes qui operantur iniquitatem.

Concil. vi. RESPONDET Augustinus in Ioannem tractatu 110. parte nona, hunc in modum: Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam cùm inimicitias aduersum eum exercentes operaremur iniquitatem. Et tamen ei uerißimè dictum est, Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem. Proinde miro, & diuino modo,& quando nos oderat diligebat. Oderat enim nos quales ipse non fecerat, & quia iniquitas nostra opus eius non ex omni parte consumpserat, nouerat simul in unoquoque nostrum, & odisse quod feceramus,& amare quod fecerat.Meritò quippe odit,& uelut à regula suæ artis alienum improbat uitium: amat tamen suum,etiam in uitijs,uel sanationis beneficium, uel damnationis iudicium. Ita & Deus, nihil odit eorum quæ fecit, naturarum enim non uitiorum conditor,mala quæ odit ipse non fecit,& de malis eisdem,uel sanando ea per misericordiam, uel ordinando per iudicium, bona sunt ipsa quæ fecit. Facit

adhæc quod Sapientiæ 11. scribitur: Nihil odisti eorum quæ fecisti Domine. Vide Augustini locum præscriptum.

Conci. VII. BEATVS Iacobus simili gradatione, qua hîc Paulus est usus, aduersatur ordini Pauli, dicens, 1. cap. Probatio fidei uestræ patientiam operatur: hîc dicitur ex patientia esse probatio. RESPONDEO. Diuersa uerbi acceptio intellecta utrunque conciliabit. Paulus enim probationem accipit pro experientia, quam de eo certa Dei protectione sumunt fideles: ubi eius auxilio freti, omnes difficultates superant: nempè dum patienter ferendo consistunt stabiles, experiuntur quantum ualeat domini uirtus, quam pollicitus est suis semper affuturam. Iacobus eandem uocem usurpat pro ipsa tribulatione iuxta communem scripturæ usum, quia per eas seruos suos probat & examinat Deus, unde & tentationes sæpè dicuntur.

DICTIO.

Infirmus. INFIRMVM ex quauis impotentia Paulus uocat. Sic qui ijs destituuntur, in quibus mundus potentiã consistere iudicat: ut sunt, opes, dignitates, sapientia, eloquentia, & huiusmodi, eos uocat infirma mundi. 1. Corinth. 1. hac aiebat se infirmum esse, Corinthios robustos. 1. Corinth. 4. Infirmos fide uocat, qui imbecilla persuasione amplexi sunt quæ in Christo nobis commendantur. Infra 14. primæ Corinth. 8. Vita & conuersatione qui spiritu nondũ satis corroborati cedunt prauis affectibus. 1. Thess. 5. Traditiones Moysi appellat infirma elementa mundi, quia nullam iam haberent uim ad promouendam pietatem. Hîc nos infirmos dicit, quia nulla penitus pietatis uirtute subnixi fuerimus. Nam mox impios dicit, & peccatores.

Iustum bonum. IVSTVM & bonum hoc loco, ut multis placet, non personam aliquam significat, sed rem, hoc est ipsam iustitiam & bonitatem, ut sit neutri generis, non masculini. Quemadmodum putat diuus Hieronymus in epistola ad Algasiam, quæstione septima. Origenes utroq; modo edisserit, pro iusto uiro, & iusta causa. Ambrosius diuersum sensum sequitur, ad personam referens iusti uocabulum.

Mors & resurrectio Christi, figura nostri. CAP. VI.

Non seruiendũ peccato. QVid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato.

Galat. 3. d
Hebr. 11. a
1. Pet. 1. a
Ephes. 4. e
Colos. 3. b
Christo Iesu, in morte] Christũ Iesum, in mortem.
Vetus homo.

Quid ergo dicemus? *Antequam Paulus collationem de lege & gratia doceat, inserit occupationes, & diluit quædam absurda.*

Qui

Qui enim mortui sumus. *Argumentũ est à priuatiuè oppositis. Nihil enim eidem rei potest simul mortuum esse, & uiuere.*

Peccato. *Datiuus est: Mortui sumus peccato, in Christum credentes. Quoniam dum baptizamur, profitemur nos mundo esse mortuos, atque peccato & diabolo nos reluctaturos.* Si PECCATO, *ablatiuus est, sensus est, Qui per peccatum mortem incurrimus, quomodo adhuc uiuere in eo uolumus? Ipsi peccato morimur, quando illi morem non gerimus. Videtur hîc Paulus peccatum accepisse pro innata quadam concupiscentia & deprauatione nostri ingenij, seu naturæ corruptæ, incitantis & mouentis nos ad malum: cui quando non obedimus, eidem morimur: morem autem gerentes, uiuimus.* Peccato mori.

An ignoratis. *Ab effectu baptismi, quo initiamur primùm in Christianam fidem, intentionem suam probat, scilicet, nos ipsi peccato mortuos esse: admonens nos eorum quæ in baptismo recepimus. In mortem, seu morte (quod idem est) Christi baptizamur, quia baptismate ita Christo incorporamur, ut iam mors eius in nobis ualeat, omneq; peccatum perimat. Mortis huius consummationem exprimit Apostolus per uerbum sepelitionis: idemq; ei est, baptizari in mortem, & baptismate in mortem cum Christo sepeliri. Etiam si baptismus non sit corporalis mors: peccatorum tamen est & mors, & extinctio. Baptisma enim in nobis eum obtinet locum, quem crux ipsa & sepultura in Christo. Ille nanq; carni, & mortuus est, & resurrexit: Nos uerò peccato morientes, uirtuti sumus resurrecturi: ut quemadmodum Christus carni surrexit à mortuis, per gloriam patris, hoc est, per suam diuinitatem (gloriam enim patris Paulus Christi diuinitatem appellat) sic & nos per aliam quandam surgamus resurrectionẽ, hoc est, per uitæ nouitatem. Sic & mœchus aliquis, & lasciuus cùm fit continentior, etsi mortuus fuerat, resurrexisse dicetur confecta ac expulsa nequitia, & excitata uirtute. Hoc ergo dicit Paulus, Quòd mors Christi efficax est ad nequitiam carnis nostræ extinguendam, ac profligandam: Resurrectio ad suscitandam melioris naturæ nouitatem. Quare in mortem Christi baptizati estis, & consepulti: id est, propter mortem Christi habetis remissionem.* Baptismi uirtus. Gloria patris.

Si enim complantati. *Hoc est, si insititij, & participes sumus mortis Christi: aut maximè coniuncti Christo. Paulus hoc loco exprimit regenerationẽ hac uoce Cõplantati, seu Insiti: quæ aliàs similitudine ab arboribus ducta, Plantatio & Transplãtatio nostri dicitur. Hæc nobis cõtingit, dum nos palmites & rami inserimur uiti cœlesti & diuinæ Christo* IESV *dicẽti, Ego sum uitis uera, et uos palmites. Præterea adlusit Paulus ad insitionem plantæ, quæ respondet communioni corporis Christi. Quẽadmodum surculus decerptus è sua arbore, particeps fit humoris eius arboris cui inseritur: ita qui per baptismum, Christi corpori inseruntur, consortes fiunt bonorum illius. Quidam obseruat præpositionem* CVM *in dictione Complantati, pertinere ad Iudæos & gentes simul in unum Christum collectos. Nam si insiti sumus in similitudinem mortis Christi: illa autem resurrectione non caret, ergo nec nostra sine resurrectione erit,*

Simul & resurrectionis. *Bifariam accipi potest, Resurrectionis erimus: id est, pertinebimus ad resurrectionem. Aut erimus complantati similitudini resurrectionis eius. Hæc connexio, mortis & resurrectionis, tam unita est & compacta, ut cohæreant & consequantur mors hæc & resurrectio. Quæ multis locis commendatur à Paulo,* 1. Corinth. 15. 2. Corinth. 5. & Coloss. 2. & 3.

Vetus homo noster simul. *Id est, uita cõdemnata, simul crucifixa est Christo per*

Vetus homo. sto per baptisma. Vetus homo, fomes peccati, & ueteris Adæ reliquiæ, similiter corpus peccati, hic & ad Ephesios 2. & Coloss. 2. dicitur uitiositas, in quam nati sumus: uel congeries peccatorum. Condēnatus est in carne, peccati stimulus, occisusq; est in Christo. Transijt autem ab ipso, & per ipsum, ad nos gratia. Ergo uetus homo noster, id est, ipsa concupiscentia, crucifigenda est, hoc est, fidei claua pulsanda, comminuēdaq; est, ne loris disruptis effuso cursu in uitiorum procurrat campum: ibiq; per omnis generis uitia, flagitiaq; grassetur.

Vt destruatur corpus peccati. Hoc est, ut exhauriatur ipsum corpus peccati temperantia, uigilijs, ieiunijs, precibus, studio uirtutum. Vocat corpus peccati, non carnem & ossa, sed massam ipsam. Homo enim naturæ propriæ relictus, massa est ex peccato conflata, indigens gratia Dei. Hæc acceptio & usus frequens est in scriptura: unde dicimus, Corpus diaboli, pro ipso diabolo. Et Coloss. 2. In Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: id est, reuera ipse Deus. Aliàs enim neq; diabolus, neq; Deus, qui spiritus est, corpus sunt.

Mori peccato. Viuere Deo.

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autē mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam uiuemus cum Christo: scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quòd enim morruus est peccato, mortuus est semel: quòd autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos existimate, uos mortuos quidē esse peccato: uiuentes autē Deo in Christo IESV. Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs eius. Sed neq; exhibeatis membra uestra, arma iniquitatis peccato. Sed exhibete uos Deo, tāquam ex mortuis uiuētes, & membra uestra, arma iustitiæ Deo. Peccatum enim uobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia.

Dominabit.] dominatur.

Qui enim mortuus est. *Iustificatus hoc loco accipitur pro absoluto & à seruitute uindicato. Ab effectu, seu proprietate mortis argumentatur: Si mors omnes uitæ actiones abolet: nos, qui peccato mortui sumus, ab eius actionibus cessare oportet, quæ durante sua uita exercebat.*

Si autem mortui sumus. *Si mors à Domino nostro* IESV *Christo ita deuicta est, ut nihil ei iuris unquam in illum esse posit: nec in eos mors iuris aliquid habebit, qui mortis Christi participes sunt, & in quibus Christus uiuit. Sed Christus communicauit mortem suam omnibus in se credentibus, & uiuit in eis. Nihil ergo iuris in illos habebit mors. Repetitione ista, Non moritur, mors illi non dominabitur: uoluit Apostolus exprimere, quàm nihil amplius posit mors in Christum.*

Mortuus est semel. *Id est (ut quidam interpretantur) penitus mortuus est peccato, seu destruxit peccati regnum, quod cruci suæ affixit. Quicquid enim ad abolendum peccatum requirebatur, Christus id omne ita semel præstitit, ut peccato nihil debeatur, uiuit itaq; iam æternum Deo. Aut dicito, Sicut semel mortuus nūquam ad mortalitatem*

talitatem redijt: ita semel peccato mortui, nunquam redire ad illud debemus.

Non ergo regnet. *Exhortatio est ad uitæ innocentiam, quæ consequitur ex doctrina, quam tradidit Paulus de nostra cum Christo participatione. Causæ multæ hìc à Paulo exprimuntur, propter quas fugiendum est peccatum, & totis uiribus illi repugnandum. Prima est à collatione fœditatis. Vtique & fœdissimum, & perniciosissimum fuerit, ipsi peccato regnum in uos permittere: id est, summam potestatem habere. Hæc ratio significata est his duabus uocibus Regnare, & Peccatum. Secunda, ab effectu peccati, qui mors est. Hanc notauit Paulus dicens, In mortali corpore. Tertia est à collatione nostræ dignitatis, & fœditatis cupiditatum peccati. Quid enim fœdius, quàm obedire concupiscentijs peccati, id est, morbis animi, deprauatis affectibus? Hæc ratio nititur illo, Vt obediatis concupiscentijs eius, hoc est fœdissimis & pernictosissimis deprauatæ naturæ motibus. Quarta ratio est à libertate arbitrij. Qui compos sui & membrorum suorum est, ad ea utique illa exhibere debet, quæ ipsi & honesta, & utilia sunt. Ad bonum enim fertur omnis uoluntas, electio, actio. Peccatum autem in se cōplectitur quicquid turpe & noxium est: Ergo non cedendum est peccato. Hæc ratio indicatur in uerbo Exhibete. Quinta ratio est à collatione dignitatis nostræ cum fœditate iniustitiæ. Nā si exhibemus membra nostra peccato, facimus ea arma iniustitiæ, quæ tamen à Deo ordinata sunt, & creata, ut sint arma iustitiæ. Hæc ratio inest in his uerbis Membra uestra, arma iustitiæ. Sexta ratio à collatione peccati & Dei, Hoc est, æternæ mortis, & æternæ uitæ. Nam cùm dixisset Apostolus, Nolite exhibere membra uestra peccato: opponit, Sed exhibete uos ipsos Deo. Vtq; magis exprimat quanto studio nos addicere debemus, cùm dixisset, Nolite exhibere membra uestra peccato: non dixit, Exhibete membra uestra Deo, ut forma antithesis posceret uidebatur: sed ait, Vosipsos, utique totos. Septima est à præstātia doni Dei, quod in Christo collatum est: ut cùm propter peccatum mortui essemus, nunc uiuamus donati uita Dei. Caueamus igitur à uita in mortem per peccatum relabi. Hæc ratio in eo continetur, Tanquam ex mortuis uiuentes. Octaua ratio est à splendore iustitiæ, cuius arma facimus membra nostra, cùm illa Deo exhibemus, & addicimus ad omnem sanctimoniam, ad quam & à Deo facta sunt. Hæc ratio exprimitur in uerbo, Et membra uestra, arma iustitiæ Deo. Considera, Apostolo nullum uerbum otiosum esse, nullum propè apiculum non suum argumentum habere.*

In mortali uestro corpore. *Mortali corpore, Epitheton per se notum, nec tamen otiosè positum. Per corpus enim peccatum (à quo mors) uires accipit.*

Sed exhibete uos Deo. *Liberum arbitrium, & uires eius exprimit. Superest tantùm uestra opera. Soli uestræ damnationis causa efficiemini: si paratam uobis gratiam contempseritis. En audite dicentem, præstoq; uobis esse qui clamore interno per spiritum clamat, Ego sto ad ostium foris, & pulso. Quid iam exposcitur faciendum, nisi uos ipsos non ex parte, sed totos exhibere ipsi pulsanti? Quoniam non sumus sub lege, denuntiante tantùm peccatum: (neque cui sicut alteri, qualis qualis illa fuerit lex, uim & potentiam suam non alligauit Christus: imò iuxta legis uigorem nobiscum non agit Deus) nec enim ea ornata est uirtute, qua nos liberare posit: sed sub Christi gratia, quæ & commissa flagitia condonat, & quæ in futurum excubias canit, si modò non torpeamus. Aut sub gratia, id est, sub misericordia, acceptante uos propter Christum.* Liberum arbitrium.

Arma iustitiæ. *Vox est uehemens. Infrà 13. cap. uocat arma lucis, qua appellatione studium & cōtentionem exprimere uoluit. Nam omnino præliandum est, etiam*

summa

summa contentione, aduersus concupiscentias, quæ perpetuum bellum gerunt aduersus spiritum.

Lex. Gratia. Ioan. 8. d

2. Pet. 1. d

Serui iustitiæ.

Quid ergo? peccabimus quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quoniam cui exhibetis uos seruos ad obediendum: serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Gratia autem Deo, quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ, & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc uerò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uerò uitam æternam. Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, uita æterna in Christo IESV Domino nostro.

In quã] in qua estis instituti Traditi] traducti

Membra seruiant Deo.

Liberi iustitiæ.] id est, nihil ei seruiebatis.

Mors. Serui Dei. Vita æterna.

Gratia] Donũ

Quid ergo? *Sed carnis sapientia perpetuò aduersus Dei mysteria obstrepere: necessariò subijcit hanc prolepsim, seu præassumptionem, & præoccupationem, quæ tam absurdam quæstionem peccandum esse, destrueret, diluereq;.*

Peccabimus quonian non. *Paralogismus est, à non causa, ut causa. Nam peruersum illud iudicium, peccandum esse, non sequabatur ex prædicatione Apostoli.*

Cui obeditis. *Obedientia uestra testatur illum cui obeditis habere ius præcipiendi. Ergo si peccato obeditis, peccati serui estis. Quòd si uos serui, ergo penes ipsum est dominium.*

Siue obeditionis ad iustitiam. *Metonymia est, Obeditionem, siue obedientiam accepit pro Dei mandatorum obseruantia: his adiungit gratiarum actionem, non pro eo quod fuerunt, sed quod esse desierunt. Vnde addit: Obedistis inquam ex animo, id est, cõsensistis in eam doctrinæ formam, in quam estis traducti. In quam obsecro? certè in Euangelicam, quæ tradit pœnitentiã, uitæq; innocentiã. Vnde liberati, & manumissi à peccato, serui facti estis iustitiæ, id est, iustitiæ dedicati estis, & libertate Christiana donati, ad Galat. 5. In libertatẽ uocati estis, tantũ ne libertatẽ in occasionem detis carni.*

Humanum dico. *Id est, tenue quid, & exiguum, & uestræ infirmitati conueniens. Humanum more dico, quòd uoco uos seruos iustitiæ: ut illius seruus dicatur ille, cui obedierit, etsi seruire Deo regnare est. Ego rem à uobis exigo facilem, qui maiorem possem: Saltem tantum iustitiæ præstetis, quantum immũditiæ præstitistis. Tandiu præstate Deo obsequium, quandiu peccato obtemperastis. Hac loquendi figura mitigare solet Paulus si quid durius dicere uidetur, aut inconsyderatius (adsit reuerentia uerbo) secundum*

secundum hominem loquor. Huiusmodi figura loquendi est 1. Corinth. 10. 2. Regum 7.

In sanctificationem. *Hoc poscit Dominus Leuit. 19. Sancti estote, quoniã & ego sanctus sum. Ad hanc sanctificationem perficiendam, quia ad id Dominus nostra opera uti decreuit, hortatur nos Paulus 2. Corinth. 7. Has ergo habentes promissiones charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Quem ergo fructum. *Hac interrogatione urget propriam conscientiã, quã eo testificari sibi facit, quum subijcit, In quibus nunc erubescitis. Est enim Erubescẽtia testimonium animi sibi malè consci, & hac de causa dolor quidam. Pij simul atq; illuminari incipiunt Christi spiritu, & euangelij prædicatione, totam uitam præteritam quam extra Christum egerunt, damnabilem libenter agnoscunt: ac tantum abest, ut conentur excusare, ut potius eos sui pudeat. Quinetiam hanc ignominiæ suæ recordationem perpetuò in animum reuocant, quò sic pudefacti, uerius ac propensius coram domino humilientur. Tandem à fine apertius indicat, quantum erubescere debeant, cùm intelligant se fuisse in præcipitio mortis, & ruinæ propinquos: imò iam mortis portas ingressos, nisi Dei misericordia retracti essent.*

Erubescentia.

Habetis fructũ uestrũ. *Quemadmodũ duplicẽ peccati finẽ antè proposuit, ita nũc iustitiæ. Peccatũ in hac uita malæ cõscientiæ cõfusionẽ affert, deinde æternã mortẽ. Iustitiæ præsentẽ fructũ colligimus sanctificationẽ, in futurum speramus uitã æternam.*

Stipendia enim peccati, mors. *Conclusio est, & quasi epilogus sententiæ, quæ proximè præcessit. Stipendia, id est, salarium peccati, est mors æterna. Sed gratia, id est, donum Dei, est uita æterna: quæ nõ nostro merito nobis contigit, aut nostra uirtute, sed ex gratia in Christo IESV: id est, per Christum IESVM Dominum nostrum. Nam filij iustitia induti, Deo reconciliamur, & spiritus uirtute in sanctitatẽ regeneramur. Ergo ex gratia IESV Christi beatitate donamur.*

CONCILIATIO.

CVM CHRISTVS potestatem habuerit uitæ necisq; suæ, ut pro sua uoluntate animam ponere & recipere rursus ualuerit, non uidetur commodè dici, mortẽ unquam Christo dominatam esse. Quod consequi uidetur ex uerbo, Mors illi ultrà non dominabitur. Fit igitur, cùm mortuus fuerit, mortem illi dominatam fuisse. FACILIS responsio est. Mortem suo iure, quod omne à peccato est, nunquam dominari Christo potuisse, sed Dominum IESVM se morti (dum peccatum mundi expiaret) ultro subiecisse, illamq; mortem hoc modo dominari in se permisisse, ut eam isto pacto, suo iure spoliaret, quod ei alioqui erat in electos uniuersos. Ac uerè dictum per prophetam Ozeam, 3. cap. Ero mors tua ò mors. Et alibi, Absorpta est mors in uictoria.

DICTIO.

MORI PECCATO, Est prauam in nobis cupiditatem extingui, qua peccato scilicet uiuebamus, & seruiebamus. Sic infrà, 7. cap. Mortuum esse legi, pro eo Paulus accipit, quod est abolitum esse in nobis id, in quod lex imperium habeat, quod legi obnoxium sit. Beato Ambrosio idem est quod liberari a diabolo. Chrysostomo idem est quod peccato non obedire. Origeni, non facere desyderia peccati.

Mori peccato.

NOVITAS VITAE, Expulsio est ueteris Adæ, & uetustatis innatæ. hinc illa sunt, Innouatio mentis, infrà, 12. Noua conspersio, 1. Corinth. 5. & Galat. 5. Nouus homo, Ephes. 2. & 4. & Coloss. 3. Lauacrum regenerationis, & innouationis spiritus sancti, Tit. 3.

Nouitas uitæ.

IVSTI

Iustificare. IVSTIFICATVS: Id est, absolutus. Iustificare in scripturis quandoq; usurpatur quod idem sit, se iustum & probum existimare, & gloriari, & ostentare. Quemadmodum legimus de Pharisæo Luc. 10. Ille autem uolens iustificare seipsum, &c. Et Luc. 16. Vos estis, qui iustificatis uos coram hominibus, Deus autem nouit corda. Sumitur præter hæc pro iusto acceptare: ut Deus nos pro iustis habet & in numero iustorũ ordinat, quando nos sua gratia iustificat, ut dictũ est in Dictione, 1. cap. supra. Sunt & iustificationes Dei quandoq; promissiones, & mandata eius, quibus receptis fide uiua iustificamur, sicut receptis mendacijs, & creditis damnamur. Psal. 118. Vtinã dirigantur uiæ meæ ad custodiẽdas iustificationes tuas: id est, Vtinam rectà incedant uiæ meæ: id est, affectus cordis mei, & conuersatio mea: & non seducatur aliena doctrina: ut possim custodire iustificationes tuas: id est, tuam uoluntatem siue mandata, ut uerè illa seruem. Nam Psal. 104. Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirant. ut scilicet credant in eum, qui ueritatem sui uerbi in omnibus declarauit.

Iustificationes Dei.

Complãtatus. COMPLANTATVS: Insititicius, & particeps.

Liberi. LIBERI. Hoc est, expertes, & insontes.

VIVERE, est se mouere. Viuere filiorum Dei, est se spiritu sancto mouere ad ea quæ sunt optima. Hoc spiritu destituti quia homines sese agunt in perniciem, imò magis eo aguntur à satana, dicũtur Apostolo mortui. Dominus passim uocat mortem omnis uitæ priuationem, quæ est destitutio certæ uitæ filijs Dei propriæ.

Lex peccatum indicat.

CAP. VII.

AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore uiuit? Nam quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi: Si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro. Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio uiro. Itaque fratres mei & uos mortificati estis legi per corpus Christi; ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur: ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ.

Muller mortuo marito libera à iure uiri. 1. Corinth. 7. g

Liberati à lege seruiũt Deo in spiritu.

Sub uiro] id est, obnoxia

Vocabitur] iudicabitur

Mortificati estis legi] id est, liberati à lege

Per corpus] per mortem

Esse in carne] est carni seruire, & non spiritui.

Passiones] affectus

Operabantur] uel uigebant

Lex in homine dominatur. *Ambiguum est, accipiendum'ne sit, quandiu uiuat homo, an quãdiu uiuat lex. Chrysostomus, & eius abbreuiator Theophylactus, legunt quanto tempore uiuit, scilicet homo. Origenes & Ambrosius legũt Viuit, scilicet, lex. Comperies Origenem obseruasse diligenter & adnotasse, quòd in conferenda similitudine, Paulus legem uiri loco posuit, & hominẽ uxoris uice. Vt morte uiri liberatur*

ratur uxor: ita antiquata lege, liberatur obnoxius prius legi. Legem autem uiuere dicit, quandiu ualet: mortuam esse posteaquam desijt habere uigorem.

Quæ sub uiro est. *Id est, obnoxia uiro, quasi dicas, subuiralis alligata est legi matrimonij. Legem hic uocant matrimonium, seu ius matrimonij.*

Mortificati estis legi per corpus. *Mortui estis legi per corpus Christi: id est, per mortem & crucem, quam suo corpore Christus tulit: is pro nobis satisfecit legi, & sustulit condemnationem, & æternam mortem.*

Vt fructificetis Deo. *Monet in similitudine uxoris. Christo nanq; nos copulati, & coniuncti uxoris loco, ipsi quoq; parere debemus. Christus autem Dei est: igitur & nos, & noster fœtus Dei est. Parimus autem Christo, cùm huic homines adducimus uerbis & factis ex spiritu Christi fluentibus. Istud uerò est fructum afferre qui maneat, in quod Dominus nos constituit, cùm elegit nos de mundo, Ioannis 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat: ut quodcunq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis. Sic genuit Paulus Corinthios, & in uinculis Onesimum, & iterum parturiuit Galatas. Quod enim sanctè uiuimus, est quidem fructus, sed nondum plenè fructus, quem adferunt fœcundati spiritu Christi: sed dum uita nostra sancta alios quoque adducimus Domino, & perficimus.*

Cùm enim essemus in carne. *Obserua formulam scripturæ usitatam: In carne esse, pro eo quod est, solis naturæ dotibus esse præditum, sine singulari gratia, quæ electos suos Deus dignatur. Aut, Esse in carne, est esse sub peccato: hoc est, agi impetu carnis, & secundum carnis genium uiuere.*

Passiones peccatorum. *Id est morbi, cupiditates, siue affectus, siue perturbationes: hæc relicta sunt ex illa primigenia ueteris Adæ noxa.*

Quæ per legem erant. *Hoc loco* QVAE *non refert peccata, sed passiones: ut intelligas, legem excitasse peccandi libidinem: id est, passiones illæ per legis inhibitionem irritabantur, & acrius insurgebant.*

Operabantur in membris nostris. *Græcis est,* ἐνεργοῦντο, *quod magis significat, uim habebant, siue, secretò agebant. Nam occulta uis dicitur Energia, uelut in semine, & uis mentis in homine. In membris nostris, id est in nobisipsis. Ad fructificandum morti: id est, ad fructus in mortem colligendos. Peccatores enim nihil possiunt, quàm grauiorem iram Dei sibi in dies accumulare: unde superius dixit, eos thesaurum iræ sibi colligere.*

Energia.

Nunc autem soluti. *Si legis carnalis uinculum nihil aliud proderat, nisi ut peccaremus: ergo ideo soluimur, ut peccare desinamus. Obserua, nos tum à lege solui, cùm ab eius rigida exactione & maledictione absolutos, spiritu suo nos imbuit Deus, quò in uijs suis ambulemus.*

In nouitate spiritus. *Nouitas spiritus, lex gratiæ & spiritualis: Vetustas literæ, lex uetus, & carnalis. Quam qui intelligit ad literam, quasi figura non sit, carnaliter incedit: Qui autem allegoricè, figuraliter, & ut alterius typum, spiritualiter incedit, intelligit & uidet cum lege gratiæ conspirare, & conuenire: sed ut umbram cum ueritate. Vetustas literæ etiam dicitur opera hypocritarum, quicquid sine spiritu fit, neque ob Dei gratiam. Nouitatem spiritui attribuit, quia in locum ueteris hominis succedit: ut litera uetus dicitur, quæ interit per spiritus regenerationem.*

Nouitas spiritus.

Vetustas literæ

Per legem cognitio peccati. Exodi 20.c Deutero.5.b

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatū operatum est in me omnem cōcupiscētiam: Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem uiuebam sine lege aliquando: Sed cùm uenisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi

Operatum est] genuit.

Aliquando, ī quondam:

1.Timoth.1.b mādatum, quod erat ad uitam, hoc esse ad mortem. Nā peccatum, occasione accepta per mandatū, seduxit me, & per illud occidit. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.

Quid ergo dicemus? *Redit ad collationem illam, quam suprà instituit de lege, & de gratia. Et quoniam dictum est, nos à lege liberari oportere, ut in spiritus nouitate Deo seruiamus, uidebatur hoc habere uitium in lege, quod nos ad peccatum impelleret: hoc absurdum refellendum suscepit Apostolus.*

Lex peccatum est? *Vtitur Metonymia, interrogans, Lex peccatum est? pro, Lex causa peccati est? Lex peccatrix est? Aut peccati suppeditatrix? Voluit Apostolus aduersariorum sensum cum Dinosi, seu grauitate efferre. Reiecta itaq; ista blasphemia in legem Dei, exponit, quomodo per legem existunt, & augentur peccata. Cùm rogat, an Lex peccatum sit: intelligit, an peccatum sic generet, ut illi imputari eius culpa debeat.*

Sed peccatum non cognoui. *Hæc de lege naturæ Origenes intelligit, eo quòd peccati conuictos legimus multos, qui ante legem Moysi peccarunt, ut Adam, Cain, Pharao. Quidā intelligūt de præcepto dato in Paradiso. Sed cùm Apostolus ad probandū quod hic dixit, se peccatum nō nisi per legē cognouisse, subiecit præceptum decalogi, Non concupisces: quis non uideat eum de lege Dei per Moysen administrata hîc loqui, maximè cùm de libertate ab hac lege hîc disputet? Quibus rationibus etiam diuus Chrysost. istas duas opiniones de lege naturæ, & de præcepto in Paradiso dato confutauit. Aduerte: Deus præter legem naturæ semper alias quoq; uoluntatis suæ interpretationes suis dedit. Primùm institutionem illam sanctorum, quæ absq; scripto de ore ad os tradebatur in sanctis familijs: Mox populo Israël per legem Moysi, & alijs gentibus per alias leges & præcepta rectè uiuendi. Postremò per doctrinam & exhortationem seruatoris nostri* IESV *Christi, & Apostolorum, indeq; ecclesiæ Christi, cui omnibus seculis donat legis suæ interpretes, publicos doctrinæ Christianæ ministros. Hæ omnes leges, quatenus leges sunt, hoc est, de nobis uoluntatis diuinæ interpretationes, peccatum manifestant, arguunt, & condemnant. Quidam hîc per peccatum intelligūt Diabolum. ut enim scriptura seruatorem nostrum appellat Vitam & Iustitiam, quandoquidem & uitæ & iustitiæ sit autor: ita contrariam uim, aliâs Peccatum, aliâs mendacium, nōnunquam uerò Mortem appellat. Sic postmodum ubi, inquit, Peccatum reuixit: Satanam indicat. Aut si mauis dicito, Non cognoui peccatum, id est, efficaciam peccati originalis, nisi per legē: sed adueniente lege, prohibente concupiscentiā, tunc ardentius cœpi uetitā concupiscere. Emphasim habet hoc scriptū, In me.*

Deus præter legē naturæ semper aliquas interpretationes suæ uoluntatis dedit suis.

Peccatum diabolus.

Cùm

Cùm nanq; Apostolus præ multis coætaneis legi Dei à puero studuit, Galat.1.cap. Et secundum iustitiam (quæ in lege est) fuit irreprehensibilis, Philipp.3. Hinc certè apparet, quàm horrendum sit istud malum originis uitiatæ, quod peccatum in tanto uiro, & legis Dei studiosissimo, tam multum ualuit. Suam enim de seipso experiētiam hic prædicare Apostolum cum beato Augustino dicere non dubitauerim. Nam hoc amplius atrocitatem huius mali exaggerat, quod scilicet in seipso etiam grassatum adeò testatur. Planum est, quòd Apostolus per seipsum omnem hominem intelligit.

Occasione autem accepta. *Lex non dedit occasionē peccati, sed peccatum ex lege occasionem accepit. Huiusmodi erant Pharisæi, qui ex operibus* IESV *Christi occasionem blasphemiæ & peccati accipiebant: hi reuera contemnendi sunt.*

Pharisæorum scandalum.

Sine lege enim peccatum. *Apertissimè explicat, quem sensum superiora habeant: perinde enim est, ac si diceret, sepultam esse sine lege peccati notitiam. Aut: Mortuum, id est, inefficax, nec uim suam planè exerebat: quasi dicat, etiam si ante legem peccatum effectum suum haberet, non tamen tantum quantum nunc agnoscitur, erat. Dormire nanq; uidebantur peccata, & mortua esse, ante cognitam legem. Videtur hic uocare Mortuum, non id, quod non est: sed id potius, quod cùm sit, tamen quale sit, nondum intelligitur. Nam in quinto capite audiuimus, peccatum in mundo usq; ad legem fuisse, porrò peccatum lege non existente non imputari. Igitur quod ibi dixit, Non imputari: id ipsum hoc loco dicit, Mortuum esse.*

Ego autem uiuebam sine lege. *Hoc dicit Apostolus, uel in persona naturæ humanæ, ut scribit Theophylactus, uel in persona sua ante usum rationis, & legis cognitionem, loquitur. Iure tunc suo agebat, nullo legis timore refrænatus. Sed cognita lege, cognouit peccatū in se latens, & uim eius occultam: propterea reuixit quod ante sopitum & somnolentum, ac quod nullius propè energiæ erat, factum est irritatius, occasione non data, sed accepta à mandato prohibente peccatū. Tunc sentiens in me peccati effectum, id est, terrorem, mortem, & damnationem, quæ illud sequuntur, factus sum uelut mortuus: aut, Mortuus fui: ut respondeat illi præterito, Reuixit. Id est, Peccatum me à uia uitæ auersum, mortis necessitate irretitum terret. Transfert enim Paulus docendi gratia rem in suam personam, & retulit inter se pugnantia. Nam uita peccati, mors est hominis. Proinde si reuixit peccatum, ilico consequuta est mors hominis. Aut, uiuebam sine lege, cùm adhuc Pharisæum agerem: quia in securis & otiosis Epicureis, aut Pharisæis nulli sunt terrores, non est agnitio peccati. In talibus peccatum est mortuum: id est, non perterrefacit, non opprimit eos terroribus, & sensu damnationis: quia non sentiunt se accusari à lege.*

Itaq; lex quidem sancta. *Lex sancta est, quia diuina, pura, nihil ex se efficiens, quàm quod sanctum & iustum est. Non eius naturæ est, qua mihi noceat: sed mihi nocet mea & propria malitia, qui mihi demandata & iniuncta non custodio. Mandatum quod Moysi traditum fuit, sanctum profectò, ut quod doceret, quid æquum, quid decens esset. Iustum autem, quod rectè transgressoribus sententiam ferat. Bonum, ecu uitam obseruantibus legem impartiens. Non est ergo lex peccati causa, sed occasio accepta uitio duntaxat peccantis.*

Lex sancta;

Peccans] Vel, scelestius, hoc est insigniter scelestum peccatū.

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum uenundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod uolo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum: Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod uolo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Peccatum.

Adiacet] adest

Sed peccatum ut appareat. *Sed peccatum, subaudi, mihi factum est mors, occasione sumpta à lege, etiam sancta & bona, ut demonstretur & appareat peccatum, id est, ut exerat suam uim & energiam per bonum ipsum, id est per legem, mortẽ operatum est, ut fiat, id est, demonstretur supra modum peccans peccatum, hoc est peccaminosum & insigniter scelestum peccatum. Videtur hìc Apostolus de incremento peccati loqui. Id autem incrementum dicit huc ualere, ut noxa peccati, quæ tanta est, ut lex Dei, occasione sumpta nocentior reddatur, plenius apparcat. Propterea fit, ut Christum auidius amplecti debeamus.*

Lex spiritualis est. *Id est, docet, & exigit quæ spiritus sunt, uiuam scilicet in Deo fidem, certam in proximum dilectionem: præter hæc spiritum ipsum spirat. Atque hìc uidetur Littote esse, & plus Paulum significare uoluisse quàm dixerit, nempe hoc: Non solùm non blasphemo legem, quòd ex ea accepta occasione peccatum irritatius factum est, sed prædico inferre uitam, idq; ex certa scientia cognosco.*

Littote.

Ego autem carnalis sum. *Ac si dicat, Lex spiritalis est, id est, uim spiritus habet: ego autem ab imbecillitate & morte carnis teneor. Carnem dicit naturam nostram totam, quatenus ea tenetur in deprauatione illa, quæ illata est à peccato originali. Vnde cùm se carnalem dicit, intelligit hanc in se deprauationem obtinere. Committit Paulus inter se legem, & hominis naturam: ut clarius intelligatur, unde mortis uitium emergat.*

Venundatus sub peccato. *Id est, addictus sum in seruitutem & iugum peccati. Sum uelut seruus emptitius peccati. Traditus sum perturbationibus, iræ, tristitiæ, concupiscentiæ malæ, & huiusmodi, principium ducentibus in Adami præuaricatione. Vnde perspicuum est quòd uenditus sum sub peccatum? Ex eo, ait Photinus, quòd peccato irretitus, ignoro quidnam agam. Liber autem & solutus ab ipso, agnoui quid me oporteat facere tum à naturæ tum charitatis lege edoctus. At uoluntario peccato subiugatus, sub eius iure fui constitutus ac planè diuenditus. Hinc non noui quid operer, & hoc secundum carnalem hominem. His ergo uerbis, Venundatus sub &c. significat naturam hominis non habere spiritualem obedientiam: sed uitiosam esse, & seruam, seu captiuam peccati: id est, corruptam.*

Quod enim operor non intelligo. *Non intelligo, hìc nõ significat ignorantiam.*

rantiam. Nemo enim unquam in ignorantia (quam inuincibilem dicunt) peccauit: uerùm, Non intelligo (inquit) pro eo quod est tenebris obsepior, & dolorem & uiolentiã sustineo, uerum nescio quomodo eneruer. Lex carnis, quæ & peccatum dicitur, est insitus oblæsæ naturæ peccandi affectus, secundum quẽ uel inuitis nobis passiones insurgunt. Cuius affectus est, spiritui resistere, carnem sequi, & placẽtia. Secundum carnalem hominem non intelligit homo quid agat: obducitur enim quibusdam peccati tenebris, ut quid agat ignoret, & quod non uult iuxta spiritualẽ hominẽ, id agat iuxta carnalem. Si agnoueris Paulum duos homines hìc facere, ac duas leges, hominẽ carnalem ac spiritualem, legẽ carnis & membrorum, legẽ mentis & Dei, facilè intelliges multos Pauli locos, alioqui obscurißimos. Dici potest in hunc sensum, Non intelligo, id est, non agnosco, non probo, non habeo ut meum opus. Quoniam illud detestatur.

Lex carnis. Peccatum.

Non enim quod uolo bonum. *Non dicit quòd peccatum reddat hominẽ inuitum: Verùm deceptionem qua peccatum decipit, ostendit. Caro seu sensualitas dulcedinem quandam sensibus furtim inspirans non facit quod uolumus, sed facit quod nolumus. Hoc uelle, & nolle, ad spiritalem restrendum est. Est quidem carni sua uoluntas, aut potius, suus appetitus: sed quod præcipuo cordis affectu appetebat, uocat Paulus uoluntatem: quod cum eo pugnat, id uocat, Suæ uoluntati contrarium.*

Si autem quod nolo illud facio. *Legis præconium est, cùm ait, Quod peccatum nolim ab lege habeo. Quomodo igitur lex causa mali est, quum hæc peccatũ solum doceat, & non faciat? Si autem quod ego spiritalis nolo, carnalis, seu ex sensualitate, facio & operor: consentio legi, quòd bona est, non accuso legem, cùm me doceat fugere quod ego spiritalis nolo, imo idem uult cum spiritu, carnis opera fugiens. Bona inquam est lex uidelicet quoniã meipsum accuso, transgrediens legem, odioq; persequens peccatum. Dum ergo cor meum in lege acquiescit, & oblectatur eius iustitia (quod certè fit, ubi transgressionem odio habet) in eo sentit, ac fatetur legis bonitatem: ut satis uel experientia docente, conuincamur, legi nihil mali esse imputandum.*

Nunc autem iam non ego operor. *Nunc dicit tẽpus iustificationis, propterea separat se hìc Paulus ab homine carnali inuoluntarium operante. Non ego spiritalis illud inuolũtarium operor: sed peccatum in me, seu membris meis habitans. Adeò enim natura mea corrupta est, ut ui quadam ad mala me pertrahat. Id enim est ueluti habitatio, adsidua perduratio, ac ueluti consessio est & residentia. Hanc exitiosam uim (quæ nos agit contra Deum) dicit in se habitare, hoc est, se occupare, & strè dominari, uti solent qui sunt domi suæ, & domicilio proprio. Hæc omnia testificantur, quanto feruore feruntur in obedientiam fideles, ut carnem suam abnegent.*

Scio enim quia non habitat. *Hoc Littote esse uidetur. Plus enim significat, quàm dicit, nempe se nimium compertum habere, & exploratum, nihil boni in se, tanquam ex se, & carne sua ualere.*

Nam uelle adiacet mihi. *Facultas uolendi bonum est in me iustificato. Perficere autem bonum in me tanquam ex me non inuenio, propter peccati raptum & celerem, qua me inuadit, arreptionem. Corripit enim me, & ita apprehendit, ut non peragam quæ à me laudantur, sed quæ potius uituperantur. Ex his colligamus, Paulum non intelligere, sibi nihil esse, propter inefficacem uoluntatem: sed efficaciam operis negat respondere uoluntati, propter impedimenta quæ caro iniecit, ne exactè faciat uoluntas quod facit. Ad hunc modum accipiendum est quod sequitur: Si quod nolo illud facio. Quia non modò impedit sua fideles caro, ne celeriter currant: sed opponit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam multa obstacula, ad quæ impingant.

Intermis homo Lex membrorũ siue peccati. Lex mentis.

Inuenio igitur legem, uolenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominẽ: uideo autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis (Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Christum Dominum nostrum) Igitur ego ipse mẽte seruio legi Dei, carne autem legi peccati.

Malum] id est, peccandi affectus.

De corpore] Peccãdi affectibus obnoxio. Gratia Dei] Gratias ago Deo.

Mens. Caro.

Inuenio igitur legem. *Obscura sunt (ait Chrysostomus) quæ hîc Paulus dicit: Cùm uolo & conor facere bonum, inuenio legem ad id me exhortantem, sed aliàs*

Malum. *auxiliari non ualentem. Nam malum, id est, peccandi affectus & pronitas, adiacet, seu adglutinatum est, quem affectum lex auferre non potest, sed gratia Dei: ideo Christo accedendum & attendendum, qui non adhortatur tantum, uerum etiam tollit præteritum delictum, deinde seruat & opitulatur. Origenes sic lectionem ordinat: Igitur quia malum mihi adiacet, uolens facere bonum, inuenio legem Dei, & condelector ei secundum interiorem hominem. Beatus Ambrosius scribit Paulum his uerbis adserere legem Moysi dare consensum contra peccatum. Chrysostomus legem laudare & adiuuare bonum conatum. Potest hoc intelligi de lege membrorum in hunc sensum: Inuenio legem uolenti facere quod bonum est, subaudi, impositam, imperantem, quod malum mihi adiacet, hoc est efficientem ut malum in me, etiam uolente facere quod bonum est, præualeat.*

Repugnantem. *Quasi dicas, contra militantem & rebellantem. Gaudet enim beatus Paulus metaphoris quæ militiam sapiunt: uelut antè meminit de stipendijs: Stipendia peccati, mors.*

Quæ est in membris meis. *Hoc est, quæ per membra mea mihi reluctatur. Id uerò non fit corporis culpa. Neq; enim si regiam tyrannus quispiam domum occupauerit, ipsius tyrannidis domus est causa. Rectè dicit, Captiuum ducentem me. Pugnæ enim excitata inter peccatum & legis mandati, etiam ratione contradicente peccato, abit peccatum uictoriam referens, captiuum agens calamitosum hominem. Hic tyrannus in membris rationem habet peccati, qui est causa peccati, uel potius quia ex peccato est, manetq; in baptizatis & iustis sub ratione effectus inflicti et pœnæ peccati originalis, sicut & mortalem esse. Ex his colligamus, concertationem spiritus & carnis, quam Augustinus uocat Luctam Christianam: ad cuius explicationem dicamus, Paulum hoc toto contextu quadruplicem legem fingere. Legem Dei, quæ sola propriè sic nuncupatur, quia est iustitiæ regula, qua uita nostra rectè formatur. Huic coniungit Legem mentis: sic appellans propensionem fidelis animæ ad obedientiam diuinæ legis: quia est quædam nostri cum lege Dei conformatio. Ex aduersa parte opponit legem peccati & iniustitiæ: & sic allusione quadam appellat imperium quod habet iniquitas tam in homine nondum regenerato, quàm in carne hominis regenerati. Nam & tyrannorum iura, utcunque iniquissima sunt, Leges tamen dicuntur abusiuè. Huic legi peccati respondere facit Legem membrorum: hoc est, concupiscentiam in membris sitam,*

propter

propter eam quam habet cum iniquitate conuenientiam. In hac lucta lex Dei ad iustitiæ rectitudinem hominem uocat: Iniquitas, quæ est uelut lex tyrannica Satanæ, ad nequitiam instigat: ad diuinæ legis obedientiam fert spiritus: Caro, & lex membrorum, in contrariam partem retrahit. Paulus ergo dicit se captiuum in lege peccati: quia quòd titillatur adhuc prauis concupiscentijs, & commouetur, id coactio est respectu spiritualis desyderij, quod prorsus resistit. Intellige Paulum in persona sentientis hos affectus loqui.

Infelix ego homo. *Mortis corpus uocat, corpus obnoxium affectibus peccandi. Et addit, Ex hoc corpore, quòd in se sumpserit personã hominis sentientis huiusmodi affectus. Quandoquidem hæc est uelut una clauis ad intelligentiam Pauli. si quis animaduertat mutationem personarum, de quibus, & ad quas loquitur. Quis, inquit, me liberabit, ex corporalibus actionibus, spiritualem mortem adducentibus? Aut quis me liberabit, ut non arripiar à cupiditatibus, quæ in corpore meo sunt, quæ nobis prorsus mortem conciliant? Quis autem alius præter Christum? id enim clam indicat. Neque enim lex me liberabit, neq; mea uoluntas, quantumuis ex se hoc conetur, seruabit.*

Personarũ mutatio obseruanda in Paulo.

Gratia Dei per Iesum. *Cum alium nõ inuenisset qui sibi salutem adferret, necessariò Christum conuenit. Agitq; gratias Deo, qui nos liberauit per mortem filij sui, quæ sua morte perfecit quæ lex exequi non poterat.*

CONCILIATIO.

QVOD Paulus ait, *Quod autem operor non intelligo, uidetur contrarium esse illi sententiæ, qua dixit, Peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatũ est mihi mortem. Quomodo enim apparet si ignoratur?* RESPONDET *Augustinus in expositione quarundam propositionum ex hac ad Romanos epistola: Ignoro, seu non intelligo, sic dictum est hoc loco, ut intelligatur, non approbo. Quomodo enim tenebræ non uidentur, sed lucis comparatione sentiuntur, hoc est autem sentire tenebras quod est non uidere: sic & peccatum, quia non illustratur luce iustitiæ, non intelligendo dignoscitur, sicuti tenebras dictum est non uidendo sentiri. Et ad hoc pertinet quod scribitur Psal. 18. Delicta quis intelligit?*

Conciliatio I.

CVM Dominus per Ezechielem 20. cap. dicat, *Ego dedi eis præcepta non bona. quomodo Paulus hîc dicit, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* RESPONDEO. *Lex bona est, ut quæ pura & sancta est. Quod autem Ezechieli dictum est, Ego dedi eis præcepta non bona, hîc intelligo cum Hieronymo in illum locum. Eo tempore quo ob uaria peccata traditi sunt filij Israel diuersis gentibus, quæ natura sua bona erant præcepta Domini & Iudicia, in quibus credentes possent uiuere, facta sunt eis non bona, dum nequaquam ualent in captiuitate, legis præcepta seruare, & facere, quæ diuinus sermo mandauit. Dedit ergo eis Deus dispersis in gentibus præcepta non bona, hoc est dimisit eos cogitationibus & desyderijs suis, ut facerent quæ non conueniunt. Aut dedit eis præcepta bona quidem in se, sed non bona illis, quibus suo uitio, & bona mala, & dulcia amara fiebant.*

Secunda.

QVOMODO Paulus hîc dicit, *Lex quidem sancta, &c.* cùm 1. Corinth. 15. pronuntiet, *Virtus peccati, lex.* RESPONDEO, *A Deo bona lex data, semper est bona. Lex tamen ideo uirtus peccati est dicta, quia occasione accepta, non data, auget ipsius peccati noxiam delectationem.*

Tertia.

PAVLVS *hoc capite pronuntians nos lege solutos, & legi mortuos aduersa-*

Quarta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ei quod sanctè hortatur Timotheum, 2. Timoth. 3. Tu uerò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quòd ab infantia sacras literas nosti, quæ te instruere possunt ad salutem per fidem, quæ est in Christo IESV, &c.

RESPONDEO, eos Pauli locos, in quibus uidetur legem deijcere, intelligendos esse, de lege secluſa ab ea, & oppoſita ei ope Christi, spiritu ueræ iustitiæ suppeditatore. Nam hoc secluso spiritu, & accepta hoc pacto lege pseudoapostoli abutebãtur autoritate legis aduersus Christum. Hanc igitur Paulus deijcit imo illis frequenter obijcit, ostendens tum ceremonias illas ueteres, tum figuras extinctas esse, sanctosq; illi mortuos, & ab illa solutos. Sed si legis spiritum acceperimus, uiuemus. In hunc usum quoniam lex diuinitus data est, rectè illi simpliciter tribuitur esse salutarem, erudire ad salutem, instruere omni opere bono, esse diuinam sapientiam, atque uenam uitæ: quibus scilicet elogijs ea in diuinis literis commendatur.

Quinta. PVGNANTIAM habere uidetur hic locus: Nam uelle adiacet mihi: cum eo qui ad Philipp. 2. scribitur, Deus enim est qui operatur in uobis & uelle & perficere. VELLE aliquid (ait Theophylactus) simpliciter Dei opus est: uelle malum, mentis est uitium. Quod Paulus ait hîc, Velle adiacet mihi: subaudi per gratiam reparato, est ex operatione diuinæ gratiæ, qua non solùm uolo bonum, sed etiam bonum fãcio & operor, quia aduersor concupiscentiæ spiritu ductus.

DICTIO.

Habitare. APOSTOLVS & omnis scriptura metaphora inhabitationis frequenter utitur, & certam ferè ac solidam præsentiã eius quod habitare, seu inhabitare dicitur, per eam significat, plerunq; & dominium. Cum Dominus pollicebatur populo Israël se habitaturum in medio eorum, promittebat pleniorem præsentiam opis suæ. Ita ubi Ioannes euangelizat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, exhibitionem ampliorem diuinæ uirtutis intellexit, quã exhibuit Dominus nobiscum in carne uersatus. Sic Dominus patrem & se mansionem nobiscum facturos promittit. Ad hunc modum inhabitare peccatum, est illud nobis penitius & potentius insidere: hoc est, uirus suum præsentius ac plenius in nobis explicare. Simile est illud, quod Dominus gratiæ suæ contemptoribus minatur de malo dæmone, qui domum quam deseruerat cum septem alijs se nocentioribus repetit & inhabitat ibi.

Luce 11. d

Nouus homo. Vetus homo. INTERNVM & nouum hominem uocat, cum prævalet interna illuminatio mentis, & innouator noster, spiritus Christi: Externum & ueterem, cùm prævalet mens carnis, quæ sectatur externa, & quæ sunt ingenij nondum renati, hoc est ueteris, eius quod trahimus à parentibus.

Non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulandum. CAP. VIII.

Qui non &c.] sed secundũ spiritum.

Libertas. NIhil ergo nunc dãnationis est ijs, qui sunt in Christo IESV: qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus uitæ in Christo IESV, liberauit me à lege peccati, & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filiũ suum mittẽs in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis

In quo infirmabatur] ea parte qua imbecillis erat.

In simili &c.] sub specie carnis peccato obnoxiæ.

De peccato] id est Christo hostia pro peccato.

Carnales & spirituales.

Secundum carnẽ sunt,] id est carnales uiuũt, literã, non spiritũ sequentes.

impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secũdum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui uerò secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt.

Qui sunt in Christo. Ad Galat. 3. Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Esse in Christo, pro eo dicit, quod est à Christo pendere, eiusq; spiritu in omnibus agi. Hæc formula beato Paulo est frequẽs. Reuera nihil damnationis huiusmodi à Christo pendentibus esse potest: cùm nulla Christi ad Belial sit communicatio.

Esse in Christo

Lex enim spiritus uitæ. Probat Paulus superiorem sententiam, Vis spiritus, quæ uitam eam inspirat, quæ est in Christo, & qua uiuitur eius spiritu, lubentem facit ad omnia bona, & abhorrere ab omnibus malis. Lex spiritus uitæ, ipsa est lex fidei, ait Ambrosius. Nã & Moysi lex spiritalis est, quia prohibet peccare: non tamen uitæ, quia reis mortis peccata remittere nõ potest, ut uiuificet mortuos. Hæc uerò quia & peccare non uult, & à morte reuocat, lex spiritus uitæ appellatur, non per literã constans, sed per spiritum. Ambrosius eodem loco ait, legem spiritus differre à lege spirituali. Dicitur lex spiritalis, quia præcepta dat, per quæ non peccetur, quia qui non peccat spiritalis uocatur, æmulus superiorum cœlestium. Lex autem spiritus propterea uocatur, quia Deus cuius fides, spiritus est. Illhic uerba sunt, hîc res: illhic quæ Dei sunt: hîc Deus ipse: hæc ille. Hæc lex spiritus legem, id est, uim peccati & mortis depellit, deprauatum iudicium, & insanam in mala quæuis libidinem. Lex mortis, id est, uis, & tyrannis mortis, quæ in nos ius habet propter peccatum. Crediderim legem spiritus perinde sonare quasi dicerem, legem spiritalẽ. Non placet Theophylacto ut interpretemur legem Moysi, legem uitæ, multum enim differunt: Moysi per spiritum data est lex, hæc autem lex uitæ spiritum subministrauit.

Lex spiritus uitæ.

Lex spiritus & spiritalis differunt.

Lex mortis.

Nam quod impossibile erat legi. Expolitio est probationis, Quòd gratis in Christo iustificauit nos Dei misericordia, id quod legi impoßibile erat. Itaq; dicit: Quatenus lex infirmabatur, hoc est, inualida parumq; efficax erat, deus præstitit, sarsit, impleuit. Quomodo? Deus misit filium suum in similitudinem carnis, id est uerè carnem factum. Et uerbum caro factum est, Ioannis 1. cap. Diuus Cyrillus lib. 5. aduersus Iulianum, Corpus (inquit) Christi non erat peccati corpus, sed similitudo carnis peccati. Aliter: Christus naturales adfectus susceptit ad confirmationem ueræ humanæ naturæ, ne uideretur apparenter in speciem per imaginationem duntaxat hominem induisse: repulsis tamẽ adfectionibus adeoq; cupiditatibus planè uitiosis, quæ uitæ nostræ puritatem defœdare solent. Has enim ut indignas deitate reiecit. Hãc obrem dictus est, in similitudinem carnis peccati factus esse. Cùm dicitur: lex infirmabatur per carnem: uidetur dicere, Ea imbecillitas, scilicet tollendi peccatum, non est legi diuinæ imputanda, sed carni nostræ: quæ corrupta id præstare non potuit, quod sanctißima Dei lex postulauit. Nam lex quantum ad doctrinã sufficiebat ad nos iustificandos, quia perfectam iustitiæ regulam continebat: sed eam iustitiam assequi non poterat caro nostra. Facit ergo nostræ naturæ corruptio legem nobis inutilem.

Et de peccato damnauit. Beatus Ambrosius in hunc locum legit, Damnauit peccatum de peccato: hoc est, peccatum proprio peccato dãnauit. Christus enim cum à peccato crucifigitur, quod est Satanas, peccatum peccauit in carne saluatoris. Quo facto damnauit Deus peccatum in carne, hæc Ambrosius. Similis sententiæ est Chryso-

Damnare peccatum de peccato.

stomus. Beatus Augustinus libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum ca. 6. tres huius loci interpretationes affert. Prima est, de peccato peccatum condemnauit, hoc de similitudine peccati, id est carne Christi. Altera, de peccato, id est hostia pro peccato, id est rursus de carne Christi. Tertia, de peccato, id est scelere Iudæorum, qui Dominũ crucifixerunt, condemnauit peccatum, ob mortem filij sui. Quæ omnes tres, eò ualent, quòd peccatum condemnatum & abolitum sit per mortem filij Dei. Magis tamen accedit Augustinus ad interpretationem mediam. Et hanc Origenes solam amplectitur. Per hostiam (inquit) carnis suæ, quam obtulit pro peccato, dãnauit peccatum in carne sua. Videtur planè hæc interpretatio certior. Nam 2. Corinth. 5. Apostolus propè eisdem uerbis præsentem sententiam extulit: Eum (inquit) qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Ergo de peccato, id est de Christo, qui pro nobis uictima & hostia pro peccato factus est, damnauit, destruxit, exterminauit, aboleuit peccatum ueteris Adæ in carne, id est per carnem, & corpus filij sui. quod impossibile erat legi facere, quatenus infirma, imbecilla, & inefficax erat, per carnalem legis intelligentiam, cui deerat Euangelica gratia.

Vt iustificatio legis impleretur. *Quæ in lege iuxta spiritum intellecta, promissa erant, illa exhibita & completa sunt à Christo in his qui iam carnalia negligunt, & spiritalia sectantur. Christus nanq; nobis uictoriam & coronam impertijt: nostra autem interest, posse retinere, quæ nobis tradita sunt, per uiuam fidem, & sanctam conuersationem.*

Prudentia] affectus, & infra.

Nam prudentia carnis mors est: prudentia autẽ spiritus, uita & pax, quoniam sapientia carnis, inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere nõ possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in uobis. Si quis autem spiritũ Christi non habet: hic non est eius. Si autem Christus in uobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uerò uiuit propter iustificationem. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit IESVM à mortuis, habitat in uobis: qui suscitauit IESVM Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.

Spiritus Christi in nobis.

Mortuũ] id est morti & afflictionibus obnoxium.

Nam prudentia carnis. *Cùm caro tantùm in ea fertur quæ uetuit Deus, & mala sunt: sicut spiritus in ea quæ præcipit Deus, et bona sunt: per se notum est, studiũ, curamq; carnis mortem esse: est enim ferri contra Deum, qui solus uita est, & uitam donat, quæ felicitas & pax more scripturarum dicitur. Vt uerò uehementiora essent omnia, non dixit, Prudentia carnis affert mortem, prudentia spiritus affert uitam & pacem: sed, Prudentia carnis mors est, prudentia spiritus, uita & pax.*

Caro. Spiritus.

Nec enim potest. *Ne turberis cum audis, Nec enim potest. Non hoc dicit, quòd carnalem affectum habens, Deo placere nunquam possit: Cæterum, quòd si in eo perseueret, non possit sic perseuerans Deo subijci. Nam quomodo aliàs pleriq; resipiscentes seruati essent?*

Si quis

Si quis autẽ spiritũ Christi. *Spiritũ Dei dixit (ait Seuerianus) noui testamẽti dona. Porro ne mœrore afficeret Romanos, nõ dixit, Si uerò spiritũ Dei nõ habetis uos: sed permutauit, ut ueluti de alijs loqui uideatur. Insuper spiritus Dei, est etiã spiritus Christi: Christus enim Deus uerus est. Hic spiritus patri & filio cõmunis est. Quod ergo triste erat, in alium quempiã, eumq; unũ transtulit. Quod uerò lætũ ac desiderabile, ad Romanos multitudinis numero refert, inquiens, Si autem Christus in uobis est.*

Spiritus Dei.

Spiritum Christi.

Si autẽ Christus in uobis est. *Christũ esse in nobis, & spiritũ Dei habitare in nobis, & habere nos spiritum Christi, beato Pau. idem ualet. Hoc diuino spiritu cùm Christus nos adflat, & agit, dicitur & ipse habitare in cordibus nostris per hũc spiritum, & dicitur ipse spiritus in nobis habitare. Eadẽ deniq; mansio est, quã pater & filius apud eos faciũt, qui obseruãt sermonẽ IESV Christi, Ioã. 14. ca. Hic autẽ adflatus, hic ductus spiritus Christi adeo nobis gratiã IESV Christi adfert, nosq; in illud immutat, ut propterea dicamur mẽbra Christi, caro de carne eius, ipsi insiti, & uiuẽtes iam uitã eius, non nostrã. Viuo iam non ego (inquit Pau. Gal. 2.) uiuit uerò in me Christus.*

Christum esse in nobis.

Corpus quidem mortuum. *Beatus Aug. hoc intelligit de morte corporali, cui propter peccatũ obnoxij sumus. Motus hic uir sanctus ad hanc interpretationem, quòd statim Paulus de resurrectione corporũ loquitur, dicens, Viuificabit & mortalia corpora uestra. Diuus Ambro. scribit, Paulo corũ corpora causa peccati mortua esse, quos deserit spiritus Christi. Quod quidem in se uerum est. Apostolus autem alloquitur hîc sanctos Christo insitos, quibus tamẽ caro adhuc negotium faceßit, eosq; hac de causa ad reprimendas cupiditates carnis adhortatur. Corpus ergo dicẽs (ait Ambro.) totum hominem significat, mortuum peccati causa. Sicut & ab Ezechiele, 18. cap. sub uocabulo, Animæ, totus homo significatur. Anima (inquit) quæ peccauerit, ipsa morietur. Quidam interpretatur, Corpus, hîc ab Apostolo pro ueteri homine dictum esse. Hoc, inquam, mortuum est propter peccatum: quia uita eius nihil quàm peccare est. Familiarior fortaße uidebitur hæc interpretatio. Ne perterrefias cùm audis, Corpus mortuum propter originale peccatum, morti, adflictionibus, molestijs uarijs (quas interim nihilifacies) subiectum, & obnoxium. Tibi nãq; est etiam spiritus uiuens & uita ad iustitiæ operationem & effectum. Non desunt qui legunt, Spiritus uita, ut intelligamus de spiritu Christi, qui iustificando nos uiuificat, & corpus morti obnoxium olim uiuificabit. propemodum indicant, quæ mox consequuntur, Quòd si spiritus eius qui suscitauit IESVM à mortuis, habitat in uobis.*

Mors corporalis.

Corpus mortuum.

Spiritus, Vita

Quod si spiritus eius, qui suscitauit. *De resurrectione nũc differit. Quòd morti obnoxiũ habes corpus, caue tibi persuadeas, omnia simul interitura, & quæ non resurgent: habes nanq; Dei spiritum, qui Christum à mortuis excitauit: utq; & illum eduxit ab inferis, sic planè & te suscitabit, quinetiã donabit te & uita. Resurgent præterea & qui hoc spiritu carent, sed in supplicium. Qui uerò spiritus fuerint, in uitam suscitabuntur. coq; Paulus non dixit, Mortalia corpora suscitabit: sed, Viuificabit, propter inhabitantem in uobis spiritum. Quia iam caro & membra Christi sunt qui in eum credunt, ut qui eodem spiritu uiuant, sequentur membra caput suum suscitatum à mortuis. Nec qui inhabitaßet intulit, sed inhabitantem, utpote qui uobiscum ad finem usq; sit permansurus. Videtur paucis huius loci sensus sic explicandus: Quãlibet morti obnoxia sint corpora uestra, tamen propter spiritum Dei in uobis habitantem ad immortalitatem & uitam ea Deus suscitabit, ut Christum iam mortuum reuiuiscere fecit: cuius caro & membra (per eius spiritum in uobis) estis.*

Resurrectio.

Ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non secũdum carnẽ uiuendũ.

Ergo fratres, debitores sumus: non carni ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicunq; enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: in quo clamamus Abba (pater). Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur ut & conglorificemur. Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

a. Timoth. 1. b
Galat. 4. a

Ipse enim] Idẽ

Hæredes. Cohæredes.

Condignæ] pares

Carni debere.

Debitores sumus non carni. *Quia tanta cõsequuti sumus beneficia à Deo, non carni, sed spiritui debemus nos nostraq;, & ne existimetur* Paulus *necessaria corporis ministeria adimere, ut alimentum, indumentum, & huiusmodi, infert,* Vt *secũdum carnem uiuamus: hoc est, carnem carnalibus cupiditatibus inuolui permittamus.* Quod *infra 13. capite exprimit, dicens,* Carnis curam ne feceritis in desyderijs.

Spiritus Christi noster auriga.

Quicunq; spiritu Dei aguntur. *Quasi dicat,* Qui perseuerauerit *in finẽ usq;, hunc spiritum Christi ducem & aurigam suum præstituere, hi filij Dei sunt. Hic spiritus est, quo nos* Deus *sibi adoptat, quo cõparticipes, hæredes Dei, cohæredes* IESV *Christi dicimur: ut documẽto sit, nos eius filios dici, restituta in nobis eius imagine. Hic spiritus alibi à* Paulo Arrabo dicitur: *pignus electionis nostræ, & obsignatio,* 2. ad Corinth. 1. *qua nos* Deus *sibi obsignauit. Hic spiritus agit, docendo nos, quid uerè bonum sit, & in illud inflammando: reprimit quoq; contrarias cupiditates, ut quæ recta sunt agamus. Neq; hunc accipimus cum timore, seu ad timorem & terrorem. Hos enim terrores, conscientiæ concussionem, dubitationem, & fugam à Deo, uocat Spiritum seruitutis in timorem. Est enim* IESVS *Christus (cuius est spiritus ille) mitis, suauis, & mansuetus, qui legem suam non annuntiauit cum illis tonitruis & terroribus magnis, ut olim cum daretur lex in monte, sed in omni mansuetudine.*

2. Corinth. 1. d
& 5. b
Ephes. 1. c.

Adoptionis. *Non caret mysterio, quòd adoptiui filij Dei dicimur: nam natura sumus filij iræ.* Ephes. 2. *At Deus nostri misertus, per naturalem, siue proprium filium suum nos redemit, & spiritu suo sancto corda nostra confirmauit, & numen illud supremum & diuinum Patris nomine appellamus. Christus ergo natura filius Dei est, æqualis, & consubstantialis patri: sed Sancti, filij sunt adoptione: quia propter Christum recepti sunt, & donantur Christi donis, scilicet spiritu sancto, & noua æterna uita, sapientia, & iustitia, &c.*

Quid est spiritum Christi postulare pro nobis.

Abba pater. *Spiritus est qui postulat, id est, postulare nos facit, ut patrẽ agnoscẽtes oremus:* Pater noster qui es in cœlis, *&c. Ista est fiducia & audax familiaritas, qua miser & uermiculus homo diuinam maiestatem Patrem appellat. Et religiosissimè institutum est, ut à parocho dicatur, dum secundò adorans leuat sacrosanctam Eucharistiam, populo spectante, & eandem ut uerum* IESVM *Christum adorante, in sacris, seu missa illa uerè cœlesti: Et diuina institutione formati audemus dicere,* Pater noster qui es in cœlis, *&c. Hoc cooritur ex gustu quodam sensuq; spirituali diuinæ bonitatis*

nitatis per IESVM *Christum exhibitæ: quẽ gustum ac sensum affert spiritus sanctus, testimonium perhibens spiritui nostro: id est, conscientiæ nostræ quòd filij Dei sumus, ut his ab Apostolo subditur. Ante Christi aduentũ dicebãt,* Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: *Deus qui in rubo Moysi apparuisti: patrẽ habemus Abraham: huiusmodi loquutionibus utebantur. Nos uerò audita* IESV *Christi doctrina, oramus:* Pater noster: *iam non auditur pater Abrahã, Isaac aut* Iacob. *Est enim nobis pater in cœlis, cui filius proprius nos reddidit filios: sumusq; filij adoptionis, & hunc agnoscimus patrẽ. Idq; testificatur spiritus sanctus nostro spiritui, firmiter credenti Deum esse patrẽ nostrum. Hic spiritus testimoniũ reddit per effectum amoris (ut dicunt) filialis, quẽ in nobis operatur. Aut cùm in ecclesia audimus remissionẽ peccatorũ fieri, siue per baptismum, siue per pœnitẽtiam, id nos facit agnoscere spiritus sanctus, & eo autore clamamus,* Abba pater: *non magnitudine uocis, sed affectus. Quòd Apostolus Hebræam uocẽ cũ Græca posuit, seruiuit affectui. Dum enim uel singulari grauitate loqui instituimus uel ardemus animo, in natiuam linguã relabimur: etiam apud eos qui natiuã nostram linguam non intelligunt. Sic* Ioannes *pleraq; uoces* Hebræas *in historia sua posuit,* Cephas, Messias, *& alias quasdam. Hac ratione &* Marcus 5. cap. *uerba* Domini *ad puellam quam reuocabat à morte,* Hebræa lingua, *id est, qua tunc* Hebræi *utebantur, posuit,* Talitha kumi. *Et Apostolus noster in fine prioris ad* Corinthios, *deuouens aduersarios Christi, & minitans eis aduentum* Domini, Maran atha, *dixit: id est,* Dominus *uenit. Aut, ut ait* Petrus Lombardus *in hunc locum,* Non frustra *duarum linguarum duo uerba idem significantia posuit, propter uniuersum populum qui de* Iudæis Abba *clamantibus, & gentibus* Pater, *in unitatem fidei uocatus est. Aut dici potest, duplex adponitur patris nomen, ut ostendatur firmitas & certitudo fiduciæ.*

Abba pater.

Maran atha.

Si tamen compatimur ut &. *Hoc loco* Compati *est, non quod quidam uulgo accipiunt, moueri malis alterius, sed socium esse & imitatorem, atq; æmulum afflictionum Christi. Hoc dictum bifariã accipi potest, causaliter, & conditionaliter. Priore modo hunc sensum accipias: Quia unà cum Christo tam multa sufferimus, indubitatò hoc nobis persuasum est, nos Christo esse cohæredes, & eiusdem gloriæ participes. Ad hunc modum legit Chrysostomus. Sic & hanc certitudinem futuræ gloriæ præsentibus afflictionibus* Paulus Timotheo *suo confirmabat. Cùm enim hortatus esset ad constantiam in persequutionibus propter euangelium perferendis, subiecit,* 2. ad Timoth. 2. cap. *Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. Si dictum hoc cõditionaliter accipiatur, transitio est ad confirmationem tolerantiæ, qua perferamus afflictiones pro Christo: facitq; ad hæc ratio: Si unà affligamur, fit ut unà glorificemur. Christus hac uia gloriam suam iniuit, ut plurima antè pateretur: ergo eadem uia & nobis hæc gloria ineunda erit. Sed hoc neminem frangat, nemo his afflictionibus retrocedat. Tanta enim est hæc gloria Christi, quæ nobis communicabitur, ut nullæ afflictiones quæ hic nobis incidere possunt, queant illi conferri. Atque id est quod* Paulus *subiungit,* Existimo enim, *&c. Quod uerbum existimo, non pro opinor, aut dubito accipitur: sed pro perpendo, siue reputo. Nec enim id opinatur* Paulus *ceu dubitans, sed certus ita esse, perpendit in animo suo. Qui periculum fecerat de ijs (ut docet* 2. Corinth. 11.*) non dubius loquitur.*

Compati.

Existimo.

Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non uo-

Creatura.

lens

lens, sed propter eũ qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usq; adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri.

Adhuc.] Ad hoc tempus.

Adoptio filiorum.

Redẽptio corporis.

Nam expectatio creaturæ. Excitans hìc Paulus auditorẽ, & attollens, erigens q; à creatura, grandem reddit sermonem suum, contemptum præsentium constituens, cupiditatem q; futurorum. Atq; ut futurorum bonorum excellentiam exhibeat, ac desyderium ostendat, quo cupiant liberari, à quibus malis detinentur, infert etiam creaturam ualde expetere, præstolariq; bona. Locus hic intellectu difficilis. Nihil reuerà temerè de hoc confirmandum, sed pia diligentia etiam atque etiam uerba diuina tractanda sunt. Beatus August. lib. 83. quæstionum, & 67. & ad Orosium cap. 8. intelligit nos ipsos, quos omnem creaturam dictos esse ab Apostolo arbitramur, eò quòd nullum sit creaturæ genus, quod nõ in homine posit agnosci. Nos ergo anima & corpore afflictos in præsenti, quatenus creaturæ sumus, dicit expectare reuelationem filiorum Dei, hoc est nouæ in nobis creaturæ, quæ in præsenti uarijs ærumnis & miserijs quasi obtegitur, & reuelabitur in resurrectione. Origenes mentem id est rationalem creaturam hic intelligit, quæ dum necessitatibus corporis occupatur, congemiscit, & parturit, expetens sui liberationẽ, quæ tum futura est, quum filij Dei innouabuntur penitus. Diuus Chrysost. scribit, Apostolum, ut hunc suum sermonẽ manifestiorem faceret, personam assingere toti huic mundo: Atq; hunc locum usq; ad id quod sequitur, Nõ solùm autem illa &c. multi ex Græcis interpretantur de creatura quacũq;, præter rationalem, intelligi: esseq; hìc figuram Prosopopœiam, hoc est personæ fictionem, quoties inanimatum loquitur, aut contrá. Quẽadmodum & Prophetæ inducũt flumina plaudere manibus, colles exultare, & montes subsilire: uolentes nimirum ea hyperbole (id est oratione opinionẽ & fidem humanam excedente) amplitudinem exponere bonorum, de quibus loquuntur. Similibus figuris utuntur etiam in tristibus prophetæ, luctum tribuunt Soli, Lunæ, sideribus, & creaturis reliquis: quibus hyperbolis immensitatem exprimunt miseriæ & calamitatis, quæ hominibus destinantur. Nec solum hoc in hisce locutionibus significatur, sed etiam quædam sympathia & cognatio quam cum homine habent res uniuersæ. Sicut enim propter hominem omnia condita sunt, ita suo modo pro conditione hominum, & ipsa se habent. Terra sterilis, propter pietatẽ inhabitantium redditur fructifera: & terra fructifera, propter impietatem habitantium uertitur in salsuginem, ut canit ille Psal. 106. Principio enim ubi homo peccasset, terra maledictioni subiecta est, ut spinas proferret & tribulos. Angeli quoq; cùm gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente: dolent utiq; pro his qui pœnitentiam negligunt. Dolent, inquam, non dolore in se, sed in modum dolentium se habent. Atq; solet esse frequens hæc in sacris metaphora: ut apud Esa. 33. cap. scribitur, Angeli pacis amarè flebunt. Sic in prophetijs, quibus sacri prophetæ prædicunt præcipuam populi Dei uel calamitatem uel felicitatem, utranq; cœlo & terræ ac rebus omnibus communicant. Vnde cùm Esa. 63. cap. de regno Christi uaticinatur, cœlos pollicetur nouos, & terrã nouam,

Augustinus. Expectatio creaturæ.

Origenes.

Chrysost.

Prosopopœia.

Hyperbole.

Sympathia.

Res uniuersæ suo modo pro conditione hominũ se habẽt.

Angeli dolent, quid.

nouam, adeoq; nouitate præcellẽte, ut priorum nullam inde dicat fere memoriam. Paulus deniq; ipse Dominum nostrum IESVM instauratorem omnium facit, quæ sunt in cœlo & in terra, Ephes. 1. & Colos. 1. cap. Hæc omnia utpote congemiscere, & parturire tribuuntur omni creaturæ, toti machinæ rerum, non quòd illis propriè competant (est enim in his loquutionibus Anthropopathia) sed quòd omnino arcana quædam singulis rebus est cum homine sympathia: ex qua suo certo modo cunctæ res, calamitates & casus aduersos hominum dolent: salutem expetunt, & de ea gaudent. Facit ad hoc, cùm sacri prophetæ prædicunt atrociores ruinas gentium, totam machinam mundi unà commouendam testantur. Ita Esa. 13. cap. cùm prædiceret excidium Babylonis, Stellæ (inquit) & astra non lucebũt, Sol obtenebrabitur in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo, &c. Historiæ quoq; testantur quàm terrificè omnium creaturarum cœlestium & terrestrium immutationes factæ sunt in euersionibus regnorum, & populorum. Ita contrà, quando Dominus populis singulari magnificentia opem ferre instituit, facit ad id sibi seruire superna & infirna: idq; facit modo aliquo insolito & stupendo. Sic cœlum & mare seruiebant Israelitis exeuntibus de Aegypto, & in perdendo hoste Pharaone & Israëliticis in tutum deducendis. Totum quoque cœlum, & ipsi Angeli adfuerunt Ezechiæ contra Assyrios: Huiusmodi multa sunt Esaiæ 30. cap. expressa, & apud prophetas omnes. Idem uidere est in Christo Domino. Huic recens nato, cœlum clarius illuxit, Angeli gratulati sunt, & gloriam eius cantantes prædicant, Gloria in altissimis Deo: Stella adduxit magos: in deserto ministrarunt ei Angeli, & dæmones confiteri eum oportuit: morienti compassa est tota orbis machina: sol obscuratus est, terra mota, petræ scissæ sunt, uelum templi scissum est. Resurgenti & cœlum (quia cœlica luce conspiciebantur Angeli) & terra concussa, gratulabantur: Angeli aderant resurrectioni nuntij. Ita rursus, cùm ascenderet ad patrem, lucida eum excepit nubes, & angeli de reditu eius testati sunt. Cùm mitteretur spiritus sanctus, iterum totus orbis subseruiuit, tonitru, uapore, igni, terræq; motu. Dicatur ergo in hunc sensum: Creatura rationis expers, naturamq; habens corruptibilem & interituram, expectat reuelationem filiorum Dei, id est, mundi finem, quãdo demõstraturus est Deus, qui nam sint filij Dei, qui ue filij Satanæ. Vel tempus consummatæ beatitudinis, quia interim uanitati subiacet & corruptioni. Etsi Angeli iusti incorruptibiles sunt, tamen cum rebus corruptibilibus negotium habent, res mundi administrantes, & uident interire opera sua, ut ait Ambro. Cœli quoq; mutabuntur, Psal. 102. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent. Vanitas non hìc sonat mendacitatem, sed potius frustrationẽ, quòd creatura interim non assequatur, quod utcunq; cõtendit efficere: Verbi causa, dum aliud ex alio propagans, individuis uicissim cadentibus, ac renascentibus speciem tuetur, ne intercidat, meditatur immortalitatem quandam, sed frustra: non enim singula hæc corruptibilia, restituto homine incorruptibili & immortali, renouabuntur ad incorruptionẽ, tametsi expectare quodãmodo uideantur. Huic corruptioni subiecta est uolens, uel inuita, propter eum qui subiecit eam: id est, uel propter Adæ peccatum, propter quod & terra & creatura maledictioni et corruptioni facta est obnoxia: Vel propter Christum, qui sua potentia, uel inuitam illã corruptioni tenet obnoxiã: in spe tamẽ exeundi illam naturã interiturã, quippe quæ liberabitur à seruitute & necessitate corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei: hoc est, propter libertatem gloriæ, siue quãdo libertatẽ gloriæ filij Dei assequentur. Locutio ista, Expectatio expectat: etsi

Anthropopathia.

Affectu quodãmodo res uniuersæ duæ uidentur pro conditione hominum.

Vanitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

etsi paulò est inusitatior, habet tamen conuenientissimum sensum. Significare enim uoluit, magna anxietate constrictas, & magno desyderio suspensas creaturas, expectare diem illum, qui gloriam filiorum Dei exhibebit.

Omnes creaturæ libertatẽ nostram suspirare uidentur.

Scimus enim, quòd omnis creatura. Omnes creaturæ quodam modo libertatem nostram suspirant, & instar parturientis differri dolent: quippe quæ non antè perfectionis gradum sortientur, quàm post iudicium, reuelatione filiorum Dei facta, noui cœli, nouaq; terra fiant. Hæc non dicit Paulus, quia gemitum cuiuspiam, qui à terra moueatur, audiuerit: uerùm ut ob oculos poneret cupiditatem, qua expetit creatura à malis liberari.

Primitiæ.

Non solùm autem illa, sed & nosipsi. Non solùm illa, supple, creatura rationis expers, supple, uult illa, quæ præmissa sunt: sed etiam nosipsi habentes primitias spiritus, id est, donum spiritus sancti, quod à Christo glorificato cœpit effundi opulentius. Illud enim donum Apostoli & primùm & largissimè perceperunt. Sic uocauit Apostolus Christum primitias resurgentium, quòd primus à mortuis resurrexit. 1. Corinth. 15. & 16. cap. huius epistolæ uocat domum Stephanæ primitias Achaiæ, quòd ex Achaïcis primi credidissent. Aut, Habentes primitias spiritus, id est, naturale aliquod iudicium rationis, tanquam spiritus sancti primitias & delibamenta accepimus, ad illam libertatem suspiramus.

Adoptio.

Et ipsi intra nos gemimus. Exaggerat gemitum desiderij gloriæ filiorum Dei, ut ostendat quantum sit hìc sanctorum desiderium, & ex eo, quanta illa ipsorum gloria, pro qua adeo gemunt & suspirant. Exaggerat uerò gemitum à persona gementium, & à modo. A` persona, ait enim, Et nos ipsi, qui primi spiritu Dei donati sumus largissimè & opulentissimè. A` modo, quia intra nosipsos, in intimo cordis nostri non leuiter, nõ affectu quodam externo, sed taciti intra nos ingemiscimus, expectantes adoptionem filiorum Dei: non illam initialem (ait Theophylactus) quam iam assequuti sumus in baptismo: sed consummatam, ipsam scilicet tum animæ tum corporis redemptionem, & expeditam ab omnibus affectionibus & corruptionibus liberationem. Venundata siquidem sunt peccato, sanguine uerò Christi redimuntur: ut iam non peccato, sed iustitiæ seruiant, & uitæ beatæ, in qua perfecta & consummata dicitur redemptio, & adoptio. Ἄυτωσις. Est certè Ἄυτωσις, perfecta quædam & expedita mortis & passionum liberatio, quando non amplius nobis sit ab ipsa adoptione, ad seruitutem peccati diuertendi facultas. Si quis desiderat intelligere de innouatione creaturarum post diem iudicij, legat beatum Tho. qui hanc quæstionem exactius tractat parte 3. quæst. 91. Affirmatq; corpora cœlestia, elementa, & homines innouandos esse: Animalia, plantas & mineralia minimè. Quoniam hæc secundum & partem & totum corruptibilia sunt: illa uerò aut secundum totum, aut secundum partem sunt incorruptibilia. Sunt & aliæ rationes quas adducit.

Adoptio. Ἄυτωσις.

Spes.

Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ uidetur, non est spes: nam quod uidet quis, quid sperat? Si autem quod non uidemus, speramus, per patientiam expectamus. Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid

Orare.

desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum uocati sunt sancti.

Pro sanctis.] uel sanctis hominibus, uel rebus salutaribꝰ, & puris.

Spe enim salui facti. Ac si dicat, Dixi eos, qui credunt in Christum, esse filios atq; hæredes Dei, eoq; saluos atq; beatos. Sed si hac salute & beatitate re ipsa nõ fruamur, & potiamur, non pertædeat, quoniã spe et expectatione (quæ non cõfundit) salui sumus, securi sumus de hac salute, cùm de ea certò consequẽda spiritũ Christi pro arrabone hæreditatis habemus in nobis. Hæc spes & expectatio gemitum (de quo paulò antè sum loquutus (parit, non excludit. Ne igitur quæras cuncta hìc adesse tibi bona, sed nonnulla etiam spei reconde. Si enim cuncta tibi præstò esse uis, non est tibi spes. Etenim spes, quæ uidetur, non est spes. Si autem quæ non uidemus speramus, per patientiam assequemur illorum expectationem. Ex his apparent duo esse in spe, Absentia rerum, quas speramus: & certa earundem exspectatio: in illa est afflictio & gemitus, in hac fiducia est alacritas. Cùm ait, Spes quæ uidetur: Metonymia utitur. Spem usurpans pro rebus speratis, ut omnia cum Dinoili, seu grauitate dicat.

Ephes. 1.

Duo in spe claruntur.

Similiter autem & spiritus. Ne existimes, inquit, defatigari expectando, Spiritus enim non sinet te defatigari, uerùm hac in re te adiuuabit. Sumus enim infirmi, nec patientes satis esse possumus citra spiritus paracleti auxilium. Nam si conaris bonum operari quantum in te est, spiritus pariter tui curam geret, & auxiliabitur: si uerò negligis, simul negligêris. De huiusmodi auxilio arcano Dei dum fertur, singularis fit mentio apud Dauidem Psalmo 33. & plerisq; alijs Psalmis. Rogabis: Quomodo datur spiritus sanctus, & quomodo est efficax? Respondeo: Cùm sustentamus nos uerbo in ipsis certaminibus, & inuocamus Deum: hæc duo Paulus hìc coniungit, sicut in Psalmo dicitur: Sustinuit anima mea in uerbo eius. Et, Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus &c. Et Christus inquit, Dabit spiritum sanctum petentibus se.

Spiritus fessos & afflictos leuat.

Nam quid oremus sicut. Scimus petenda esse saluti necessaria, qualia sunt credere, sperare, diligere Deũ, ac proximũ propter Deum, esse misericordẽ, patientẽ, benignum, pœnitentẽ, mansuetum, & huiusmodi: sed expediẽtes seu necessarios ad horum conseruationẽ & consequutionẽ modos, euentus, occursus, & huiusmodi, in particulari ignoramus. Multi enim uarijq; sunt modi assequendæ rei. Vnus mihi noxius est, qui alteri est cõmodus: & quem mihi existimo utilẽ modum, is reuera inutilis est mihi. Monasticæ alicui utilis est, quam alter ferre non potest, ad contẽplanda diuina, aut huiusmodi. Origenes, Ambr. Chrysost. & August. coniungunt illud, Sicut oportet, uerbo Oramus: existimant enim Apostolum uoluisse hìc dicere, nos nescire quid oporteat orare, eoq; sæpe pro salubribus orare noxia. Adducunt Paulum qui orarit iterum experiri sibi Romam: item remoueri à se angelum Satanæ cædentem, & neutrum exorarit, quia non orarit quemadmodum oportebat. Scimus quidẽ finem, sed modum assequendi frequenter ignoramus, sed spiritus postulat, &c.

Varij assequendæ rei modi.

Sed ipse spiritus postulat. Cùm spiritus sanctus nostrum spiritum uidet laborantem, & aduersantem carni, & quasi adhærendo sibi, oratione præit, et ad orandum eum excitat, facitq; postulare: dum caro concupiscentias suas ingerit, puritatem spiritus impedit, & synceritatem orationis obfuscat. Sed ubi uiderit spiritus Dei (ait Origenes) laborare spiritũ in aduersando carni & adhærendo sibi, porrigit manum,

Spiritus sanctus, nostrũ spiritum præcedit ut oret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& adiuuat infirmitatem eius. Et uelut si magister suscipiens ad rudimẽta discipulum, & ignorantem penitus literas, ut eum docere posit, & instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, & ipse prius dicere nomen literæ, ut respondẽdo discipulus & dicat, & discat, ac sit quodam modo magister incipienti discipulo similis ea loquens, & ea meditans, quæ incipiens loqui debeat ac meditari: ita & sanctus spiritus ubi oppugnationibus carnis perturbari nostrum spiritum uiderit, & nescientem quid orare debeat, secundum quod oportet: ipse uelut magister orationem præmittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus esse sancti spiritus desiderat, prosequatur. Ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, ut repropitiet sibi Deũ. hæc ille. Reuera hæc tam sancta suspiria, hos gemitus, has orationes, ut relicta hac carnis infirmitate in patriam conscendamus, spiritus sanctus nobis ingerit. Etiam si spiritus hominis aliquãdo petit nocitura, tamen spiritus sanctus afflans animos aliquorum, corrigit quod male petebatur, ueluti præfectus omnibus sanctis interpellationibus. Legito Augustinum in. 6. capi, Ioannis.

Spiritus cognoscit nostros affectus.

Scit quid desideret spiritus. Qui scrutatur corda, nouit quisnã sit affectus spiritualium hominum, qui orationis tum spiritum, tum donum acceperunt. Nouit inquam spiritus sanctus, quòd spiritalis non secundum noxiam cupiditatem, sed secũdum Deum (id est, uoluntatem Dei) intercedit pro sanctis: Qui (ait Photinus) per orationem sanctificantur. Vel quia pro puris, Deoq; placentibus operibus petitiones faciãt, uel pro hominibus sanctificationem desiderantibus. Quia diligentes Deum (ait Ambrosius in hunc locum) et si imperitè precati fuerint, non illis oberit, quia propositum cordis illorum sciens Deus & ignorantiam, illis imputat quæ aduersa postulãt, sed ea annuit quæ danda sunt Deum amantibus. Vnde & Dominus ait Matthæi 6. Scit autẽ pater uester quid uobis opus sit antequàm petatis ab eo. Hæc ille.

Vocati secundum propositum.

Scimus autem quoniam diligentibus. Totus hic locus ad eos, qui in periculis sunt constituti, pertinet: eruditq; eos, ne seligant semper quæ sibi uidentur commoda, & utilia, qui si aduersa patiantur, audiant id factum ad explorationem patientiæ. Atque & prospera & aduersa cooperantur in bonum. Sunt qui referunt uerbum ad spiritum, uel ad omnia. Iuxta priorem sensum intelligunt, spiritũ sanctũ omnia uertere in bonum suo auxilio: Iuxta posteriorẽ accipiunt, Omnia etiã mala, seu aduersa, adiumento esse sanctis ad felicitatem. Propterea non dixit quibuslibet id cõtigisse, sed à Deo tantummodo uocatis. Deinde ne existimetur Deus partem solummodo mortalium uocasse, subijcit, Iis qui secundum propositum uocati sunt. Ostendẽs omnes quidem uocatos esse, uerùm eos duntaxat obediuisse, qui secundũ propositum ac prædestinationem sint uocati. Hi autem (ait Ambrosius) secundum propositum uocantur, quos credentes præsciuit Deus futuros sibi idoneos, ut antequàm crederent scirentur. Videtur hìc apostolus, cùm dicit, Omnia cooperantur in bonum, ad superiora respicere, quibus testatus est omnem creaturam nobis congemiscere: perfici salutem nostram expetere, tum ipsum quoq; spiritum succurrere nostræ infirmitati. Ad hæc ergo, uelut amplificans, dicit nunc, Sic nos iuuat spiritus, sic opem ferre omnia quærunt, sic Deus in salutem nostram omnia instituit, ut nihil omnino sit, quod nostram salutem non adiuuet, & quodammodo instauret.

Prædestinatio.

Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autẽ prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiam proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo nõ etiam cũ illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: Quis est qui condẽnet? Christus IESVS, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?

Magnificauit.] glorificauit.

Vocatio. Iustificatio. Glorificatio.

Donatus nobis Christus.

Conformes fieri imaginis. Qualis nam imago (ait Cyrillus) Dei hìc intelligitur, declarabit ipse Paulus, quum 1. Corinth. 15. dicit, Quemadmodum portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginẽ cœlestis: hoc est, uitã in sanctificatione, ac irreprehensibilẽ ad proximũ conuersationem. Quemadmodum enim imaginem terrestris, id est Adæ, dicimus esse uitam in inobedientia & peccato: ita imaginem supercœlestis, id est Christi, sanctificationem, iustitiam, & obedientiã adsecueramus. Istos quos præsciuit (ait Ambrosius) futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda, ut hi qui credere uidentur, & non permanent in fide cœpta, à Deo electi negẽtur: quia quos Deus elegit, apud se permanent. Est enim qui ad tempus eligitur: sicut Saul & Iudas, non de præscientia, sed de præsenti iustitia. hæc ille. Conformes nos filios suos faciet, quando configurabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ in resurrectione, ut sit ipse primogenitus mortuorum, & resurgentium.

Fieri imago Dei.

Electio duplex. Quãdo conformes nos filios faciet.

Quos autem prædestinauit. Prædestinatos uocauit per prædicationem IESV, iustificauit per mortem illius, glorificauit per resurrectionem, ac præmium immortalitatis. Siue, uocauit per doctrinam Euangelicam, iustificauit per baptismum, glorificauit per dona Spiritus. Ad hunc modum Paulus gradibus quibusdam ab eo, quod est omnium primum, peruenit ad id, quod est omnium summum, quò res esset firmior & absolutior. Aut dici potest hunc in modum: Quos Deus prædefiniuit, seu prædestinauit, in hoc scilicet ut per Christum adducantur sibi, hos uocat, etiam in communionem Christi, & uocatos per hunc Christum suum peccatis omnibus absoluit, id est iustificat, tandemq; imagine sua in eis restituta, & diuinitate quadã plenius impertita, glorioſos, & sui communione beatos reddit.

Quid ergo dicemus ad hæc? Non placebimus nobis de tanta Dei in nos dignatione? Non gloriabimur de Deo nobis sic propitio? non exultabimus summa securitate & fiducia de tanta felicitate? Non insultabimus denicq; summa cõfidentia & animositate omni ui aduersariæ de tanto contra omnia mala præsidio? Hæc omnia insunt isti interrogationi, Quid ergo dicemus ad hæc? Vnde subijcit.

Si Deus pro nobis. Si Deus pro nobis, ut pater pro filijs, ut saluator pro ijs, quos ab æterno ad salutem præfiniuit, uocauit, remissis peccatis cooptauit, paulò post & gloria sua plene donaturus, quis contra nos quicquam ualeat, ut hanc plenam & solidam nostram felicitatem ulla ex parte imminuat?

Qui etiam proprio filio. Quis cui parcat amplius, quàm filio? quid seruatum æquè cupiat, atq; proprium filium? imò, quid non impẽdat quis, ut saluum habeat filium?

filium? At Deus sic pro nobis est, sic nostræ saluti studet, ut quò nos perpetuum salui essemus, nō solùm filio suo non pepercit, nec eum quouis modo pro salute nostra impendit: sed tradidit ipse eum, ut pro nobis moreretur. Idem expressit Dominus Ioannis. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Quod hic Apostolus per proprium filium, id Dominus per unigenitum expressit, nempe uerum Christum Deum & hominem.

Quomodo non etiam cum illo. Vt liberati peccatis æternam uitam uiueremus, Deus filium suum proprium, malorum omnium depulsorem donauit: Ergo cum hoc depulsore malorum, conciliatoreq; bonorum omnium, donauit nobis omnia. Quia hæc nota sunt, interrogatione est usus.

Quis accusabit aduersus electos. Interrogationes istæ, non uidentur tam rogare, quàm instare, & fiduciam ueritatis exprimere: ut cùm interrogatur. Quis accusabit aduersus electos Dei? Respondendum, Nemo. Et quod subijcitur, Deus qui iustificat: ratio est confidentiæ, quam interrogatio præcedens expressit. Deo enim iustificante & absoluente, quis ausit accusare? Et ut id quis ausit, & reos nos etiam peragat, præstò est satisfactio, mors Christi, imò potens aduocatus, qui nos omni quamlibet merita condemnatione eripiat. Christus mortuus rediuiuus & ad dexteram Dei sedens & regnans: hic enim interpellat pro nobis. Nemo ergo ausit criminari eos, quos Deus non solum uocauit, sed etiam elegit. Pronuntiandus est hic locus interrogatiué. Nempe sensus etiã pronuntiatione uariatur, adeò ut sermo perperam pronuntiatus, sensum faciat hæreticum interdum. Adnotauit hunc locum Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. cap. 3. Ecquis est qui condemnet spiritu adiuuante imbecillitatem nostram, patre autem iustificante, filio uerò pro nobis mortuo? Porrò quos ipsa trinitas iustificauit, quis cõdemnet? quasi dicat, Nemo. Hæc certe irrefragabilia sunt. Animaduerte quòd non dixerit seruos Dei, sed Electos, dignitatem illorum amplificans. Non dixit, Qui remittit peccata: sed quod maius est, Qui iustificat: ne per interpellationem diminutionem quandam intelligas. Primùm parem adeoq; æquam dignitatem posuit, nimirum quòd sit ad dexteram patris. Deinde adijcit, interpellat: hoc intelige, quod per incarnationem. Quia homo factus est, pro nobis ad patrem interpellet, quoniam ipse pontifex. ut infra ad Hebræos docetur.

Sensus pronuntiatione uariatur.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculũ? an
Psal. 43. d persecutio? an gladius? (sicut scriptũ est, Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis) Sed in his omnibus superamus propter eũ qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundũ, neq; creatura alia poterit non separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.

Mortificamur] Morti tradimur
Propter eum] Per eum
Virtutes,] Potestates,

Quis ergo nos. Respexit ad illud: Quis accusabit aduersus electos Dei? Quis condemnet. Pertinent enim hæc ad probandum propositionem, Omnia cooperãtur in bonum,

bonum, &c. Auditorem erigit Paulus, ut ne succumbat, animum'ue despondeat, audiens adflictionem, persequutionem, & huiusmodi. Omnium, inquiens, dominamur per gratiam Christi. Omnibus, inquit, ad iniuriam expositi sumus (nos Apostoli uidelicet) tanquàm nos oporteat primum mactari, cui sanè rei nihil contradicimus. Catalogum istorum, quibus ipse, & alij Apostoli initio exerciti sunt, expositi 1. Corinth. 4. 2. Corinth. 4. 6. & 11. Totum hunc locum Augustinus libro de doctrina Christiana 4. cap. 20. profert, uelut exemplar orationis, quæ uehementiam cum ornatu coniunxerit.

Separabit à charitate. Charitas hic uidetur accipi, qua nos dilexit Deus, & ad redamandum prouocaut. In hunc sensum accipiunt beatus Ambrosius, & Augustinus. Chrysostomus intellexit de Dilectione Dei in nos, propter uerbum conclusionis sequentis, cùm addit: Quæ est in Christo IESV. Charitas.

Oues occisionis. Id est, oues occisioni destinatæ: Occisionis pro mactationis positum. Ea est, quum lanius contrectat, & explorat pecudẽ, num idonea sit, ut iugulẽtur. Locus hic desumptus est ex Psal. 43. Ac si diceret, Quotidie reputati sumus, ut oues mactationi destinatæ, à quibus quotidie aliquæ mactantur. Vehemens est in eo psalmo sanctorum querulatio. Vide quæ in hunc locum apud Dauidem adnotata sunt. Oues occisionis.

Sed in his omnibus superamus. Non solùm uincimus, sed etiam superuincimus, excellenter uincimus. hoc est, per eos, qui nobis insidiantur, coronamur. Insidiatores enim & aduersarij nostri sunt nobis coronarũ suppeditatores, si modo iniuriam propter Christum feramus. In his omnibus superamus, non nostra uirtute, sed per eum qui dilexit nos.

Certus sum. Persuasus sum (hoc modo legit Hieronymus ad Algasiam quæstione 9.) siue cõfido, habeo compertũ de istis, quæ patimur, afflictiõe, angustia, &c. quòd nihil nos auellet à charitate Christi. Satan illa nobis concitat, & in hoc, ut à Deo deficiamus, tanquam nullam curã nostri gerente, aut certè nos odiente. Id quod ipsi Iob, & Domino nostro IESV Christo esurienti in deserto persuadere conabatur. Sed Deus donat spiritum suum, quo superuincimus omnia, id est perstamus in fide Christi immoti.

Neq; mors, neq; uita. Nihil in uita, nihil in morte. uel, Nihil inter uiuos, nihil inter mortuos sic ualet, & formidabile est, ut posit nobis auertere dilectionẽ Dei. Aut in hunc sensum dici potest: Siue uiuendum sit, siue moriendum, nihil tamen poterit incidere, quod alienet à nobis Deum.

Neq; angeli, neq; principatus. Per Angelos uidetur intelligere non malos tantùm, sed etiam bonos: ut huic dicto insit ea hyperbole, qualis inest illi ad Galat. 1. Si angelus de cœlo euãgelizet uobis, præterquàm quod euãgelizauimus uobis, anathema sit. Non quòd boni angeli auertere à Deo uelint: hoc absit: Enimuero uehemens desyderium significare quærẽs, & ardorẽ erga Deum, ad hos sermones peruenit Paulus. Angelos uidetur dicere administratorios spiritus, quos mittit Deus in ministeriũ propter eos, qui hæreditatẽ capient salutis. Hebræorũ 1. Principatus, angelos principatu, hoc est ampliore imperio fungẽtes. Virtutes, qui mira & potentia efficiunt, ultionemq; Dei exequũtur in malos: quales erant qui euerterũt Sodomã & Gomorrhã, qui secuerũt mare rubrũ, & alia miracula ediderũt pro populo Dei cõtra hostes eius. Dici etiam potest, & intelligi de malis angelis: Quia peccata nostra merẽtur, ut & malis angelis sua sit in orbe potestas. Distribuit Paulus hos quoq; in malos angelos, rectores mundi, tenebrarum huius seculi, in principatus & potestates, ut Ephes. 6. Coloss. 2. Priore ad Corinth. 5. cap. loquitur de utrisq;, bonis, & malis. Ita uidetur in præsenti loco

Angeli. Principatus. Virtutes.

loco de utrisque intelligere, quum dicit, nullos principatus, nullasq; uirtutes posse nos separare à dilectione Dei, ut tamen in eum sensum accipiatur qui præmissus est.

Neq; instantia, neq; futura. Neq; præsentia, neque futura bona poterunt me separare, &c. Aut dici potest, Neq; præsentia, &c. id est, nulla temporis longitudine fiet, ut à domini gratia separemur. Ad Philip. 1. cap. Confidens in hoc ipsum, quia qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; in diem Christi IESV. Altitudinem (ut opinor) regnũ appellat: Profundum autem gehennam: præterea æternã uitam, & æternam mortem. Aliter: id est, neq; ualde celebria, neq; apprimè incelebria, nos separabũt à dilectione Dei: neq; alia creatura, etiam si alia tanta creatura esset, quanta est uisibilis, & inuisibilis, nihil quicquam tamen ab ea me charitate diuellet. Sunt & aliæ piæ interpretationes, non recedentes à ratione doctrinæ Apostolicæ.

CONCILIATIO.

Conciliatio I. CVM Paulus hîc dicat, In spiritu sancto clamamus abba pater: quomodo ad Galat. 4. dicit, Dedit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater. Quomodo clamamus si ille clamat? DICENDVM, clamare dicitur spiritus sanctus, quando clamare nos facit, habitans in nobis, & tunc tanquàm præfectus in nobis actiones nostras dirigens.

Secunda. SIBI aduersatur Paulus hîc carnem abijciens, Debitores sumus non carni: quam Ephesiorum 5. honorificè excipit dicens, Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam. RESPONDEO: Non prohibet hîc Paulus omnem corporis curam. Debemus illi necessaria: habentes enim alimenta (1. Timoth. 6.) & quibus tegamur, his contenti simus: sed prohibet, ne secundum eam, seu eius desyderia uiuamus, ut infrà 13. Carnis curam ne feceritis in desyderijs.

DICTIO.

Carni studere. CARNI studere, est Deo aduersari.

Perfecta redemptio beatitas. REDEMPTIONEM corporis, pro à corpore, hîc uocat ut liberemur à corpore illo, quod antè mortis corpus uocauit: ut ab hoc corpore liberemur, & immortale corpus recipiamus. Hæc redemptio nostra perfecta erit, hanc uocat Paulus beatitatem, felicitatem, uiuificationem, hæreditatem, gloriã. Item Philip. 3. transformationem, 1. Corinth. 6. Immutationem à conditione carnali & terrena, in spiritualem & cœlestem.

Intercessio. INTERCESSIO propriè fit, quum quis pro alio orat.

Spes. SPES, est expectatio boni futuri: ardui quidem, sed possibilis.

Primogenitus. PRIMOGENITVS ex lege Dei, quæ apud sanctos ualuit, etiam antequàm lex Moysi ferretur, fratrum suorum princeps erat, domum mortuo patre regebat, donec singuli patresfamiliâs fierẽt, eoq; & duplicem portionem accipiebat, quod uel ex benedictione illa sancti Patriarchæ Isaac abunde liquet, qua Iacob filium suum in primogenitum quasi inaugurabat, & consecrabat.

TRIBVLATIO quodlibet aduersitatis genus comprehendit.

ANGVSTIA, siue anxietas, est consilij, animiq; inopia, quæ præ difficultate cõtingit: hac premebatur Loth, quãdo filias suas Sodomitis offerebat, & Abraham dicens uxori, Dic quòd soror mea sis.

PERSECVTIO, est propriè iniuria, qua immerẽtes à malis hoĩbus uexamur.

Virtutes. VIRTVTES dicuntur ij, qui mira & potentia efficiunt, ultionemq; Dei exequuntur in malos. Solent literæ Apostolicæ uirtutes usurpare pro facultate edendi miracula, indeq; ipsa miracula sic uocare, 1. Corinth. 12. Pro miraculis ipsis Dominus usus

nus usus est hac uoce, cùm ait Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die, Domine, non'ne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus! Et idem Euangelista de Domino docente in patria sua, capite 13. ait: Et non fecit ibi uirtutes multas, propter incredulitatem illorum. Petrus Actorum 2. Probat Dominum uirum probatum à Deo multis uirtutibus & prodigijs. Beatus Chrysostomus scribit, hoc donum uirtutum eò differre à dono sanitatum, quòd hoc donum tantùm ad sanandum esset, illud etiam ad puniendum. Alibi adscribit huic dono, excitare mortuos, ut uideatur fuisse facultas qua sancti grandiora miracula in iuuando & puniendo fecerint. Hac facultate diuus Paulus usus est, cùm percussit cæcitate Magum ueritati contradicentem: & Petrus, quando Ananiam, & Sapphiram sustulit. De hac facultate gloriatur, 2. Corinth. 10. & minatur eam 13. cùm scribit: Si ueniam rursus, non parcam. Eadem facultate usus est quando 1. Corinth. 5. fornicatorem tradidit Satanæ ad interitum carnis. Item Hymenæum & Alexandrum, ut cessarent blasphemare. 1. Timoth. 1. Act. 13. b Act. 5. a

ADOPTIO, ab adopto, quod est ualde desydero, aut filium adoptiuum facio. Adoptio (sicut scribit Caius) duobus modis fit, aut principis autoritate, aut magistratus imperio. Adoptio.

INTER Animam & Spiritum hoc interest, quia Animæ sunt ea, quæ ad naturã pertinent: spiritus uerò ea quæ supra naturam. Esaiæ 26. Anima mea desyderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane uigilabo ad te. Anima & spiritus.

ABBA Hebræis, imò Syris, ut indicat Hieronymus, sonat patrem, dictio è duabus primis literis composita, Aleph, & Beth, sed uocem Hebræam reliquit, quo significaret peculiare quiddam esse in ipso uocabulo, quod & patres libenter audiunt, & pueri primum sonare discunt. Nam hoc statim implorant patris opem, cuiusmodi est apud Latinos Pappus, uox infantibus peculiaris. Abba.

Filij Dei non secundum carnem, sed secundum promissionem.

CAP. IX.

Optat Paulus Iudæos saluari.

VEritatem dico in Christo IESV, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & cõtinuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen.

Optabam]uel, optarim

Cognati]Congeneres, siue affines

Veritatem dico. Testificatur de maximo & incõparabili suo amore in Iudæos, & causas huius amoris urgentissimas subijcit. Vt autem dictis suis fidem non abroget, producit testes tres numero, Christum, Propriam conscientiam, & Spiritum sanctum.

Quoniam tristitia. Non sine artificio truncata utitur oratione quando mox non exprimit, de qua re loquatur. Nondum enim opportunum erat interitum gentis Iudaicæ aperte exprimere. Conciliat tamen animos Iudæorum, & obtestatione ab inuidia sese expurgat, ut falsa mali affectus in Iudæos suspicione se liberet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac si dicat: Quod posthac de gentium uocatione, & Israëlis repudio dicam, Deum testor, quòd nulla inuidia, aut affectu malo dicam. Nam tantum abest ut lapsus Israëlis me oblectet, ut magis animum me dolore discrutiet: Imò & mei capitis periculo animæq; dispendio, si liceret, illorum salutem redimerem.

Testes fidei Paulinæ.

Optabam enim. Obseruanda est hìc Epitasis, id est intensio. Quum multi Deũ criminarẽtur quòd Hebræos, quos antea gloria dignißimos iudicasset, eiecerit, & affecerit ignominia, & his postmodum gentes suffecerit, qui sui nullam habuissent anteà notionem: eoq; & diuinam prouidentiam obtrectarẽt pleriq; & maledictis insectarentur, tanquàm Deus suos fefellisset, quos beneficijs ornare promisisset. Dolens itaq; Paulus, & pro Dei gloria tutãda, & istorũ maledictis perculsus, optabat se anathema fore, hoc est quiddam sepositum & alienum, si fieri liceret, uel à cœtu sanctorũ qui Deo aßistunt, & gloriæ fruitione, non tamen à Dei amore, dummodo detractores huiusmodi salutem assequerentur, & abolerentur eorum in deum conuitia. Certè perditionem illorum sui dispendio auertere, & salutem illorum suo exitio redimere in lucro posuisset. Rapitur uel ad impoßibilia animus tantis æstibus agitatus. Hic dolor Pauli incomparabilis erat: hunc cõceperat de ruina & euersione Israëlis: ita Dauid optabat dari sibi, ut pro Absalone moreretur, hoc est, ut illum sua morte à morte redimeret. Similia in Psalmis & Iob multa legis: huiusmodi est uerbũ Moysi Exodi 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si nõ facis, dele me de libro, quem scripsisti. Isti excessus sunt charitatis, uerè flagrantis, qui Deo displicere non possunt, quum ex charitate proueniant, quæ Deum unicè delectat. Tales erant lacrymæ Domini super Hierusalem.

Lucæ 19.f

Affectus erga cõgeneres sanctus.

2. Timoth. 3. a.

Pro fratribus meis. Hæc una causa est charitatis suæ in Iudæos, quæ est à natura, cùm fratres dicit, & cognatos secundum carnem. Insciit enim Deus nobis erga congeneres singularem charitatem, cui fides Christi adeò non derogat, ut Paulus pronuntiet eum fidem abnegasse, & infideli esse deteriorem, qui hunc naturæ affectum erga cognatos exuerit.

Israëlitæ.

Qui sunt Israëlitæ. Israëlitæ sunt non ex uulgo hominum fratres, aut gentiles, sed ex nobilißimo genere totius orbis, quos nõ mea solùm, sed & Dei causa quisq; faciat plurimi, cui scilicet Deus Deus sit. Non frustra inter eorum laudes hoc scribit, quòd Israëlitæ essent: nam id summæ benedictionis loco precatus fuerat Iacob, ut nomen suum super eos inuocaretur.

Quorum adoptio est. Hæc est altera causa charitatis Pauli in Iudæos, sumpta à dignatione Dei: quod Deus tam locuplete gratia ditauerat, tam honestis titulis donauerit præ omnibus populis orbis. Hæc sunt huiusmodi,

Esse adoptatos Deo in filios.

Singulari diuinæ bonitatis præsentia pollere, quæ uera gloria est.

Pactorum Dei & promißionum uitæ esse participes.

Doctrina uitæ, quæ in lege est, ueraq; colendi Deum ratione instituì.

Genus ducere ex sanctis patribus.

Christum ipsum ex eorum gente natum, quæ utique summa nobilitas est, Ad Galat. 4. Cùm autem uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Et suprà 8. cap. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei. Ex hac dignatione orabant apud Esaiam, 63. Tu Domine pater noster es, Hæc dignatio expressa est Exod. 4. Filius meus primogenitus Israël.

Israël. His uerbis non solùm Dei indulgentia erga Israëlem commendatur: sed etiam uis adoptionis demonstratur, sub qua cœlestis hæreditatis promißio continetur. Adoptionem hoc loco intellexit electionem illam Dei liberam, qua ceu peculium ex omnibus uocati lectiq; sunt gentibus.

Et gloria. Deuteronomij 4. cap. Hæc est enim uestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes uniuersa præcepta hæc dicant, En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Hic Gloriam accipit pro excellentia in quam populum illum extulerat Dominus præ omnibus reliquis populis.

Testamentum. Tabulas legis intelligit, & fœdera Abraham & Patribus icta. Legislatio ad omnes leges & mores pertinet. Non uulgare est populi Iudaici decus, habere Deum Legislatorem. Nam si alij Solonibus & Lycurgis gloriantur, quantò iustior est gloriandi materia de Domino?

Et obsequium. Commendat hic Paulus officia sacerdotalia & ritus ac ceremonias sacrorum, interprete Origine.

Qui est super omnia Deus. Hoc loco Paulus palàm pronuntiat Christum Deum esse: ad refellendum illorum errorem, qui tum Christum (ut ait Origenes) non audebant appellare Deum, ne plures Deos facere uiderentur. Deplorabat Paulus, Iudæis Dominum IESVM non agnosci, & promissum ipsis Christum insanè ab eis reijci. Ob id hunc in modum exclamasse uidetur: Ò uerè nobiles & beatos Iudæos sua si bona nouissent! Ex istis natus est Christus ille, qui est Deus benedictus in omnibus, & super omnia Deus existens. Aliter: Gratiarum actionem super his omnibus beneficijs acceptis referens Paulus ad unigenitum Dei ait, Quid enim si cæteri malè dicunt? Sed nos qui occulta illius nouimus, & sapientiam ineffabilem, & prouidentiam plurimam, certò scimus eum esse dignum, qui glorificetur, non qui blaßphemijs incessatur.

Non autem quòd exciderit uerbum Dei: Non enim omnes, qui ex circuncisione sunt Israël, ij sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est: Non qui filij carnis, ij filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim uerbum hoc est, Secundum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius. Non solùm autem illa: sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret,) non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Qui] quia semẽ

Secundum hoc tempus] in tempore hoc Ex concu. &c.] Conceperat ex Isaac patre nostro.

Israëlitæ. Gene. 21. b

Filij promissionis. Galat. 4. d Genes. 18. b Gene. 25. c

Genes. 25. c Malach. 1. a

Non autem quod exciderit. Correctio est. Transit Paulus ad suũ negotiũ. Quòd ita gentis meæ exitium deploro, non eò spectat, ut iubeam, uelimq; quenquam desperare, & animum despondere, ac si Dei promißionem Abrahæ olim datam, nunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſolutam,& abolitam putarem,diceremq́; nullos ex Iudæis ſeruari poſſe.Verbum:id eſt, promiſsio Abrahæ facta non excidit,ſed adhuc ad nos pertinet,& non eſt irrita.

Sed in Iſaac uocabitur tibi ſemen. *Non tam ſemine ſuo, quàm fide Abraham ex Sara,etiam ſterili, filium Iſaac ſuſcepit. Itaque qui fidem Abrahæ imitatur, Chriſto Deo gignitur, & uerus Abrahæ, ac promiſsionis filius cenſetur. Non ſolùm autem illa Sara filium habuit promiſsionis:ſed Rebecca, ſupple, habens in utero ex uno concubitu Iſaac patris noſtri: id eſt,ab Iſaac patre noſtro impregnata.Hæc perſuadent, Paulum uelle exemplo Iſmaëlis & Iſaac,Iacob & Eſau,oſtendere præfiguratam Iudæorum,qui maiores erant, abiectionem:& Gentium, qui minores, aſſumptionem.Et ne obijcerent Iudæi,Gentes non aſſumendas eſſe, quòd idololatræ eſſent: ſe uerò ſeruandos, ut Dei cultores: manifeſtat gratuitam gentium uocationem præfiguratam eſſe.Cùm Deus elegerit Iacob,Eſau uerò abiecerit,antequam boni quicquam, aut mali egiſſent: imò antequam nati eſſent.Propterea dicit, non ex operibus, quibus opponitur uocatio gratuita,ſed ex uocante Deo dictum eſt illi, ſupple, Rebeccæ, cùm*

Genes.25.c *ſciſcitaretur oraculum. Vbi enim illi eſſet grauior colliſio infantium in utero, & rogaſſet de ea dominum: Reſponſum accepit,ſe geſtare in utero duas gentes, & duos populos ex utero eius diuiſim prodituros, alterumque populum alteri præualituru m, & maiorem ſeruiturum minori. Hoc igitur oraculum dictum eſt antequàm Iacob & Eſau nati eſſent,nedum antequàm boni aut mali aliquid feciſſent. Sunt ergo filij Dei electione,& uocatione: & non carnali natiuitate, quæ ad pietatem hanc nihil*

Maior & minor. *confert. Obſerua:hîc Maior & Minor non ad ætatem propriè referuntur, ſed ad uires & præcellentiam.*

Sicut ſcriptum eſt. *Hæc clauſula,ſicut ſcriptum eſt (ait Hieronymus) & ad Geneſeos librum,& ad prophetam Malachiam refertur. Non ſolum ait, dilexi Iacob antequàm naſceretur,& odio habui Eſau,priuſquàm ex matris utero funderetur: ſed in poſteros eorum amorem meum & odium conſeruaui.Odium in Eſau, cuius montes,*

Seir. Malach.1. Edom. *qui appellantur Seir, redegi in ſolitudinem, & urbes feci eſſe deſertas, & à ſerpentibus & beſtijs obtineri. Si autem dixerit Edom (hoc eſt Eſau) deſtructi quidem ſumus ad iram Dei, ſed rurſum ædificabimus ciuitates: hæc Domino prædicente, Cognoſcite quòd illis ædificantibus ego deſtruam, & iram meam æterna eorum uaſtitas approbabit. Odium igitur Eſau rebus oſtendi, Amorem in uos, id eſt in ſequentibus ipſum Iacob approbabo: illis deſtructis & redactis in ſolitudinem, uidebunt oculi ueſtri, & dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terram Iſraël. Et ex comparatione malorum, quæ frater ueſter patitur, Dei in uos beneficia ſentietis. Hactenus*

Mahumetana lues unde. *Hieronymus in 1. cap. Malachiæ. Ex hac gente Eſau prodijt illa exitioſiſsima lues abominationis Mahumetanæ. Vaſta quoque & horrida adeò hæc regio perpetuò eſt, ut rectè terminus impietatis dici debeat. Auguſtinus in epiſtola ad Sixtum preſbyterum ait: Apoſtolus teſtimonium prophetiæ longè poſterioris aſſumpſit:Iacob dilexi, Eſau autem odio habui:ut intelligeretur hoc apertum poſtea per prophetam,quod antequàm illi naſcerentur,erat in Dei prædeſtinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequàm natus feciſſet aliquid boni,niſi gratuitum gratiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau antequàm natus feciſſet aliquid boni uel mali,niſi originale peccatum? Nam nec in illo diligeret iuſtitiam,quam nullam ille fecerat:neque in iſto odiſſet naturam,quam bonam ipſe fecerat.*

Quid

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deũ? Abſit.Moyſi enim dicit, Miſerebor,cuius miſereor:& miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor. Igitur non uolentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc ipſum excitaui te,ut oſtendam in te uirtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in uniuerſa terra. Ergo cui uult miſeretur,& quem uult indurat. Dicis itaque mihi, Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti,ex eadem maſſa facere aliud quidem uas in honorem,aliud uerò in contumeliam?

Exod.33.d

Pharao Exodi 9.d

Virtutem] potentiam

Queritur? Iuel cõqueritur, aut incuſat? ſubaudi Deus. Qui]ſubaudi, ex aduerſo reſpondeas

Iſaiæ 45.b

Ieremiæ 18.a

Figulus.

Sapien. 15.b

Quid ergo dicemus? *Scopus Apoſtolo eſt,ſequẽtibus dictis auferre obiectiones quas caro facere ſolet, contra prædicationem electionis liberæ Dei. Quid putatis (ait)ex ijs,quæ præmiſi,dicẽdum eſſe,aut inferri poſſe?forſitan id quod ſequitur:Nunquid iniquus eſt Deus? Quia nondum natos nec quicquam meritos ſic diſcernit. Hoc religioſæ menti eſt execrabile:imò tam aduerſum eſt ueritati, ut impium ſit dicere, nedum cogitare. Propterea indignantis reſponſionem ſubiecit: Abſit.*

Moyſi enim dicit. *Hæc,et quæ ſequũtur,uſq; ad illud,Si uerò Deus uolẽs,&c. Origenes tanquam aduerſariorum obiecta accipit. Alij patres ut Pauli reſponſionẽ interpretantur. Apoſtolo inſtitutum fuit(ait Chryſoſtomus) auocare ab huiuſmodi quæſtionibus de uocatione Gentium,& abiectione Iudæorũ:& cuncta reijcere in uoluntatem Dei,contra quam nemo,niſi demens,diſputationem inſtituere ſibi permiſerit. Noli altum ſapere,ſed time. De hac uocatione & electione legito Auguſtinum cap.7.lib.2. contra duas epiſtolas Pelagianorum.*

Miſerebor. *Hunc locum interpretatur Beatus Auguſt. Lib.2.quæſtionum ſuper Exodum,quæſt.154.cuius uerba ſubſcribam: Miſerebor, cui miſertus ero: & miſericordiam præſtabo,cui miſericordiam præſtitero. Quibus uerbis prohibuit hominẽ uelut de propriarum uirtutũ meritis gloriari,ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim ait, Miſerebor talibus, uel talibus:ſed cui miſericors fuero:ut neminem præcedentibus bonis operibus ſuis miſericordiam tantæ uocationis meruiſſe demonſtraret. Etenim Chriſtus pro impijs mortuus eſt. Hactenus ille.*

Non eſt uolentis. *Non uolentis:hoc eſt, non operum internorum:Neque currentis:hoc eſt,neq; operum externorum:ſed Dei miſerentis:ſubaudi eſt electio:hoc eſt, quòd homo ſit electus. Dicamus ergo, uocationem Dei non eſſe noſtrarum uirium: ſed bonitatis,ac gratiæ diuinæ.*

Dicit ſcriptura Pharaoni. *Hoc dictum eſt,pro eo quod erat, Scriptura refert dictum Pharaoni. In hoc te regnare permiſi, ut demonſtretur quàm ſim longanimis. Virtutem:id eſt,potẽtiam Dei,quam Oecumenius longanimitatem interpretatur.*

Indurat. *Indurat relinquendo hominem, & auxilium alioqui non debitum ſubtrahendo. Aut,durum eſſe permittit.*

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid adhuc queritur? *Hæc sunt quæ infert & colligit Caro ex præcedentibus, uidelicet eos, qui indurati peccãt, diuinitus nõ posse Deo iure culpari. Quia Pharao persequens Israël, & Dauid numerans populum & similes, faciunt indurati, quæ Deus uult eos facere, imò quæ ipse in eis facit. Quid adhuc q̃ritur: supple, Deus: id est, Cur Deus tales reprehẽdit? cùm eius uoluntati nemo resistere posit. Huius impudentiã quæstionis retũdit Apostolus, dicẽs, O homo q̃s es, &c. Vide Augustinũ libro ad Simplicianũ. Conqueritur Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet scripturarũ locos, quòd nolunt credere, & rectè uiuere. Vnde & fideles, & Dei uoluntatem facientes, conseruari dicũtur sine querela, quòd de illis nõ conqueratur scriptura.*

O homo, quis es: ut respondeas Deo? *Depellit nos Paulus ab eo, ut iudicia Domini iudicemus, ostẽdens hoc esse extremæ impudẽtiæ, & impietatis. Homo siquidem figmentũ Dei est, ex se nihil, Deus omnis iustitia & sapientia. Quid ergo magis aceeceat, magisq; impium sit, quam hominem contradicere Deo, disceptare de iudicijs Dei? Testatur ae se Deus, se misereri cuius uult. Credamus hoc certò, gratiq; amplectamur misericordiam, qua Deus nos complexus est. Testatur se indurare quos uelit, Gratias agamus eius bonitati, quòd nos non indurauit: oremusq; ne nos induret, & ne in tentationẽ inducat. Et timentes credamus omnia pro sua uoluntate infallibili sanctissime & prudentissimè agere. Nam tu quis es? Num is qui cum Deo habeas partiri imperium? Tace, & time. Vide, et agnosce Paulum hîc nõ soluisse omnes illas obiectiones a carne obiectas, ut arguantur quæ diximus hominibus obscura, & Deo duntaxat comprehensibilia. Propterea neque Apostolus ea soluit, sed hæsitantes & dubios obstruit, inquiens: O homo, quis es, &c. Augustinus in octogintatriũ quæstionum lib. 68. refellit hæreticorum calumnias, colligentium, ob id Paulum ad conuitia subitò deflexisse, quòd nodum quæstionis propositæ explicare non posset.*

Quòd si Deus uolens ostendere iram, & notam facere potẽtiam suam, sustinuit in multa patientia, uasa iræ apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & uocauit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & nõ misericordiam consequutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea uos: ibi uocabuntur filij Dei uiui.

Aptata] apparata

Gentium uocatio. Osee 2.d 1.Petri 2.b

Et erit] fiet, siue continget,

Osee 1.d

Quod si deus uolẽs. *Ad hãc orationis partẽ nihil sequitur quod respondeat: quapropter ad superiora referẽdũ est, uel ad illud, O homo quis es, qui respõdeas Deo? uel ad illud, An nõ habet potestatẽ? Eclipsis est, Si Deus uolẽs, &c. Sustinuit uasa iræ? qd ad te, subaudi. Vasa iræ apta, id est aptata. Deus quidẽ uasa misericordiæ præparauit, & uasa iræ sic aptata, longanimis sustinuit. Aut: Quẽadmodũ ad uasa iræ tulit irã Deus, quum diu fuisset longanimus, ac patiens: sic ad uasa misericordiæ, hoc est ad eos qui digni per eum misericordia sua reputati essent, attulit humanitatem & clementiam. Hoc subaudiendum est, ut ait Oecumenius. Gloriæ uocabulum, quod bis hoc loco posuit, positũ est pro misericordia Dei, quia præcipua eius laus est in benefactis. Sic &*

& Ephes. 1. Docet nos Paulus adoptatos in laudem gloriæ gratiæ suæ. Et paulò pòst subiungit: Vt simus in laudem gloriæ eius nos. Significat ergo Paulus hoc loco, Electos esse instrumenta quibus misericordiam suam exercet Deus, ut nomen suum in eis glorificetur.

Quos & uocauit, hos. *Ad eum sensum hoc dixit, quo suprà, Quos prædestinauit, hos & uocauit. De uocatione intelligit, quam diuus August. appellat secũdum propositum: uocatione, qua etiam attrahuntur: qui uocantur. Cum neutrũ genus præcesserit, Vasa misericordiæ &c nunc sequitur masculinum genus, Quos &c. Non ad uerbum, sed sensum respicito, qui huiusmodi est: Inter quæ uasa nunc & nos uocauit, ut se Paulus Iudæis una & Græcis immisceat.*

Sicut in Osee dicit. *Versus primus huius capitis quẽ Apostolus secundo loco adduxit, in hoc propheta, legitur à quibusdam in hunc modum: Et erit in loco ubi dicetur eis, Loammi uos, id est nõ populus meus, dicetur eis Filij Dei uiuẽtis. Iusserat Deus prophetam ducere quæ meretrix fuisset, & uocare primum filiũ quem ei illa peperit Iezraël, quod satum à Deo significat. Filiam quã secundò peperit, Loruchama, id est, destitutam charitate: filiam uero quem tertiò ei enixa est. Loammi. id significat nõ populus meus. Nomina hæc uolebat Dominus symbola esse eorum quæ per prophetã minabatur populo suo. Fecerat Dominus Iehu regẽ in Israel, ubi ille iussu Domini sustulit regnũ Achab, occiso filio eius Ioram & uxore Iezabel, totaq; gente. At quia perstitit hic Iehu in impietate quam inuexerat Ieroboã primus rex decẽ tribuũ, minatur Deus se & genus suum extincturũ, & cum eo abiecturum totum populum decem tribuum. In signum itaq; extinguendæ posteritatis Iehu quæ in Iezraël in regnũ euecta fuerat, iussit prophetam primum filiũ suũ uocare Iezrael. In signũ uerò abiciendi totius populi decẽ tribuum, uoluit filiam uocari Loruchama, & alterũ filium Loammi. Vt autem mos Domino est in prophetis, subiecit his minis pollicitationẽ misericordiæ suæ iterũ exhibendæ potissimum per Christum. Secũdo igitur capite canit Oseas numerum filiorum Israël fore instar arenæ maris, & ibi adijcit, quod hic apostolus adduxit: Et erit in loco ubi dictũ est eis, Non populus meus uos, dicetur eis filij Dei uiuẽtis. Nam mox colligẽdos prædicit filios Iuda & Israël unà, & hos sibi unũ caput, id est, unum principẽ imposituros: Atq; sub hoc, de terra utiq; hostili adscensuros in terram sanctam. His subijcitur, dicite fratribus uestris Ammi, id est populus meus, & sororibus uestris Ruchama, id est charitate dignata, seu misericordiã cõsecuta. Post hæc cõmemorat impietatẽ & repudium matris istorũ, hoc est maiorũ eorum, atq; iterũ subijcit, de reassumendis posteris illorum, sibiq; rursus despondendis in iustitia & iudicio in fide, & scientia Domini. Et hanc pollicitationem beneuolentiæ his uerbis cõcludit, Et dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu. Hanc restitutionem populi sancti & Iudæi intelligunt per Christum fuisse complendam.*

Loruchama, Loammi.

4.Regum 9.

Verbum] Sermonem Consummans] Perncies. f. Dominus.

In æquitate] Cum iustitia: Similes] Assimilati

Esaias autem clamat pro Israël: Si fuerit numerus filiorum Israël tãquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate: quia uerbum breuiatum faciet Dominus super terram. Et sicut prædixit Esaias: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.

Pauci ex Iudæis saluati. Esaiæ 10.c

Esaiæ 1.c

Esaias

Esaias autem. Non caret artificio, quod Esaiam clamantem fecit, non loquentem: ut scilicet maiorem attentionem excitet, & ut animos Iudæorum deterreat, ne in carne nimium glorientur. Horrendum auditu est, quòd ex infinita multitudine exiguus tantum numerus salutem consequetur.

Reliquiæ saluæ fient. Cùm dicit reliquias saluandas, satis indicat non omni Israël factam esse promissionem, in cuius locum successuræ essent gentes.

Verbum autem consummans. Deus ipse cõsummat, perficit & abbreuiat fidei uerbum in omnes terras. Facit quòd finem habeant omnes sermones fidei, cognitionisq; Dei, ait Oecumenius, nec aliud uerbum post hæc prædicãdum sit, præter quod diuulgatum est. Id quidem faciet in æquitate & iustitia, hoc est, ut iustificet omnes qui uerbum illud sunt suscepturi. Nã si IESVM tuo ore fateberis, credideriscq; corde & animo hunc ipsum à mortuis fuisse excitatum propter iustificationem nostram, in hunc sic credens, saluus certò fies, hoc sanè breuiatum est uerbum, hæc inquam compẽdiosa & breuia fidei dicta. Quidam aiunt de uerbo incarnato, hoc est, filio Dei intelligi, qui decurtatus & ad hominis usq; naturam abbreuiatus atq; exinanitus, habitu inuentus ut homo, reliquias Israël saluas fecit. Vel uerbũ (ut aiunt) pro lege Mosaica sumitur, quod abbreuiauit Dominus dum pro cunctis tortuosæ & sinuosæ legis ceremonijs breuissimum dedit dilectionis & fidei præceptum. Non desunt, qui locum hunc sic interpretantur: Dominus sic decurtabit populum suum, ut uideri possit quædam ueluti consumptio, quod residuum erit, id est facies aut uestigium ingentis ruinæ. Hæc autẽ paucitas quæ à consumptione restabit, erit opus Iustitiæ Domini, seruietq; ad testificandã Iustitiam per uniuersum orbem. Hue pertinent, quæ Esaiæ 8. & Ezechielis 11. scribuntur. Et cecidi in faciem meam (ait Ezech.) clamans uoce magna, & dixi, Heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israël?

Reliquisset semen. Semen relictum Iudæis, propter quod nõ funditus deleuit eos Deus, est Christus superbenedictus, qui ex eis secũdum carnem nasci dignatus est.

Gẽtes susceptæ in populũ Dei. Iudæis abiectis, & quare.

Quid ergo dicemus? Quòd gẽtes quę nõ sectabãtur iustitiam, apprehenderũt iustitiã, iustitiam autẽ quæ ex fide est: Israël uerò sectãdo legẽ iustitiæ, in legẽ iustitiæ nõ peruenit. Quare? Quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidẽ offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidẽ offensionis, & petrã scandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Offenderunt] Impegerunt Ambr. legit ex operibus legis. Scandali] Offensionis Confundetur.] Pudore afficietur.

Esaiæ 8. c. 28. d 2. Petri 2. b

Quid ergo. Vt omnẽ occasionẽ ob murmurãdi Deo præcidat Iudæis, cur gens Iudaica sic abiecta fuerit. Quia propriæ innituntur Iustitiæ, fidem respuũt, & idcirco à Deo excidunt. Christus omnes uocat: qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, 1. ad Timoth. 2. Neminem repellit, omnibus ex æquo requiem promittit: qui ergo ab hac gratia excidunt, sua culpa excidunt, ut Iudæi.

Gentes quæ non sectabantur. Mirum dictum. Apprehendere utiq; persequentium est. At iustitiam apprehendunt, qui eam non persequebantur: consequuntur illam qui eam nunimè sectabantur. Adeò tota est donum, & opus Dei in nobis.

Apprehẽdere.

Sectando legem iustitiæ. Literam legis sectabantur, & ad ueram mentem legis non peruenerunt. Legem enim ut data est, qui uerè persequitur, doctrinam fidei

persequitur, & ueræ iustitiæ, quæ utiq; uiua fide constat.

Offenderunt enim in lapidem. Offenderunt, id est increduli manserunt. Quomodo autem aliquis offendit? Si aduerterit animum ad externam legem, æquè ac Iudæi faciebant. Offensionis porrò lapidẽ, petramq; scandali, Christum Dominũ appellat nomine illo impositio ab ijs qui in eum impegerunt, eoq; propria malitia offensi sunt. Impingere consueuerunt (ait Theodoretus) qui aliò mente sua feruntur, dum ad iter nõ defigunt oculos. Hoc patiuntur sanè Iudæi. In superflua enim legis inhiãtes, à prophetis iam olim prædictum lapidem uidere noluerunt. Istud est scãdalum paßiuum seu pharisæorum à doctoribus sic nuncupatum: eorum inquam qui sua & nõ rei uisæ malitia scandalizabãtur. Talis fuit illis Christus. Offendebat in eo illos, quòd haberetur Galilæus, quòd uilibus uideretur ortus parentibus, quòd acriter hypocrisim eorũ argueret. Propterea dicebat Christus, Beatus qui nõ fuerit scandalizatus in me. Verè repulerunt Iudæi Christum, quando clamorosi dicebant, Tolle tolle, crucifige eum: &, Non habemus regem nisi Cæsarem. Et cùm huiusmodi aduersus eum uteretur, Non ne scimus & benedicimus nos quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Hæc itaq; hìc apostolus Christo Domino tribuit, quæ propheta Esaias 8. & 28. cap. de Domino Sabaoth prædixit, & Iudæis sui temporis, quæ minatus fuit Dominus Iudæis tẽpore quo propheta scripsit illa. Nam sicut eo tempore Iudæi deficientes à Iudæis ad Aßyrios, in Dominum impegerunt, ex eo contra Dominum efferati, quòd ille se eis offerebat saluatorem, uetans præsidium petere ab incredulis: ita impegerunt multò grauius in Dominum Iudæi post aduentum Domini nostri IESV Christi in carnem, cùm contra eum adeò furerent, quòd offerret eis uitam æternam, uetans fidere rebus præsentibus. Vocatur Dominus fundamentum, quia ipso sancti omnes nituntur. Dicitur & angularis lapis, quia cõiunxit in se & gentes & Iudæos ac omnes qui in eum credũt. His translationibus Apostolus usus est, 1. Corinth. 8. & ad Ephes. 2. cap. Similiter & Petrus 1. Petri 2. Vide quæ in eum locum Petri scripsimus.

Lapis offensionis. Petra scandali. Impingere. Scandalũ passiuum seu pharisæorum. Luc. 7. d Christus fundamentum. Lapis angularis.

CONCILIATIO.

QVID hìc mærẽs Paulus dolet, Quoniã tristitia mihi magna est, & cõtinuus dolor cordi meo. Cũ Philippẽses hortetur, ut gaudeãt semper. RESPONDEO. Quoties in mentẽ ueniebat perditio Iudæorũ, ueniebat autẽ cõtinuò, aliud nõ potuit, quàm dolere & cruciari: diligebat enim illos Paulus solidè in Christo. At sicut simul semper attollebat mentẽ in iusta Dei iudicia, & in bonitatem quã exhibet nobis, tantò maiore gaudio mens eius perfundebatur, quàm dolor de exitio Iudæorum adfligebat: quantò gratia facta sanctis multò maius bonũ erat, quàm euersio Iudæorum malum. Concil. 1. Philip. 4. a

QVOMODO Paulus hoc capite affirmat Deũ indurare corda hominũ, cũ ad Timothæum dicat, Qui uult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire. Si indurat, uult indurare: uolens indurare, nõ uult quem indurat saluum fieri. RESPONDENDVM. Deus uult, id est hortatur omnes homines ad salutem. Pro omnibus IESVS Christus mortuus est, pro omnibus satisfecit, fuitq; satis pro omnibus paßio eius. Sed non omnes illam uiua fide receperunt, oblatam ultro nõ exceperunt, ob id non omnes salui facti. Quod autẽ obijcitur de induratione, soluitur à beato Auguſt. qui libro uno de essentia diuina, ait, Indurare dicitur Deus quorundã cordã, sicut de Pharaone rege Aegypti scriptum est, Non quòd omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret, quod est impium ita dicere & credere: sed exigentibus eorum culpis, cùm duritiam cordis, quam ipsi sibi mala perpetrando nutriunt, Concil. 11. Quid Deũ indurare corda.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non aufert,quasi ipse eos induret,quia iusto iudicio indurari sinit.Aut ut idē Augusti. lib.2.cap.18.quæst.super Exodum,ait,dicitur,Ego indurabo, tanquam diceret, quàm durum sit demonstrabo.Non obdurat (eodem autore epist.105. ad Sixtum presbyterum contra Pelagianos)Deus impertiendo malitiam,sed non impertiendo misericordiam.Quibus enim non impertitur,nec digni fiunt,nec merentur, at potius ut nō impertiatur,hoc digni sunt,hoc merentur.

Tertia. PAVLVS *dicens,Non est uolētis neq; currentis,sed miserentis est Dei, uidetur liberum arbitrium sustulisse.* RESPONDET *Theophylactus, Nequaquam hoc tollit:nam quemadmodum cùm cōdenda est domus,in opifice pendere omnia dicimus, tametsi ille opus exequi nequeat:materia enim est ad structuram necessaria, & iuuantium ministrorum indiget opera:sed quoniam illi absoluenda est domus,fatemur illius id omne opus esse:sic item dicere de Deo similitudine quadam solemus,& in eius potestate cuncta consistere,qui nihil à nobis nisi animi exigat promptitudinē. Et quoniam finem ille rebus imponit,& bene merentes coronat, damnatq; fontes: dicimus uniuersa in eius potectate consistere.*

DICTIO.

Israëlita. ISRAELITARVM *nomē gēti Iudaicæ uenit à sancto patriarcha Iacob, quādo in terrā Canaan reuersus est,iā undecim liberis & magna substātia auctus: luctatus fuerat cū eo angelus Domini tota nocte,cui benedixit Dominus impresso coxendici singulari curæ suæ signo,luxatione quadā ex qua postea claudicabat.Ibi mutauit etiā ei Dominus nomē,& Israël quasi potentē Dei uocauit. Dicebat nanq; angelus Gene.32.Quoniā si contra Deū fortis fuisti,quantò magis cōtra homines præualebis?*

Genes.32.

Testamentum. Pactum. Promissio. TESTAMENTVM *est ultima & irreuocabilis morientis uoluntas, qua ille suorum bonorum hæredes instituit.Dicitur & pactum in prophetis, & promissio. Lege Budæum in commentarijs.*

Cursus. METAPHORA *cursus pro conatu & ipsa actione uitæ frequēs occurrit, Ad Gal.2.Philip.2.& 2.Timo.4.uocat cursum suū obitionē muneris sui Paulus. Hoc tamen capite uidetur Apostolus currentē posuisse pro conante,moliente & satagente.*

Vocabitur pro erit & ueniet. HEBRAEI *uerbo uocabitur,pro erit, creberrimè utuntur. Gene.21. Quia in Isaac uocabitur tibi semen: quasi dicat,Isaac erit hoc semen de quo pollicitus sum,aut in Isaac erit tibi hoc semen.Sic & Lucæ 10.Filius altissimi uocabitur, id est,erit. Ibidem,Quod nascetur sanctum,uocabitur filius Dei, id est, erit filius Dei. Potest etiam Vocabitur pro Veniet exponi, prius pro posteriore. Prius est enim ut uocetur quis, posterius ut ueniat.Quod item frequens sic dicimus,is uocatus est,id est,ueniet.*

Vas. VAS *Hebraismo significat omne instrumentū generali uocabulo omnium rerum.Psal.70.Confitebor tibi in uasis psalmi, id est instrumentis musicis.Et Ezechiel. 9.capi.Vnusquisque uas interfectionis habet in manu,&c. id est, instrumentū mortis. Sic Acto.9.Paulus apostolus uas electionis dicitur,id est,instrumētū electū,quo uoluit uti Christus præ cæteris apostolis ad cōuertendas gentes. Apostolus uocat uasa iræ, quæ Deus perdit:sicut uasa gloriæ & gratiæ,quæ honesto loco habet.Sed apud Esaiā cap.13.Vasa iræ,instrumēta quibus iratus,populos puniat.& hæc uasa iræ Dei sunt.*

Sabaoth. SABAOTH *Hebræa uox est,quam septuaginta bifariam solēt uertere,aliquādo Dominus omnipotens,aliàs Dominus uirtutum.Solus Aquila uertit Dominus exercituum.Paulus hoc capite uocem Hebraicam non putauit esse mutandam,opinor ob id quòd in ea lateat nonnihil mysterij,quod aliena lingua reddi non potuerit.*

Corde

Corde creditur ad iustitiam,& ore confessio fit ad salutem. CAP. X.

Volūtas] Propensus animi affectus

FRatres, uoluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum,fit pro illis ad salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem quidem Dei habent,sed non secundum scientiam. Ignorantes enim

Iustitiæ Dei] Fidei quæ iustificat

iustitiam Dei,& suam quærentes statuere,iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit: Quoniam

Iustitiam, quæ ex lege] legem Mosaicam

iustitiam,quæ ex lege est,qui fecerit homo,uiuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere. Aut quis descēdet in abyssum? hoc,est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit scriptura? Prope est uerbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est uerbum fidei quod prædicamus.

Iustitia duplex. Leuit.18.a Ezech.20.b Iustitia fidei. Deutero.30.c

Fratres,uoluntas quidem cordis mei. *Iudæos notaturus,beneuolētiam primum conciliat,ne inuidentis sermo esse uideatur:sed commiseratione moti animi & propensi ad eorum salutem,ait,Itaque ualde desidero atque precor ut Iudæi saluētur. Ista appellatione Fratres expressit quāti eos ipse fecerit, & qua solicitudine esset pro salute illorum. Aliter:Sentit Paulus se præstare Iudæis quod potest,propensam animi uoluntatem,& precationes apud Deum.*

Aemulationem quidem Dei. *Iudæos cōmiseratione potius, quàm supplicio dignos arguit.Hi siquidem legis zelo,tuentur quæ à Deo tradita sunt.Zelus tamen huiusmodi non est quemadmodum oportet,ac secundum scientiam,& cognitionem,sed sine iudicio.Neq; enim scire uolunt, quemadmodum lex illis cessauerit, nec ultrà,uim habeat. Iustitiā Dei uocat fidem in Christum:Propriam iustitiam eam quæ est ex lege appellat,quæ ad perfectum non adducit. Quærentes iustitiam propriā statuere seu stabilire & cōfirmare,non fiunt subiecti iustitiæ Dei,cui ex diametro aduersatur. His illorū superbiam retegit, & mentem præfecturæ percupidam uel insanā potius pateſācit,quandoquidem id quærant statuere quod instabile sit,& ea in re frustra uersetur.*

Iustitia Dei.

Propria Iustitia.

Finis legis Christus. *Finis legis cuiusque est ut ei uiuatur.Lex Dei iustitiam ueram docet. Finis ergo legis est nos uiuere iustè. Istud iam solus Christus habet, & largitur in se credentibus:& hoc de eo lex omnis prædicat, ergo finis & ultimum legis,quo omnia in lege feruntur,est Christus iustificans in se credentes. Dicens Paulus omni credenti, respexit ad gentium uocationem. Omni credenti Christus finis est, & completio legis ad iustitiam, qui pro omnibus crediturus legem impleuit, ut iam nulli deinceps ad iustificationem lege sit opus.*

Finis legis.

Moyses enim scripsit. *Paulus docendi gratia,geminam constituit iustitiam, alteram Moysi quæ requirit opera legis,alteram Euangelij quæ requirit fidē in Christum.Testimonium Moysi est Leuiti.18.cap.Facietis iudicia mea,& præcepta mea seruabitis,& ambulabitis in eis.Ego Dominus Deus uester. Custodite leges meas atq; iudicia,quæ faciens homo uiuet in eis.Diuus Augustinus & pleriq; alij hoc de uita præ-*

Iustitia Moysi. Iustitia Euangelij.

senti intelligunt, quam sibi seruant, qui legi obtemperant. Nam legis transgressores morte mulctabantur. Sed cùm lex fidem & dilectionem primũ docet in omnibus præceptis siue ceremonialibus, siue iudicialibus, siue moralibus, quid oberit dicere qui seruauerit ea, eum per ea uicturum æternùm? Ad idem uidetur dictum Domini, Si uis ad
Matth.19.e *uitam ingredi, serua mandata.*

Iustitia fidei prope est. **Quæ autem ex fide est iustitia.** *Qua noua creatura, qua filij Dei, qua mẽbra Christi sumus: qua Deo tribuimus omnia, qua toti à Deo pendemus, hæc inquam iustitia, non admittit ut cogitemus, illam magno apprehendamus labore, quippe, quæ non longè, sed proximè nos est. Ad hoc autem assumit uerba Moysi ex Deute. 30. cap. Mandatum hoc (ait ille) quod ego tibi præcipio hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum ualet ad cœlum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus: neq; trans mare positum, ut causeris & dicas, quis è nobis poterit trans mare transfretare, & illud ad nos usq; adferre, ut possimus audire & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo ualde in ore tuo & in corde tuo ut facias illum. Paulus hæc uerba eleganter transfert ad iustitiam Dei, quæ non permittit dicamus Quis ascendet &c.*

Ne dixeris in corde tuo. *Origenes intelligit in his uerbis damnari cogitationem affigentem Christum cœlo uel abyssо, & non agnoscentem regnare ubique. Diuus Chrysostomus damnari ab Apostolo existimat dubitationem de descensu Christi*
Symbolum fidei. *è cœlis in carnem nostram, & adscensu ab inferis in cœlum. Sed iustitia fidei ornatus, credit Christum pro nostra salute uenisse è cœlo in carnem nostram, & expiatis morte sua peccatis nostris, è mortuis surrexisse, & in cœlos ad dexteram patris ascendisse. Ne igitur existimes te non consequuturum hanc iustitiam nisi ascenderis in cœlum, quoniam hoc est Christum deducere, id est è cœlo auocare, ut eam afferat, quasi non eam iam attulerit iustificans nos sanguine suo: & ne dixeris, quis descendet in abyssum, quasi descendendum sit in abyssum ut huc adferatur iustitia. Quia irritum facis tibi, quòd ille pro te mortuus est & resurrexit, cœlosq; ascendit, imò uerè mortuus est & resurrexit pro iustificandis nobis. Noli ergo putare impossibilem esse modum consequendæ iustitiæ. Noli desperare. Prope enim est uerbum fidei, cùm per Christum quem fides complectitur, lex inscribatur in cordibus, ut uerè adsit credentibus in corde & ore. Sicut dicit scriptura, id est, sicut Moyses expressit, Iudæis legẽ non procul esse, sed adesse etiam intellectu facilem. Ita etiam hoc uerbum fidei quod prædicamus tam prope est, ut & in corde & in ore plenum adsit. Verbum fidei est ipsum Euan-*
Verbum fidei. *gelium, in quo inest omnis uis legis, uis totius iustitiæ, quod non opus est tam procul è cœlo aut abyssо petere, cùm sit intra te.*

Quia si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis: saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit
Esaiæ 28.d enim scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit
Non cõfundetur. Non pudefiet.
Inuocare Deũ.

nomen

Ioel.2.g nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quo modo credent ei, quem non audierunt? Quo modo autem audient sine prædicante? Quo modo uerò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est, Quàm
Actu.1.c Esaiæ.52.b Naum 1.d specioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.

Quòd Deus illum suscitauit. *Nominatim hoc ideo posuit Paulus, quòd in Christi resurrectione habemus salutis nostræ complementum. Etsi enim morte (quæ resurrectionis nomine intelligitur) peracta est redemptio, & satisfactio pro peccato: Victoria tamen aduersus peccatum, mortem, & Satanam, resurrectione parta fuit, simul etiam uita instaurata. Quo fit, ut sæpe una resurrectio pro salutis certitudine memoretur, quæ sub se mortem continet, non autem continetur sub morte.*

Corde enim creditur ad iustitiam. *In fide os cordis, & cor oris officio indiget. Eget os cordis officio. Nam plerique ueritate mentita, etsi Christum ore fatentur, corde tamen ob eo sunt longius. Opus habet & cor oris ministerio. Quid enim prodesset animo duntaxat credere, nisi in hominum conspectu, & uerbis profiteremur quod credimus? Confessio hoc loco ponitur pro fide expressa, pro laude & gratiarum actione.*

Dicit enim scriptura. *Testimonium profert, ut ostendat non esse in fide differẽtiam inter Iudæum & non Iudæum. Omnis enim siue Iudæus, siue Græcus, qui credit in Christum, non frustrabitur suo uoto.*

Quomodo ergo inuocabunt. *Elegans est gradatio, qua Paulus etiam gentium uocationem probat. Nam per fidem uiuam decreuerat Deus omne mortalium genus seruare: & cùm fides non possit haberi rei incognitæ, oportuit & Gentibus prædicari Euangelium: ita enim futurum prædixerat Esaias 52. cap. Hæc gradatio aliquot habet locos communes. Ministerium uerbi, etiam externum, in ecclesia Dei esse necessarium. Hoc manifestum est ex Act. 10. cap. de Cornelio Centurione. Secundus: Ministerium uerbi nemo, nisi uocatus, accedere debet. Hoc clarius explicat Paulus ad Hebr. 5. cap. Tertius: Is tantùm inuocandus, cui fidendum est. Deum ergo nemo inuocabit, qui non antè de paterna erga se beneuolentia tantam persuasionem animo conceperit, ut ab ea quiduis ausit expectare. Qui Deum inuocat, in eo præsidium sibi esse repositum cõfidat necesse est. Vt eius ueluti patris cura protegatur, indulgentia ac charitate foueatur, benignitate subleuetur, uirtute fulciatur.*

Quàm specioſi pedes. *Hic locus omnis est de restitutione populi Dei, ea præcipuè quæ facta per Christum est, attamen sub typo restitutionis ex captiuitate Babylonica. Præmittitur in eo 52. cap. Esaiæ, Quoniam ablatus est populus meus gratis. Dominatores eius, inquit, agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur: propter hoc sciet populus meus nomen meũ in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Ad hæc sequitur in propheta: Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, &c. En tibi lætitia expressa à propheta, imagine gesticntium, cum admiratione ad optatum euentum euangelizantium. Pedes hoc loco accipe pro aduentu, per metonymiam.*

Esaiæ.53.a Ioannis 12.f

Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu: auditus autem per uerbum Christi. Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ uerba eorum. Sed dico, Nunquid Israël non cognouit? Primus Moyses dicit, Ego ad æmulationem uos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram uos mittam. Esaias autem audet & dicit, Inuentus sum à non quærentibus me: palàm apparui ijs, qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

Auditui nostro?] uerbis nostris?

Psal.18.a

Iudæis reiectis gẽtes susceptæ.

Deutero.32.c

Esa.65.a

Esaiæ 65.a

In non gentẽ:] uel, per gentem quæ nõ est gẽs, seu indigna est appellatione gentis:

Mittam.] commouebo & excitabo, deferẽdo illos maligꝝ mẽti suæ.

Ad]aduersus

Liberum arbitrium.

Sed non omnes obediunt. *Obijci poterat Paulo, Si à Deo missi estis, Cur non omnes ex æquo obediuerunt Euangelio? Certè liberi sunt. Credant & recipiant uerbum. Tum aduertant multò antè dictum esse à propheta non omnes credituros. Quandoquidem Iudæi perpetuò signa inquirebant: occasione accepta hortatur eos, non esse necessarium signa inquirere: fides enim ex auditu, ut cernitis, non ex signis nascitur. Cùm auditum dixisset, infert per uerbum Christi, ne uille quippiam existimes auditum, uel prædicationem. Non enim isthic humana, sed diuina uerba dicũtur. Obijciet quispiam, Nunquid audiuerunt Iudæi? Respondet, Vniuersus terrarum orbis audiuit, ut testatur fidelis Dauid. Adeò currebat tempore Pauli prædicatio euangelij,*

Vnde fides?

Coloss. 1.

& diffundebatur quotidie, ut scripserit Apostolus Collossensibus, peruenisse illud suæ adhuc ætate in uniuersum orbem, & ad omnem creaturam quæ sub cœlo est. Tametsi enim eo tempore nondum ad singula climata orbis prædicatio Euangelij peruenisset, peruenerat tamen ad præcipuas orbis regiones, ex quibus facilè erat illam ad mortales reliquos omnes dimanare.

Primus. *Primus pro comparatiuo prior, positum est: refertur enim ad Esaiam, quem mox citat.*

Ad æmulationem uos adducam. *Prouocabo uos zelo. Vel ad æmulationem dicit, quia intelligit eum dolorem qui exagitat Iudæos dum uident gentes frui felicitate, quæ ipsis olim promissa est: ex quo utique impellentur ut ad eam felicitatem rursum adspirent. Nam sæpenumero usu uenit, ut qui adhortationi non crediderint, æmulatione persuadeantur, quæ res plurimum roboris habet.*

Iudæorũ æmulatio.

In non gentem, in gentem. *Gentiles intelligit, qui quòd idololatræ & sine lege diuina essent, insipientes, & non intelligentes dicebantur, imò indigni erant qui etiam uocarentur gentes. Quid autem est uilius aut imprudentius aut insipientius idolorum cultoribus? Dicitur Deus prouocare ad æmulationem, & commouere ad iram, non excitando ad peccatum, sed largiendo gentilibus bona, propter quæ Iudæi occasione accepta furibundi ad iram prouocantur. Hac autoritate Paulus ostendit Moysem expressisse exaltationem gentium & lapsum Iudæorum. Hæc cùm impleta facilè agnoscant Iudæi, uerè resipiscere deberent. Aduerte, Quos Moyses uocat, non gentem, gentem insipientem, hos Esaias non quærentes, neque rogantes dicit: tanquàm*

Non gens. Gens insipiẽs.

Deum prouocare ad æmulationem.

Esaiæ 65.a

indociles & rationis expertes, & quibus essent Dei uerba infensa.

CONCILIATIO.

DICTVM *hoc Ioëlis 2.cap. à Paulo prolatum: Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit, dissidere uidetur ab eo Hebræorum 6.cap. Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei uerbum, uirtutes q; seculi uenturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* NON *pugnant hi loci inuicem, sed uterque uerus est. Vere inuocans Deum, credit in Deum quem credit remuneratorem, non solum præsenti uita, sed futura: Fidelis Deus seipsum negare non potest. Promissis stabit. Promisit credentibus uitam, Marci ultimo. Locus ad Hebræos intelligendus est de baptismo non repetendo, ut in eum locum Deo aspirante aperte monstrabimus.* Prima.

PAVLVS *ex testimonio Dauidis affirmans Euangelium* IESV *Christi suo tempore diuulgatum in uniuersum mundum, uidetur aduersari dicto Christi, Matthæi 24.cap. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio. Signa inuulgati Euangelij in totum orbem a Christo expressa illhic, nondum ostensa sunt, non igitur est Euangelium in uniuersum mundum nuntiatum.* RESPONDET *Hieronymus in Matthæum: Non puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex uicinis nationibus, opinionem fidei non potest ignorare. Quo ad famam (ut dicunt) ad omnes peruenit Euangelium, non autem quo ad effectum & consummationem, hoc est, non omnes receperunt Euangelium: Quod fiet ante consummatum seculum.* Secunda.

DICTIO.

ABYSSVM *scriptura usurpat pro profundo ferè maris, nonnunquam terræ etiam. Iacob benedicens filium suum Ioseph, precabatur ei benedictionem è cœlo superne & ex abysso inferne. Genes. 49. Hunc in modum usurpatur Deutero. 33. & Psal. 70. Accipitur & pro aquarum congregatione, quæ finem non habet. Dæmonia rogabant saluatorem ne iuberet ut in abyssum irent. Matthæi 8. Marci 5. & Luc. 8. Vnde liquet abyssum pro inferis & loco reproborum dici.* Abyssus.

INVOCARE *accipi solet pro opem omnem & salutem à Deo petere. Atq; in huuc sensum, hoc loco Paulus accipit.* Inuocare.

AEMVLATIO *hic pro inuidia & dolore accipitur.* Æmulatio.

Pauci ex Israël, & multi ex gentibus uocati sunt.

CAP. XI.

DIco ergo, Nunquid Deus repulit populum suũ? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscíuit. An nescitis in Elía quid dicit scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduersum Israël? Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum

Nonne Iudæi abiecti.

Præscíuit] Ante agnouerat.

In Elia] de Elia

Suffoderunt:] Vel, subuerterunt

3.Regum. 19.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

responsum? Reliqui mihi septem millia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia: iam non ex operibus. alioquin gratia iam non est gratia.

Reliquiæ] Electi ex Iudæis

Gratia. Opera.

Nunquid Deus repulit populum suum. *Quia inobedientes manserũt Iudæi, & contradixerunt, Istud'ne in reiectionem eorum factum est ut reuerti non possint, & promißiones Abrahæ & patribus factæ sint irritæ? nequaquam. Nam & populus eius est, ipsumq; præsciuit, id est, prægnouit ante gẽtes. Aut prædestinauit ac prælegit. Confirmatio est in promptu. Nam si Deus repulisset populũ suum, me quoq; repulisset, iam non me repulit, sed assumpsit ut etiam præco & doctor gentiũ essem. Non igitur repulsi estis, sed uos ipsos repellitis. Si repulisset, non ex Iudæis sanè Apostolos & præcones delegisset. adludit Paulus ad id quod in Psalmo 94. scribitur: Quoniam non repellet Dominus plebem suam.*

Quemadmodum interpellat. *Querebatur Elias de Israëlitarum impietate. Vt enim Deus ipsis sanctis est omnia, ita quicquid eos angit, id primum Deo querũtur. Hoc exemplum Heliæ ex 3. Reg. cap. 19. per ὁμοίωσιν, quàm Cicero collationẽ uertit, aptatur. Obserua: cùm dicit, Septem millia: proculdubio Dominus magnam multitudinem notauit.*

Reliquiæ secundum electionem. *Electos Iudæos reliquias secundũ electionem uocat. Hanc plebem non repulit Deus, quia præsciuit, & prædestinauit. Hæc est illa electio qua eos uoluit eligi in Christo ante mundi constitutionẽ, ut essent sancti & immaculati in cõspectu eius in charitate, prædestinans eos in adoptionẽ filiorũ. Hæc electio est gratia Dei. hanc electionem non es cõsequutus tuis operibus quãlibet meritorijs, imò tua hæc opera præcedit hæc electio. facit ad hæc quod præceptor & magister noster Christus in Ioãne dicit, Nõ uos me elegistis, sed ego elegi uos. Quid sine hac electione in Christo esse possumus? nihil sanè. Eligit nos ut tandem eo fruamur. Cũ igitur hæc omnia sint ab eius gratia tanquã à fonte & principio, non erunt ex operibus legis & ceremonijs quibus adeò addicti erant Iudæi, imò non ex operibus nostris. Ex operibus enim est quod operibus debetur, atqui si debetur, gratuitũ non est. De operibus legis uidetur hic locus intelligendus. Cũ tota hac epistola, nihil aliud Paulus agat nisi ut confidentiã, in lege literæ, & externis operibus tollat à Iudæis. Quod si cui uisum est & de alijs operibus intelligi, Intelligatur Paulus hoc loco uelle, quòd non ex operibus fidẽ præcedentibus, qualia erant gentiliũ & Iudæorũ opera, reliquiæ saluæ factæ sunt: alioqui non esset gratia, si ante fidem & gratiam salutem mererentur.*

Reliquię secũdum electionẽ. Ephes. 1. cap.

Esse ex operibus.

Quid ergo? Quod quærebat Israël, hoc non est cõsequutus, electio autem consecuta est: cæteri uerò excæcati sunt: sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, ut non uideant, & aures, ut non audiant, usq; in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.

Electio] Qui ex Israël electi erant

Scandalum] Offendiculum,

Esaiæ 6. c
Matth. 13. b
Ioan. 12. f
Act. 28. f
Psal. 68. c

Obscurentur oculi eorum ne uideant: & dorsum eorum semper incurua. Dico ergo. Nunquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est gentibus, ut illos æmulentur. Quòd si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quãtò magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus, quandiu quidem ego sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.

Iudæi abiecti & gentiles assumpti.

Aemulentur.] Ad æmulandũ prouocaret.

Pauli charitas erga Iudæos.

Electio consecuta est. *Qui ex Iudæis electi erant, consequuti sunt salutẽ quã per gratiã non ex operibus legis quærentes inuenerũt, & ea sunt potiti. Reliqui uerò sunt excæcati, à quo? à proprio contentionis malo, inquit Chryso. Aduerte, hæc uerba, Quid ergo, quod quærebat &c. non sunt interrogãtis, sed accusantis. Quid ergo aliud possumus dicere, quàm quod Israël quærebat, innitens operibus proprijs non est consequutus: supple, iustitiã. Sed electio, id est, fideles, ex gratia cõsequuti sunt. Cæteri uerò non item: propterea quòd operibus nitantur, & ex operum propriorum fiducia existit mentis cæcitas. Qui enim propriam sibi fingunt iustitiam, iustitiæ Dei non obediunt.*

Dedit illis Deus spiritum. *Dedit, non actum sed permissum intellige, ueluti accipere permisit. Animi habitudinem, & intentionem circa peiora, compunctionem uocat, ueluti, cùm quis mordetur & pungitur dolore. Profert Esaiæ testimonium Paulus, ut non uideatur infensus illis. Subinde profert Dauidem uaticinantem pœnam incredulitatis quæ iam uera facta est & ad suum effectum deducta. Citatur hic locus & in Actis Apostolorum cap. 28. sed iuxta translationem Septuaginta, qui sic interpretati sunt ut Dominus prædicat illorum cæcitatem, non ut imperet.*

Compunctio.

Fiat mensa. *Mensam uocat id præcipuè, in quo acquiescunt homines, quod auxilium & recreationem uidetur afferre. Quemadmodum mensa Pompei fuit rex Aegyptius, ille ipse ad quem confugit, cuius præsidio sperabat se fore tutum, fuit ei exitio: ita Lex & titulus ille glorioßißimus* POPVLI DEI, *erat Iudæis mensa. Has res sciebant diuinitus traditas, easdémque existimabant non posse mutari: propter quod Euangelicam doctrinam, quæ legem antiquabat, damnabant, & auersabantur sperantes se fore uictores. Hæ res fuerunt laqueus: id est, mala persuasione tenuerunt irretitos animos, & tandem perdiderunt. Horum dorsum nouis & nouis erroribus incuruatum est. Harum horribilium pœnarum comminatio nos admonet, ne contemnamus Euangelium, ne in tales pœnas incidamus.*

Nunquid sic offenderunt. *Cùm acriter eos carpsisset, attentat nonnihil cõsolationis eis adijcere & inuenire. Certè peccata grauißima sunt. Sed non tam profundus & demissus est lapsus, quin resurgant, si modo uelint* IESVM *Christum omnibus obuium agnoscere. Interim tamen obserua quod in ipsa consolatione reos ipsos facit seu accusat maximorum delictorum. Aliter, Ideò Deus passus est Iudæos labi, non ut in totum conciderent, sed ut ad tempus locum faciant gentibus, & ijdem rursus gentium pietate prouocati resipiscant & seruentur.*

Sed illorum delicto. *Totus hic locus eò pertinet, ut ipsis animum addat, consoleturq; ne desperent. Et ut gentium demitteret fastum, persuaderetq; ne ad dementiam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam uerterentur. Primò assumpti sunt Iudæi ad Euangelium ut salui fierent: nempe Euangeliũ uirtus Dei est in salutem omni credẽti, Iudæo primùm & Græco. Et Dominus ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Item Matthæi 10. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Act. 13. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui uerbum Dei. Sed incredulitas Iudæorum locum dedit gentibus. Lapsus Iudæorum occasio fuit salutis gentilibus, quando Iudæis Euangelium reijcientibus assumpti sunt gentiles, ut Iudæi æmulentur gentiles. Propterea dicebant Paulus & Barnabas loco producto ex Actis, Sed quoniam repellitis illud, & indignos uos iudicatis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usq; ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant uerbum Domini. Vidésne incredulitatem Iudæorum locum dedisse gentibus, ut fierent exemplaria ad fidem, ut quia Iudæi credere nolentes lapsi sunt, resurgant per zelum quendam credentes.

Matth. 15.c

Quod si delictum illorum. Consolatur illos & erudit, ne despondeant animum, hac ratione. Lapsus & imminutio Iudaicæ gentis reliquo orbi ad id profuit, ut gentium mundiq; diuitiæ existerẽt, hoc est, ut reliqui mortales maxima copia ad Christum uenirent. Plena igitur restitutio Iudæorũ salutem reliquis mortalibus adferet cõsummatissimam. Nec dixit, quantò magis conuersio eorum, sed quantò magis plenitudo ipsorum, hoc est, quando omnes ad Christum accessuri sunt, seu quãdo uniuersus Israël credet. hoc uocat plenitudinem eorum. Idq; adiecit gratiæ doniq; Dei plenitudinem & exuberantiam demõstraturus. Cùm dicitur quantò magis plenitudo eorum, subaudiendum est adducet, diuitias gentium.

Plenitudo Iudæorum.

Vobis enim dico gentibus. Volo agnoscatis quanta sit in uos Dei beneuolentia: cùm prædico ista de uestra uocatione & Iudæorum reiectione. Vt enim uester sum peculiaris Apostolus, ita cupio munus hoc meum ad uos gloriosum esse & haberi, hoc est, ad salutem uestram quàm efficacissimum, ut uestra felicitate Iudæi extimulentur, & ipsi Christum amplectantur, non ut a uobis condemnentur, & abijciantur. Supra Iudæos, cognatos & fratres appellat, nunc uerò carnem suam: magis eos admouens, uiciniores q; reddens. Non dixit persuadebo, sed ad æmulationem prouocabo, ut qui aliter persuaderi non possunt nisi per intensionem, & per appositionem exempli aliorum. Exploratam habebat eorum contentionem, remissum & pertinaciam. Dixit saluos faciam aliquos, non omnes. Quia maiorem partem in præsenti reiectam à Domino, ex prophetijs probauit.

Iudæi caro Pauli.

Gentes nõ glorientur aduersus Iudæos sed timeant.

Si enim amissio illorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi uita ex mortuis? Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta est, & rami. Quòd si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris: non tu radicem portas, sed radix te. Dicis ergo, Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas: noli altum

Amissio] Reiectio

Delibatio sancta est,] Primitiæ sunctæ sunt.

Oleaster.

Oliua.

Stas] Constitisti;

Noli altũ sapere] Ne efferaris animo,

altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei: si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos. Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quantò magis ij, qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ?

Bonitas Dei. Seueritas Dei.

Si enim amissio illorum. Si abiectio Iudæorum attulit mundo reconciliationem Deo: quid igitur adferet eorum assumptio seu adiectio eorũ ad Christum? Vtique bonum maximum. aut hoc dicit: Quid erit assumptio eorum? nisi ut dicamus, quòd mortuos peccatis assumens Deus, eos uiuificet.

Quod si delibatio sancta est. Delibationẽ siue primitias & radicem, Abrahamum uocat. Massam autem & ramos dicit, qui ex genere ipsius crediderunt. Alludit ad ritum quæ Deus populo Iudaico præscripsit in lege sua: ut sibi omnium rerum primitias offerrent, quo reliqua omnia sanctificabantur. Inter cætera offerebãtur Domino collyridæ, id est, farina olei admistione conspersa, Leuit. 7. Ex qua cum delibatio sancta erat, sanctam esse & reliquam conspersionem oportuit. Vtraque metaphora cum delibationis & reliquæ conspersionis, tum radicis & ramorum, Apostolus idem colligit. Nam si gentis Iudaicæ primi patres sancti fuere, necesse est, ut sancti sint ueri eorũ posteri. Quæ illatio eo nititur, quòd Deus patribus promisit se fore Deum, & semini eorum. Hunc locum sic intelligunt Chrysostomus & Augustinus. Diligenter adnotauit hunc locum Augustinus epistola 106. ad Bonifacium contra Pelagianos folio 313. a. Illa conspersio uel massa est ex Abraham, non ex Adam, id est, ex communione sacramenti & similitudine fidei, non ex propagine mortali.

Delibatio. Primitiæ. Radix. Massa. Rami. Collyridæ.

Quod si aliqui ex ramis fracti sunt. Naturalem oleam siue oliuam Iudæos uocat ex Hieremia capite 11. Oleastrum autem, id est, oleam agrestem & syluestrem gentes intelligit. Hac collatione gentilium fastum reprimit. Tu gẽtilis priusquàm insitus esses ueræ oleæ seu priusquam esses assumptus, destitutus eras uero succo spiritus, eoq; sterilis eras ueræ iustitiæ. Sed cùm per fidem in Christum factus es semen Abrahæ, Galat. 3. capite, Insitus es Iudæis, ut gratia sanctis patribus promissa & facta fruaris, & spiritu illorum uiuas, (id quod Apostolus per communionem radicis & pinguedinis significat) ne sublatus beneficio quod per Iudæos tibi contigit, Iudæos abijcias, & præ te contemnas. Habere igitur te Iudæos in pretio conuenit & colere, non contra eos superbire. Noli altum sapere, sed time. Quoniam futurum est, ut si in fide nõ permanseris, à bona olea resecerís. Iudæi autem qui inde resecti sunt, fidem apprehendentes inserentur. Quia si is qui erat ramus naturalis oleastri præter naturam suam in germanam oliuam insertus est, quãto magis & facilius Iudæi qui natura sua de ucra olea participant, rursus in eam inserentur.

Oliua naturalis. Oleaster.

Vobisipsis sapientes] apud uosmetipsos superbi

Nolo enim uos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis uobisipsis sapientes) quia cæcitas ex parte

De cæcitate Israël & sui susceptione.

contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret:
& sic omnis Israël saluus fieret, sicut scriptum est, Ve-
Esaiæ 50.d niet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem à Ia-
cob. Et hoc illis à me testamentum: cùm abstulero pec-
cata eorum, Secundum Euangelium quidem, inimici
Dona. Vocatio. propter uos: secundum electionem autem, charissimi
propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona & uo-
catio Dei. Sicut enim aliquando & uos non credidistis
Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis, pro-
pter incredulitatem illorum: ita & isti nunc non credi-
Incredulitas. derunt in uestram misericordiam: ut & ipsi misericor-
diam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in in-
credulitate, ut omnium misereatur. O altitudo diuitia-
rum sapientiæ & scientiæ Dei; quàm incomprehensi-
bilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis
Sapientiæ 9.c enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius
Esaiæ 40.d eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?
1.Corinth. 2.d Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia;
ipsi honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Testamẽtum] fœdus, pactũ:

Sine pœnitentia &c.] dona quidem & uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorũ illum non pœniteat.

Propter] per

In uestram] per uestri

Omnia] omnes

Altitudo] profunditatem

Inuestigabiles] imperuestigabiles, inscrutabiles

Mysterium. Fratres mysterium. *Mysterium nihil aliud sonat quàm rem arcanam & paucis cognitam, neq; communicãdam nisi initiatis. Per Mysterium, aliud nihil uidetur intelligere, quàm hoc suum præsens institutum, hactenus obscurius tractatum: nempe, quòd Israël tandem sit restituendus. quam restitutionem ex Isaia probat.*

Vt non sitis uobisipsis sapientes. *Hoc ualet beato Paulo ne sitis elato apud uosmet spiritu, ne sumatis animos, ut uobisipsis placentes contemnatis Iudæos. Nolite elatiore esse animo, & contra Iudæos nunc abiectos insolescere.*

Cæcitas ex parte. Quia cæcitas ex parte. *Quidam referunt ex parte ad Israëlem. Quidam (ut beatus Ambrosius) ad tempus, quia non sempiternæ sed temporariæ tantùm cæcitati Israël subiectus sit. Sic infrà cap. 15. Apostolus cùm de suo aduentu Romam, loquitur. Si uobis primùm ex parte fruitus fuero. Vbi non uidetur partem ecclesiæ intellexisse, quia omnibus frui & satiari uolebat, sed partem temporis, & moram congressus & colloquij. Cupiebat siquidem eundo in Hispaniam recreare se aliquantum, & per paucos dies alloquio & consuetudine sanctorum qui Romæ erant. Videtur Paulus dicere: Cæcitas & induratio contigit Israëli non in perpetuum, sed quousque plenitudo gentium, id est, cuncti ex gentibus (ait Gennadius) credentes, intraret pro intret, id est, gentiles omnes crediderint. Et sic omnis Israël saluus fieret pro fiet. Vt sit unum ouile*
Psal.10. *& unus pastor. Israëlem appellat eos qui in Iudaismo perdurarunt. Nam pones (inquit scriptura) eos dorsum, id est, retro aspicientes, ait Hieronymus, Et in reliquis parabis uultum eorum quando per Eliam & Enoch credituri sunt in finem. Vide Hieronymum in hunc Psalmum 20. Non desunt, qui dictionem* EX PARTE, *neq; ad tempus simpliciter neque ad multitudinem spectare putent: sed pro Quodam modo positam interpretantur, ut uideretur Paulus temperare uerbum alioqui per se asperum. Sensus ergo erit: Israëlem ita quodam modo excæcauit Deus, ut dum illi Euangelij lucẽ respuunt, ad Gentes*

Gentes transferatur, & illæ quasi uacuam possessionem occupent.

Sicut scriptum est, Veniet ex Sion. *Hoc testimoniũ uolunt plerique desumptum esse ex Esaiæ cap. 59. Cùm autẽ illhic nihil habetur de fœdere ac promissione abolendorum peccatorum. Id autem exprimitur singulariter in descriptione fœderis noui de quo Hieremias loquitur cap. 3. Videtur Apostolus hoc adduxisse partim ex 59. Esaiæ partim ex 31. Hieremiæ. Vide locos.*

Et hoc illis à me testamentum. *Id est, fœdus & pactũ. Augustinus lib. de lo quutionibus Geneseos, primo, ait frequẽter in arcanis literis pro pacto poni testamẽtũ.*

Secundum Euangelium quidem. *Hi duo nominatiui Inimici & Charissimi iuxta ordinem Grammaticum non habent unde pendeant nisi subaudias, sunt. Sensus est: Causa incredulitatis & neglecti à se Euangelij Deo sunt inimici Iudæi, propter uos, id est, in uestrã utilitatem, illis enim neglectis assumpti estis à Deo. Nõ est perfidiæ illorum gratulandum, sed dolendum si tardant conuerti. Et quia filij sunt patriarcharũ quibus promissiones factæ sunt charissimi sunt Iudæi, quorum reliquijs promissa seruabit Deus. Quia dona & uocatio, seu quæ sunt secundũ electionem & prædestinationem, impœnitibilia (si licet hoc uti uerbo) sunt, id est, super his Deus sentẽtiam non est mutaturus. Aliter, licet Iudæi ob incredulitatem suam dilecti non sint, propter patres tamen adhuc diliguntur, unde & salutem sunt accepturi aliqui.*

Sicut enim aliquando. *Ostendit ex gentibus primùm uocatos esse quosdam, deinde qui non crediderunt, Iudæos electos, Atque idem rursus deinceps euenturum. Postquàm enim noluerunt Iudæi fidem adhibere Christo, denuo gentes uocatæ sunt & secũdo uocatæ crediderunt. Hoc tamẽ in Iudæorum reiectionem non uergit, sed ut etiã ipsi misericordiam rursus consequãtur. Simul enim ingredietur sub finem ad Christũ plenitudo gentium, & saluus erit Israël totus. Hæc est ratio dispensationis salutis, tum Iudæorum tum gentium, de qua omnes prophetæ, & hic Apostolus testatur. Ex quæ ratione subijcit, Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.*

Conclusit enim Deus. *Id est, incredulos arguit, iudicauitq; ut omnium misereatur, id est, ut alios propter aliorum contentionem seruet, hos autem propter illos, illos uerò propter hos. Alij interpretantur, Conclusit permissiuè scilicet sinendo eos in incredulitate abire.*

O altitudo diuitiarum. *Quia Apostolus non immensitatem modo sapientiæ & scientiæ Dei, sed multò magis bonitatis & misericordiæ Dei prædicare hic instituit, malo hic diuitiarũ seorsum & pro amplissima bonitate & misericordia Dei accipere (ut adnotaui in dictione huius cap.) de qua præmiserat, Conclusit omnia in incredulitate, ut omnium misereatur: quanquam in sapientia & scientia Dei, ipsa quoq; bonitas & misericordia insit. Sed quod præcipuè commendare studet Paulus, id solet quoque nominatim exprimere. Cùm Paulus intelligeret sapientem Dei gubernationẽ, qua à condito usq; mundo in rerum dispensatione conspicuus fuerit, non habens quod respondeat, demiratus est tantummodo, dicẽs, ò altitudo, &c. Quæres à Paulo, Quare sic gentiles consecuti salutem, & Iudæi tam miserè lapsi sint quorum reliquiæ saluabuntur? In his & huiusmodi quæstionibus, quàm temerarij sunt, qui respondent aliter quàm præceptor Paulus, O altitudo, &c. Scriptura docet cõsilium Domini de nobis, & de omnibus creaturis iustissimũ & optimum esse, rationem autem eius à nobis peruestigari non posse, coq; uiuendum esse nobis fide promissionum eius, fiducia bonitatis eius, ut dicamus cum Dauide Psal. 72. Vt iumentum, factus sum apud te, & ego semper*

tecum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tecum, Tenuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. Ex factis quidem Domini consilium eius ex parte nobis proditur, & ex parte etiam pie uestigatur, sed quem finem in omnibus ultimum mens Dei spectet, nos latet. Voluitq; id nos latere, ut admirabundi de his quæ supra nos sunt agnoscamus nos plane homines esse, hoc est terrenos, & qui nihil ex nobis, præter hæc infima peruestigare possimus. Tria, ait Theophylactus, hic demiratur Paulus in Deo, diuitias qui tam beneficus fuit erga gentes. Sapientiam, qui tantam eis etiam indocilibus sapientiam impertierit. Et cognitionem, qui prudenter dispiciat, quid cui expediat.

Inuestigabiles. Id est, non uestigabiles, & inserutabiles. Viæ, id est, dispensationes & dispositiones. Diuus Hieronymus existimat Paulum retulisse locũ qui est apud Esaiam cap. 11. Et non est inuestigatio uiæ eius.

Quoniam ex ipso. Hæc est ratio præcedentis dicti. Manifestare enim uoluit, Deum à seipso, nullo alio mouente, aut instigante: item per seipsum, nemine ei ministrante, aut cum adiuuante, & in seipsum, hoc est propter se unum, & sua solius causa, omnia condidisse, seruare & regere. Origenes ad hunc modum interpretatur. Quod dicit, Ex ipso: hoc ipsum quod sumus indicat. Per ipsum autem, quòd per eius prouidẽtiam dispensamur in uita. In ipso uerò, quod perfectio omnium, & finis in ipso erit, tũc cùm erit Deus omnia in omnibus.

Ipsi gloria in secula seculorum. Solet Paulus cum magni aliquid dixerit peroraus, gratias agere Deo, idq; nos facere instituit.

Amen. Id est, Quod propositum est de Euangelio, Quod uirtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco, est absolutum.

CONCILIATIO.

Prima. PAVLVS hic Iudæos natura oleas, gentiles uero oleastros pronuntians, uidetur sibi aduersari, cùm Ephes. 2. cap. de se & alijs dicat, Natura filij iræ eramus sicut & reliqui. Et supra, omnes peccauerunt & egent gloria Dei. CONSENSVS est in Paulo, si diligenter obserues Apostolum, cum dixit, nos natura Iudæi sumus, item cum Iudæos oleã natura facit, loqui de Iudæis ex dignatione Dei, qua illos Deus præ alijs cunctis populis terræ complexus fuit. Cum autem ait natura æque filios iræ: & perinde sub peccato esse Iudæos & gentes, loquitur de Iudæis æstimatis ex uita ipsorum perditissima, quam uiuebant cum oriretur Euangelium. Apostolus naturam accipit, ut par est rerum omnium naturam accipere pro ingenio, quod Iudæis & gentibus est, ex instituto & dispensatione Dei circa utrosq;. Ex se enim nihil sunt omnia, quia facta, sunt ex nihilo. Proinde natura & ingenium cuiusq; rei, id est, quod Deus, in re quauis plerunque efficit, accipi solet. Aliter usurpari ab Aristotele intelligo, sed hæc satis ad locorum conciliationem.

Natura.

Secunda. NON planè consentire uidetur hic locus, Concluſit Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur, cum eo qui scribitur Marci ultimo, Qui non crediderit condemnabitur. RESPONDEO, hac epistola Paulus multis argumẽtis probauit, omnes homines esse peccatores, tam Iudæos quàm gentiles, ut nõ haberet uniuersa caro, unde glorietur de iustitia sua. Deus per legis sententiã arguit iudicauitq; omnes sub peccato seu incredulitate captiuos, ut nostri misereatur, beneuolentiamq; suam nobis exhibeat, qui nos ipsos nõ poteramus è uinculis eripere, & salui abire: nostri misertus saluauit nos à peccatis nostris in filio suo. Vides quàm breui uerbo legem & Euangelium

lium expresserit. Legem cùm ait, omnes sub peccato concluſos, Euangelium cùm addit, ut omnium misereatur. Quemadmodum & fecit. Galat. 3. Concluſit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. At non condemnabit incredulitas, sub qua concluſus eras olim, modò credas deinceps in filium Dei. Qui enim dolens agnouerit peccata sua, & ueniam fuerit deprecatus, misericordiam consequetur. Omnium credentium in Christum miserebitur Deus. Qui uerò non crediderit, condemnabitur.

Tertia. IN SPECIEM pugnare uidentur quæ hic Paulus dicit, Quis cognouit sensum Domini, & 1. Corinth. 2. Nos autem sensum Christi habemus. VIDENTVR hi loci uerbis pugnare, sed si penitus introspexeris, quæ utrobique præcedunt & sequuntur conciliabis locos optimè, & minimè dissentire intelliges. In hoc capite & præcedentibus, cùm multa disseruisset de prædestinatione, Paulus, hoc epiphonemate seu rei prolatæ summa acclamatione, concluſit tantam disputationem, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ, &c. Hoc totum uoluit Paulus consilia & iudicia Dei, quare illos eligat & assumat, alios uerò reijciat, nobis abscondita, & adoranda potius sunt quàm inuestiganda. Psalm. 35. Iudicia Dei abyssus multa. Et prohibet scriptura, ne altiora nobis perquiramus. Quare igitur hunc saluet, alium condemnet, non est nobis scrutandum, ipse solus nouit, & ad eius omnipotentiam & maiestatem pertinet, Patris est beneplacitum & consilium, nobis secretum. Hic nemo nouit mentem Domini, Quia nemo consiliarius eius fuit. Quæ scripturis prodita non sunt nescire, pudor non est. Et de hac cognitione non loquitur Paulus Corinthijs, sed de ea quæ fit per uerbum Dei in scripturis sanctis. Nos sensum seu mentem Christi habemus, scilicet quam patefecit nobis per uerbum suum. Vnde Christus Ioannis 17. Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognouerunt uerè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. 1. Ioan. 5. Scimus quoniam filius Dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus uerum Deum. Vt paucis absoluam, Abscondita sunt nobis Iudicia Dei, nisi quæ scripturis sanctis & canonicis reuelauit. En maiestatem sacrarum scripturarum quæ mentem & sensum Christi adferant.

Epiphonema.

Maiestas scripturarum.

Quarta. QVID hic Paulus dicit inscrutabilia esse iudicia Dei, cùm Dauid Psal. 118. certò pronuntiet, in labijs meis pronuntiaui omnia Iudicia oris tui. DAVID non dicit pronuntiaui omnia iudicia tua, sed omnia iudicia oris tui, id est, nihil iudiciorum tuorum tacui, quæ mihi per eloquia tua innotescere uoluisti. Omnia iudicia oris tui, id est, quæ mihi dixisti & reuelasti. Tropo scripturæ per os Domini intelligimus eloquium Domini, siue scriptura, siue reuelatione interna expressum fuerit. Vide Augustinum Tomo octauo in Psalmum 118. concione 6. fol. 919. c

Os Domini.

Quinta. PVGNARE VIDENTVR HI LOCI, Sine pœnitentia sunt dona & uocatio. Hieremiæ 8. Loquar de gente & de regno ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam super bonum quod loquutus sum ut facerem ei. Matth. 25. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Et Geneſis 6. Pœnitet me feciſſe hominem. RESPONDEO, Dona Dei & uocatio ex electione & prædestinatione procedentia sunt impœnitibilia, ut ita loquar, nuntiam, aut spectantia ad corpus seu ad res externas. Horum legimus Deum aliquando pœnituisse, ut in loco Geneseos allegato. Ad huiusmodi Deus se in modum pœnitentis habet, dum mutat quod fecit: Non autem quòd in Deo sit pœnitentiæ commutatio, sed id fit

Universidad de Deusto
Biblioteca

id fit mutatione hominis gratiam Dei abijcientis.

DICTIO.

Spiritus compunctionis. SPIRITVM *compunctionis, dicit ſpiritum peruerſum & exitioſum, qui cùm omne malum accerſat, nihil quàm pungit & cruciat. Hunc morbum uocauit Eſaias 19. cap. Spiritum erroris, quo ſignificatur inſania, mentis perturbatio, inopia cõſilij, quam cùm Dominus immittit ijs, quos punire, atque euertere ſtatuit, dicitur à prophetis ſub allegoria agentium in furorem nimio potu, infundere & obtrudere eiuſmodi uinum uel poculum furoris, quo uelut inebriati à recta mente excidant, & cõcilia ſibi pernicioſa ſumant. Hic malus ſpiritus compunctionis mordet & exaſperat corda odio Euangelij, ut doleat audire aut cognoſcere Euangelium. Quo affectu proprie Phariſæi laborant, ſicut in Actis 7. cap. Audientes hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Non abſimilis pingitur in Cain, Pharaone, & ſimilibus. Primùm, quia diabolus inflammat illos impios. Secundò, quia ipſa humana ratio uehementer offenditur diſſipatione impiorum cultuum.*

Miniſterium honorare. MINISTERIVM *honorificare ſeu glorificare, eſt uirtutem eius præcellentius, & commendare & exhibere ad ſalutem electorum.*

EXCIDERIS *penultima producta futurum eſt ab excidor.*

Vita ex mortuis. VITA *ex mortuis, conſummatio eſt uitæ Dei in ſanctis.*

Plenitudo gentium. PLENITVDO *gentium, plenus numerus gentium eſt, quem Deus aſſumere è gentibus decreuit, & præfiniuit.*

Diuitiæ. DIVITIAE *abſolutè poſitæ pro abundante bonitate accipiuntur, ut ſuprà 10 cap. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, id eſt, abundans bonitate ad ſaluandum omnes. & Epheſ. 2. Dicit imperueſtigabiles diuitias, pro imperueſtigabili bonitate. frequens addi ſolet huic nomini aliquid, ut cùm Paulus dicit diuitias gloriæ uel diuitias gratiæ.*

Cadere. CADERE *eſt in præceps ruere nulla cum ſpe reſurgendi: ut hoc loco, & Amos 5. Quomodo cecidit lucifer, qui mane oriebatur. Aliquando pro labi non in totum.*

Oleaſter. OLEASTER *olea eſt ſylueſtris.*

Bonitas. Benignitas. BONITAS *ſeu benignitas eſt quædam animi propenſio ad bene merendum de quopiam.*

Captio. CAPTIO *non eſt hic decipula proprie, unde captioſos dicimus, ſed pro uenatu poſitum eſt, quo capimus feras, quaſi dicas, capiantur ſua menſa qua laxare animum debebant.*

Inſertus. INSERTVS *es, pro inſitus es, quoties ſiſſo arboris ramo inſeritur ſurculus. Eſt enim hoc unum inſitionis genus. Quanquàm hic magis ſignificare uidetur inoculationem, cùm perterebrato, qua ſe protrudit gemma cortice, inſeritur ſtolo.*

Menſa. MENSA *dicitur ſæpenumero in ſcriptura, cibus, panis, refectio aquæ ſapientiæ ſiue uerbum Dei, & ipſa prædicatio uerbi. Vſurpatur pro lege & prophetis in quibus ſicut in menſa proponitur manna cœleſte uerbi Dei quod animam reficillat & cõfortat. Deutero. 8. Matth. 4. & Pſal. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam, id eſt, ô Domine uerbum tuum in libris prophetarum ſcriptum, ſit mihi conſolationi. & Pſal. 68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*

Laquei ſcripturæ. LAQVEI *ſcripturæ ſunt doctrinæ ſiue ex diuinis deprauatæ, ſiue ex humanis confictæ. Quæ non modò opinionem, ſed conſcientiam quoque lædunt. His laqueis irretiti diſtrahuntur huc & illhuc multiplicibus ſentẽtijs ſcripturæ, & nihil unquam certi*

certi conſequuntur. Propterea hos hortatur Paulus 2. ad Timoth. 2. Reſipiſcant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur. Malach. 1. cap. & Ezech. 41. uocant menſam Domini altare.

Dorſum incuruari. DORSVM *incuruari eſt deprimi opinione. Nam qui carent uerbo ſpiritus illuminante, hi ſemper ex alio errore alium pariunt. Et qui carẽt uerbo conſolatorio gratiæ, ſubinde aggrauantur alijs & alijs peccatis: hos ad Epheſ. 4. Paulus dicit fluctuare falſis opinionibus. Dorſum eorum ſemper incurua, non ſolùm ut premantur omnibus malis, foris inter gentes, ſed etiam ut non uideant ſurſum in cœlum, & inuocent ex fiducia cordis Dominum. Pſal. 16. Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.*

Singuli diuerſa accipimus dona.

CAP. XII.

Rationabile] rationalem cultũ, ſpiritalẽ & non carnalem. Reformamini] trãsformemini p renouationẽ mentis ueſtræ, Bona, beneplacẽs] qđ bonum eſt acceptũ ſ, & perfectum. Dico] Iubeo Sapere] ſentire de ſe, & infrà. Ad ſobrietatẽ] modeſtè & moderatè, Eundẽ actum] eandem operationem Secũdũ rationẽ] iuxta portionẽ ſiue proportionẽ & mẽſuram Tribuit] impertit Solicitudine,] diligentia,

OBſecro ítaq; uos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam uiuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Et nolite conformari huic ſeculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus ueſtri, ut probetis quæ ſit uoluntas Dei bona, & bene placẽs & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter uos, Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuiq; ſicut diuiſit Deus menſuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autẽ membra nõ eundum actium habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra: habentes donationes, ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Hoſtia Deo placens.

Philip. 4. d

Epheſ. 5. d

1. Theſſ. 4. a

1. Corint. 11. b

Epheſ. 4. b

Corpus unum Chriſtiani.

Obſecro. *Hactenus ſumma religionis ſatis diſputatum eſt, nunc morum paræneſes ſubiſcit, inſtituitq; de bonis moribus præcepta.*

Hoſtiam uiuentem. *Infrà 15. cap. memorat, ut Deo adduxerit gẽtes, ceu oblationem acceptam & ſanctificatam. Nomen hoſtiæ quadrat pulchrè, eò quòd hoſtia erat quæ mactari ſolebat. Omnino enim mori nos nobis ipſis oportet, cùm nos Deo contradimus immutandos ad uitam. At quo modo erit uictima corpus? Videãt oculi quæ recta ſunt: lingua manusq; altera quidem laudibus Dei, altera uerò præceptis uacet: ſic fiet hoſtia uiua corpus. rationabile obſequium dixit, quod eſt ſecundum Chriſtum, hoc eſt ſpirituale nouæ uitæ in Chriſto ſacrificium. Et nõ carnale & mortuum, ut olim Iudæi uictimas carnales offerebant. Immolate ergo uoſmetipſos: hoc eſt, affectus carnales iugulate. Siquidem Deus non uult mortuas pecudes, ſed hoſtiam uiuã, ipſum inquam hominem ſanctificatum, & repurgatum.*

Quomodo corpus hoſtia.

Obſequium rationabile.

Rationabile. *Hoc eſt: Exhibeamus cultum Deo rationalem, talẽ ſcilicet, in quo agnoſcitur*

agnoscitur & apprehẽditur Deus, seu in quo existunt hi motus diuini, uidelicet timor Dei, fiducia, inuocatio, & confessio. Sensus ergo erit: Efficiamini hostiæ: id est, agnoscite, prædicate, seu glorificate Deum, & sustinete mortificationem, & credite quòd hi uestri cultus placeant Deo propter Christum, propter quem & uos estis hostiæ.

Et nolite conformari. Inanitatem uitæ huius seculi fugiẽdam hortatur. Præterit enim figura huius mundi. 1. Corinth. 7.

Gratia in Paulo.

Dico enim per gratiam. Munus Apostolicum ex singulari gratia sibi collatum gratiã uocat. Quod ait dico omnibus inter uos, eò non solùm autoritatẽ præ se tulit præcipiendi: sed etiam necessitatem præcepti, quod nemini non diligenter consyderandum sit. Hoc Pauli præceptum est ne ultra mensuram nostram sapiamus. Id enim dementiæ est atque stultitiæ. Si magnis donamur donis, alios non despiciamus, non superbiamus, ne extollamur. Dei enim donum est, non nostra uirtus. Neq; quisquam quod non habet, alijs inuideat. Deus enim dona distribuit, qui nouit quid cuiq; decorum sit atq; conueniens. Perseueret ergo unusquisq; in uirtute, neq; æmuletur neq; efferatur dono suo. Dici potest hunc in modum: Videbatur aliquis fastus tribuendus ijs qui fortuna aut dotibus præcellerent. Eum personarum delectũ prorsus tollens Paulus denuntiat quisquis sit ille (modò uersetur apud Christianos) ne se cuiquam anteponat, sed suã quisque dotem à Deo acceptam conferat ad commoditatem proximi.

Sobrietas.

Sapere ad sobrietatem. Hoc loco Sapere non pertinet ad eruditionẽ, sed ad cogitationem & opinionem, ueluti cùm quis effertur animo & magnifice de se sentit, ut præcedente capite adnotauimus. Id ita esse satis declarat Origines, statim indicans hunc sermonem pertinere ad eos, qui ex oleastro insiti oleæ ferocirent & superbirent aduersus ramos ex olea defractos. Hieronymus contra Iouinianum legendũ putat, sapere ad pudicitiam. Interpres Origenis legit Ad temperantiam, quæ est moderatio cupiditatum & actionum. Cic. lib. 3. quæst. Tuscul. hanc uocauit frugalitatem. Vocabitur ut uoles. Sed mihi uidetur usurpandum esse pro ea moderatione & constantia, qua in quibusuis rebus, id seruamus & tuemur, quod dictat recta ratio, quod iubet uera prudentia. Certum est Apostolum hic unum hoc præcipere, ut quisque noscat, agatq; res suas, hoc est, suæ intendat, inseruiatq; uocationi.

Frugalitas.

Et unicuiq; sicut Deus. Videtur hic textus sic ordinandus: Quisque sapiat (subaudi) sicut Deus diuisit unicuiq; mensuram fidei. Fidem Apostolus sæpe pro tota religione & noua uita quam uiua fide uiuimus, accipit. Sic fidei hic mensuram dicit donum & portionem uitæ nouæ, uitæ spiritualis, facultatis uiuendi & agẽdi ex fide tibi donata iuxta mensuram tuam, hoc est quantum tibi est necesse ad tuam exercendam & complendam uocationem.

Fides. Mensura fidei.

Siue enim in uno corpore. Quid tu cristas erigis, atq; superbis? Quid uerò æmularis? Non'ne omnes unum corpus sumus in Christo? membra autem inter nos mutuo alter alterius? Hæc similitudo infra 1. Corint. 12. latius exponitur. Vult hic Paulus ut à similitudine corporis discamus quàm certam & propriã oporteat unumquẽq; actionem habere in corpore Christi, & omnino eã quam Dominus unicuiq; donauerit.

Siue prophetiam secundum &c. Apostolus loquitur hic de publicis ecclesiæ muneribus & donis, quibus ad utilitatẽ cõmunẽ totius corporis Dominus quosdã instruit. Atq; inter dona diuersa in corpore Christi prophetiã prio loco ponit, quæ est facultas spiritus Christi, qua futura & arcana Dei prædicũtur & renũtiantur ad gloriam Dei, & ecclesiæ cõmoditatem. Diuus Ambrosius secundũ rationẽ fidei interpretatur

Prophetia.

tatur dari prophetiam pro modo accipiẽtis, hoc est, quantũ causa exigit propter quã datur. Chrysostomus scribit donũ hoc prophetiæ accipere mensuram à suscipientibus, tantum scilicet influere, quantum reperiat uas fidei sibi appositũ. Intelligas tanto maiora esse dona quanto fides fuerit integrior. Cùm enim Deus dona omnia pro mensura fidei distribuit, indubiè prophetiam pro fidei proportione & modo confert.

Siue ministerium in ministrando &c. Nomina sunt ministrando & exhortando, pro in ministerio seu ministratione & exhortatione. Cùm ait ministerium in ministerio, intelligit per alterum ministerium munus ministrandi, administrationem scilicet Euangelij, & quæ ad huius profectum faciũt: Per alterum donum ministrandi, facultatem, scilicet spiritus, qua rite & cum fructu ministratur, ut sensus sit: Alius habet munus prophetiæ pro portione fidei, eoq; etiã cum dono prophetiæ: Alius ministerium, id est munus ministrandi in ministerio, id est cum singulari facultate spiritus ministrandi rite & cum fructu. Sic qui docet, id est qui habet docendi munus in doctrina, id est cum uirtute & facultate spirituali, ad hoc munus docendi rite obeũdum. Ita est exhortans in exhortatione, hoc est cum munere exhortandi, etiam præditus exhortandi dono. Qui tribuit seu est impertiẽs, id est ecclesiæ minister ad dispẽsandas facultates ecclesiæ & sanctorum collationes in usus egentiũ, qui aliàs Diaconus, id est minister simpliciter dicitur, cum dono impertiendi quod hîc exprimit, eò quòd ait in simplicitate, hoc est bona fide nihil aliud respiciẽdo quã quod oportet. Est præterea qui præest, qui pascẽdi & regendi ecclesiã munus accepit cũ solicitudine & studio, id est dono spiritus, à quo uerum studium & iusta sedulitas suppeditatur. Est miserans, munus gerens consulẽdi afflictis & miseris, in quo ministerio plurimũ molestiæ est. At qui etiã dono pollet ad munus hoc rite obeundũ, is citra molestiã & hilariter eo munere fungetur.

Ministeriũ in ministrando.

Diaconus.

Dilectio sine simulatione: odiẽtes malum, adhærentes bono: charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, Flere cum flentibus: Idipsum inuicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud uosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: Si fieri potest, quod in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non uosmetipsos defendentes charissimi; sed date locum iræ: scriptum est enim, Mihi uindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens: carbones ignis congeres super caput eius. Noli uinci à malo; sed uince in bono malum.

Domino] Vel tempori

Gaudere] Gaudete

Flere] Flete

Idipsum inuicẽ, &c.] Ieodẽ animo alij in alios affecti, uel, estote uniusanimi & affectus.

Consentiẽtes.] obsecundãtes.

Prudentes] arrogantes

Vindictam,] Vltionem,

Ephes. 4. a
1. Petri 1. c
1. Petri 5. b
Hebræor. 13. a
1. Petri 4. c
Prouerb. 3. a
Esa. 5. c
1. Petri 3. d
2. Corinth. 8. d
Hebræor. 12. d
Eccles. 18. a
Matth. 5. g
Deuteron. 32. e
Prouerb. 25. c
Heb. 10. e

Universidad de Deusto Biblioteca

Spiritu feruentes.

Spiritu feruentes. *Spiritus nomine intelligit energiã exertam & emissam animi, ipsamq; uim agendi intentam. Huius spiritus feruor est, singularis huius energiæ & explicatæ uis. In agendo contentio. Tali contentione ad prædicandum Christum erat*

Apollo.

Apollo, de quo Act. 18. scribitur quòd loqueretur feruẽs spiritu, & docebat diligenter ea quæ sunt IESV. *quo Lucas testari uoluit illum fuisse uehementem, & causam Christi egisse contentione singulari.*

Seruire tẽpori.

Domino seruientes. *Origenes indicat in nonnullis exemplaribus scriptum fuisse tempori seruientes, ut intelligamus boni consulendum, si quid pro tempore inciderit incommodi. nam id opinor est seruire tempori. Cum hoc cohæret quod sequitur, spe gaudentes. Si quis exigit tributum, pende: si quis uectigal, solue. Si quis exigit honorem, redde. Si quis affligit, patere, nec ea res tristem reddat, sed spes erigat in malis animum. Item quod præcedit, spiritu feruentes. feruor enim spiritus contemnit obstacula, & rapit omnem occasionem benefaciendi proximo.*

Necessitatibus communicantes. *Necessitates dixit, non delicias: & communicantes dixit, non subuenientes, quòd commercium sit inter dantem & accipientem, & plus lucri facit qui dat beneficium quàm qui accipit.*

Hospitalitas.

Hospitalitatem. *Ne expectes tantisper, dum ille ad te uenerit, erubescit enim ac pudore suffunditur, uerùm tu insequere eum, inuita eum, persequere ut hospitio excipias. noli extremam expectare necessitatem.*

Idipsum inuicem sentientes. *Vult Paulus unumquenq; Christianum affectum esse erga cæteros, quomodo singula membra corporis affecta sunt erga cætera membra. Hoc modo communis erit affectus in Christianis, ut omnes non opibus, non genere, non eruditione, non honoribus, sed Christo metiãtur, qui est omnibus ex æquo communis. Non enim personarum est acceptor Deus. Si magnum te existimas, talem & fratrem tuum reputa, etiam si pauper fuerit. Nam apud Deum, diuitiarum & inopiæ nullus est respectus aut discrimen. Quomodo autem tibi hoc cõtingat? Si de te ipse non alta sentias, uerùm si commodes & consentias tenuibus, atque ad illorum humilitatem descenderis. Poterant Romani tali affectu uanæ gloriæ propter urbis amplitudinẽ detineri, ideo hunc fastum supprimit.*

Prouidentes. *Date operã, ut uestra probitate omnes ædificentur. Vt enim conscientiæ puritas corã deo necessaria est, ita famæ integritas apud homines curanda est.*

Non uosmetipsos. *Grauissimum malũ hoc loco corrigit. Præcipit, quamlibet læsi fuerimus, ne tentemus ipsi uindictam, sed eam Domino permittamus. Originẽ habet hoc malum ex immodico nostri amore, ac ingenita superbia, quæ facit, ut uitijs nostris benignè indulgeamus, alienis autem simus inexorabiles. At dandus est locus iræ: hoc est, permittamus Domino iudicandi facultatem, quam ei præripiunt, qui uindictam aggrediuntur. Vindictam ex testimonio Prophetæ Dominus sibi seruauit: sed nefas est Dei uices & partes usurpare: ergo nefas, & temerarium ulcisci, & uindictam sua autoritate facere.*

Vincere malũ bono.

Noli uinci à malo. *Bonum & malum hic non refertur ad hominem improbum aut probum: sed significat ipsum beneficium aut iniuriam. Vincitur igitur à malo qui prouocatus iniuria non temperat animo, sed adducitur ad retaliandam iniuriam. Vincit malum bono qui male facta bene factis repensans efficit ut inimicus resipiscens fiat amicus. hoc præceptum quoniam durum erat humanis affectibus, adiecit autoritatem Domini, dicit Dominus.*

CONCILIATIO.

Prima.

PAVLVS *hic male precari hostibus simpliciter uetat. Et tamen ipse cum prophetis inimicos suos grauiter deuouet. Ad Galat. 5. Vtinam abscindantur qui uos conturbant. Psalmi pleriq; referti sunt huiusmodi imprecationibus, ut Psal. Deus laudem.*

Male dicere Deus dicit qd tamen facere, homini prohibetur.

OMNINO *piè sancti malis ea orãt, quæ Deus iustus iudex illis irrogare debet, ne nomen Dei blasphemetur, & regnũ Dei deprimatur. Deus maledicere dicitur, tamen homo maledicere prohibetur: quia quod homo malitia uindictæ agit, Deus facit examine & uirtute iustitiæ. Fit igitur ut sancti uiri maledictionis sententiã pronuntiãtes, nõ hanc uoto ultionis, sed iustitiæ examinis, & iuxta Dei iudicis ueri uoluntatẽ erumpant.*

Secunda.

HIC IVBEMVR *inimicos cibare & potare. Quod Apostolus ipse prohibet cibum sumere cùm manifestè sceleratis qui fratres haberi uolunt,* 1. Corinth. 5. 2. ad Thessal. 3. Et 2. Ioannis. *Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, cõmunicat operibus eius malignis.* APOSTOLVS *hortatur hoc loco ad officia charitatis. Hæc debemus omnibus, Cuiq; tamen ea ratione quam Dominus erga unumquemque præscribit. Nempe ut quisque proximus fuerit, uel agnatione, uel cognatione, uel affinitate, consuetudine domestica uel ciuili, aut ecclesiastica, aut ulla aliarũ rerum societate & contractu, coniunctione loci, necessitate officij, uel quomodocunq; Dominus homines nobis iunxerit, his omnibus pro uirili, id est, uocatione nostra pro illorum necessitate, atque etiam utilitate, quæ ab eis existere possit, benefacere & commodare debemus. Omne id quidem hoc fini, ut & ipsi Deo adducantur si fieri possit. Sin uerò ut uel aliquis eorum usus sit Reipublicæ, citra tamen creatoris cõtumeliam. honor enim* IESV *Christi & habendus & præferendus est rebus omnibus. Si quis se fratrem iactet, uiuat autem palàm impurè, aut doctrinam Christi uitiare conetur, nec admittat qui ab impuritate uitæ uel impia doctrina uerbi Dei reuocẽt, Christianus cum eiusmodi, nec cibum sumat, nec talem in domum suam recipiat, aut aue ei dicat.*

DICTIO.

Ministerium.

MINISTERIVM *simpliciter positum aliquando generaliter accipitur pro omni administratione Euangelij & eorum qui ad profectum huius faciunt. Sic usus est Paulus suprà* 11. *cap.* 2. Corinth. 3. Ephes. 4. 2. Timoth. 4. *Nonnunquã accipitur cum simpliciter ponitur pro administratione rerum quibus uita corporis sustentatur. Vnde & Diaconi, id est, ministri simpliciter Apostolis dicti sunt. hinc* 2. Corinth. 5. *uocat q, fratres Macedones cõtulerant in usus pauperum communicationem ministerij in sanctos.*

Carbones ignis.

CARBONES IGNIS, *id est, prunæ significant in scripturis ignem durantem ac ideò uehementiorem Psal.* 119. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs. Aliquando fulmen, translatione sumpta ob huius elementi uehementiam. Aliquando ultionem Dei grauissimam, ut passim in scripturis uidere est. Vocat prophetæ carbones uerba legis, uelut urentes animum angustia, & confusione & similibus affectibus. Psal.* 139. *Hoc loco carbones ignis significant beneficia collata, quibus accenditur erga datorem ad amandum.*

Potestati sublimiori parendum. CAP. XIII.

Magistratibus obediendum.

OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati,

1.Pet.2.c Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autē nō timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: uindex in iram, ei qui malum agit. Ideoq; necessitati subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.

Sapien.6.a. Acquirūt.] accipient.

Necessitas est principum autoritas.

Necessitati subdi.&c.] Oportet esse subditos.

Propter iram.] diuinam ultionem.

Tributum. Matth.22.c Seruientes.] incumbentes.

Omnis anima potestatibus. *Ostendit Christi Euangelium non ad publicæ bonæ ordinationis subuersionem datum esse. Quoniam intelligebat Paulus nonnullos Christianos prætextu religionis detrectare principum iussa, atq; ita futurū, ut ordine perturbato, sursum ac deorsum omnia miscerentur, Præcipit ut quibuslibet potestate publica præditis, omnis homo obtēperet: dum nihil pietati & fidei aduersum mādatur.*

Non est enim potestas. *De ipso principatus munere, nō de principe hic disserit. Quod alij dominentur, alij uerò dominorum imperio pareant, nihil hic exprimo.*

Potestas & magistratus à deo. *Hoc unū uelim uobis persuasum, quòd non est potestas, nisi à Domino Deo proficiscatur. Siue regia, siue patris in filiū, siue uiri in uxorem, uel si quæ aliæ sint, siue cæteras omnes dixeris, quas esse uel inter bruta animantia constat, quales apium, anserū, & piscium sunt & huiusmodi. Vide quàm latè pateat potestatē omnē à Deo institutam esse.*

Itaque qui resistit. *Occupatio est. Obijciunt fortè fideles: Nos ipse reddis abiectiores, qui cùm simus regno cœlorum potituri, principibus subdas. Respondet, Deo & obedientes & subiectos esse qui principibus parent. Quinetiam quod horribilius est, addidit, Qui non obediunt, Deo qui condidit instituitq; magistratus, resistunt, fit igitur, ut parent sibi damnationem, quam accipient.*

Non sunt timori boni operis. *Id est, principes & magistratus non sunt in terrorē bene operantiū sed male. Hæc formido malis nō est à principe, sed à malignitate operantium malum. Ob id accinctus est ferro princeps, ut improbos tormentis afficiat.*

Ideoq; necessitati subditi estote. *Necesse est principi obediamus, nō solùm propter iram seu ultionem Dei, qui præcipit obediendum potestati seu magistratibus, sed etiam propter conscientiam ad id nos exhortantem. Propterea tributum ei pendimus ac soluimus, mercedem nimirum gubernationis præsidatusq; eius. Subministri sunt Dei, curam subditorum gerentes. Qui neglectis suis priuatis rebus (si rectè principantur) publico suorum ciuium commodo inuigilant.*

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis: nisi, ut inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces: Et si quod est aliud mandatum, in hoc

Exod.10.c Deutero.5.b Leuit.19.c Matth.22.c Galat.5.c

uerbo

uerbo instauratur, DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc, scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit: Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum IESVM Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

Verbo instauratur,] sermone summatim comprehenditur.

Plenitudo] consummatio

Iacobi 2.b

Somnus. Nox. Dies. Opera. Luc.21.f

Cùm credidimus.] tum cùm credebamus.

Induere Christum.

Galat.5.c 1.Petri 2.c

Nemini quicquam debeatis. *Soluite unicuique quod debetis, quo soluto desijstis debere. At sola charitas non desinat deberi, sed semper persoluatur: & nihilo minus semper debeatur, ut non sit finis bene merendi.*

In hoc uerbo instauratur. *Instauratur, id est, recapitulatur ait, Augustinus, seu summatim in hoc uerbo continetur. Sumptū est ab epilogis rhetorum, in quibus tota causa summatim repetitur, quam anacephalæosim uocant illi. Sensus est, quòd omnia alia præcepta rediguntur ad præceptum dilectionis, & in eo comprehenduntur.*

Instaurare.

Anacephalgosis.

Dilectio proximi malum non operatur. *Littote est, plus enim quàm dicitur, significatur. Cōfirmat ratione quod dixerat epilogum, hoc est totius legis esse compendium in charitate. Cùm lex hoc potissimùm agit ne malum proximo faciamus. Vtiq; clarum est proximi dilectione (quæ omnem auertit lædendi proximi uoluntatē) legem impleri. Nam qui proximum diligit, neq; adulteratur, neq; mœchatur, neque furatur, neque huiusmodi quicquam aduersus proximum operatur, imò prodest omnibus, quibus potest & bonis & malis.*

Littote.

Et hoc scientes. *Hoc, pronomen apud Græcos non refertur ad tempus, cùm tempus illis sit masculini generis. Verùm ita loquitur: Et hoc, siue, Idq; cùm sciamus nempe tempus, ut & hoc, uim habeat exaggerandi. Veluti cùm dicimus, Scortaris, & hoc in quadragesima. Vt intelligamus quæ præcepit, nunc præcipuè præstanda esse in lege Euangelica, quæ plus aliquid exigit supra Moysi, naturæq; legem. Tempus hoc loco significat opportunitatem, & occasionem. In hunc sensum accipiamus. Nemini supple quicquam debeatis, aut charitate supple abundemus. Et hoc facite, scientes tempus, id est, opportunitatem adesse id faciendi.*

Tempus.

Quàm cùm credidimus. *Id est, quàm cùm credebamus, siquidem nox infidelitatis, peccati & ignorantiæ & umbrarum Mosaicarū præcessit, siue progressa est & tendit ad interitum illucescente Euangelio, & sole gratiæ, dies gratiæ seu Christus, qui se diem manifestauit, in quo operari debemus, appropinquauit.*

Sicut in die honestè ambulemus. *Nam orta luce (ait Cyprianus) ob pudorem homines se gerunt uerecundius, componuntq; mores ad hominum iudicia: nox enim uacat pudore.*

Sed induimini Iesum. *Cùm nos sordidis uestibus exuisset, ne nudi & pudore suffusi appareamus, pro ueste Christum nobis largitur. Qui Christum Dominum in-*

Induere Christum. *ducerit, is habet uniuersam uirtutem. Induere Christum, hic significat, uirtute spiritus eius undiq; nos munire, qua idonei ad omnes sanctitatis partes reddamur.*

Carnis curam. *Carnis duntaxat ad sanitatem non ad incontinentiam habenda est ratio. Non uiuas (ait ille) ut edas, sed edas ut uiuere possis.*

CONCILIATIO.

Prima. PAVLO *dicenti, Non est enim potestas nisi à Deo. aduersatur Oseas 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.*

LOCVS *Pauli maximè intelligendus de ipso principatus munere, non autem de modo assequēdæ dignitatis & potestatis inordinato, aut de usu seu potius abusu ipsius: de quo intelligenda sunt Oseæ uerba. Abusi sunt uehementer de quibus dictū est, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum. Qui principatum assequuntur, obseruent locum Pauli ad Hebræos 5. cap. Nemo sibi honorem assumit, sed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron.*

Secunda. APOSTOLI *& martyres magistratibus frequenter restiterunt. Quid ergo hic pronuntiat Paulus, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit?* RESISTENDVM *est potestati tyrannicæ aduersanti fidei & pietati, & hæc à Deo non est ordinata.*

Tertia. INVICEM *aduersari uidentur hi loci: Cui honorem, honorem. Et Leuit. 19. Non honores uultum potentis.* NON HONORANDVS *est potens ut à uia iustitiæ declinet. ob id sequitur in textu, Iustè iudica proximo tuo.*

Qarta. IN VERE' *Christiano non est locus timori, ut hic docet Paulus. Nam principes non sunt timori boni operis sed mali. Quum igitur præcipit sequenti textu, Cui timorem, timorem. manifestat timorem debitū à uerè Christiano.* EST TIMOR *qui est quidam honor & amor quandam uenerationem prætēdens, qualis uidetur cùm pronuntiatur, Nihil deest timentibus eum. Et, Timor Domini permanet in seculum seculi. Alius est timor seruilis, quo timet quis peccare, maximè uitandæ pœnæ gratia. Hunc in se non agnoscit uerè Christianus.*

DICTIO.

Anima. ANIMA *hoc loco pro omni homine ponitur.*

Potestas. POTESTAS *hic pro principatu, potentatu, & magistratu uidetur accipi.*

Instaurari. INSTAVRARI *significat hic recapitulari, hoc est summatim perstringi in hoc uerbo.*

Comos. COMESSATIO *est conuiuium procacius ac iuuenile, & propriè cibi potusq; post cœnam ex luxu assumpti. Comos enim Græcis Deus est temulentiæ, ut fingunt poëtæ.*

Infirmi non offendendi: Et de ratione dierum. CAP. XIIII.

De infirmis in cibis & ratione dierum.

INfirmum autem in fide assumite: non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus mãducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem: potens

In disceptationibus cogitationum.] ad dijudicationes disceptationum.

Iacobi 4. d

Se manducare omnia:] uescēdū esse quibuslibet:

Assumpsit.] Non abiecit.

Statuere illū.] efficere ut stet.

Inter] iuxta

In suo sensu abundet.] Propriæ menti satisfaciat.

Sapit diē:] Quia rationē aliquā dierum habet,

Domino sapit:] Ad honorem Domini id facit:

tens est enim Deus statuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem. Dies. Vnusquisq; in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit: Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui nō manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi uiuit, & nemo sibi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Viuere. Mori. Siue ergo uiuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & uiuorum, & mortuorum dominetur.

Infirmum in fide. *Suscipite eum qui nondum firmus est fide. Is non abijciendus, sed tolerandus & alendus donec proficiat ad meliora. Hoc modo assumetur, ad Christianam amicitiam & curam receptus, uobis adiungetur. Ex Iudæis pleriq; post Christi fidem susceptam, escas à lege olim interdictas cauebant, confisi nondum à lege plenè descisc ere, ita ut à carne suilla abstinerent: sed cùm se minus tolerabiles existimarent, si suillam solam non ederent, cæterarum carnium esu intermisso, oleribus uescebantur. Cæteri uerò qui perfectiores erant, & qui iam intelligerent legalia illa cessasse, carnes illas olim interdictas cauentibus conuitiabantur. Timens Paulus ne infirmi à firmioribus tam acriter lacessiti, à fide deficerent, hortatur huiusmodi infirmos benignè & leniter assumendos esse, non in disceptationibus cogitationum, id est, non in anxijs disceptationibus, per quas futurum est ut illi alienentur. Hanc propositionem hic tantùm proponit, quam exemplo Christi in principio sequentis capitis probat: Propter quod (ait) suscipite inuicem sicut & Christus suscepit uos in honorem Dei.*

Alius enim credit se manducare. *Noua locutionis forma est, quæ ad literam sonat, putat se manducare omnia. Cùm sit sensus, Putat sibi licere uesci quibuslibet cibis, citra delectum.* Credit manducare omnia.

Qui autem infirmus est. *Infirmus hîc non ad ualetudinem corporis sed animi refertur, qui nondum plenè fide cōfirmatus est. Noster interpres legit uerbum Manducet imperatiui modi. Sensus est: Si existimat periculū esse in carnibus edendis, uescantur oleribus. Græcis uerbum est indicatiui modi, atque hunc in modum adducit Hieronymus in Ecclesiast. cap. 2. Qui infirmus est (ait) oleribus uescitur. Non enim iubet ut uescatur oleribus, quem mallet firmiorem redditum uesci quibuslibet, sed ostendit quid faciat infirmus, suæ obtemperans infirmitati. Quia dubius animi est quid manducet, cognoscens tot ciborum genera in lege prohibita, ne conscientiam quam habet, polluat, olus manducat, certus hoc ipsum non esse in lege uetitum.* Infirmus.

Non manducantem non spernat. *Qui firmus est, nihili faciat, & pro nihilo ducat, aut uideatur nō obseruasse, si uiderit infirmum nō manducantem. Non dixit, corrigat, sed ne spernat, ostendens quod ridicula agat. Opus est enim ipsum fraterna charitate corrigere, quando congruum uidebitur, & non ueluti execratum cōtemnere.*

Manducantem non iudicet. *Infirmus suillam non manducans ne condemnet indiscriminatim de omnibus comedentem. Deus enim illum assumpsit, hoc est ad se attraxit, ac liberauit ab omni Iudaica obseruatione. Aut assumpsit, id est, non abiecit,*

sed ad fidem etiam uocauit. Quis igitur es qui iudicas ex lege, à lege alienum? Obserua autem cùm dixisset, Deus enim illum assumpsit, de obseruantibus & non manducantibus nihil tale protulit.

Tu quis es qui iudicas. *Perfectiores alloquitur, qui alios & contemnebant, & de illis iudicium sibi usurpabant. A contemptu proximi iam auertit. Nunc ne proximum iudicent hortatur. Non quòd huius facta iudicanda non sint, eò iudicium interdicit Paulus, sed quòd proximus sit alteri in seruitutem adscriptus, hoc est, non tuum sit sed Dei mancipium. Domino suo curæ est siue stat, siue cadit, edens aut abstinens, qui etsi per infirmitatem fidei nunc cadit, stabit tamen, hoc est stabilietur à Domino, &* Statuere. *confirmabitur. Potens est enim Deus illum statuere, hoc est erigere & stabilire. Obseruabis interim Paulum hîc dixisse, Potens est enim Deus, &c. ne intelligeres hominem proprijs uiribus aut meritis stabiliri, sed potentia & uirtute Dei perseuerantiam & stabilitatem concedi.*

Nam alius iudicat diem. *In primitiua ecclesia multi ex Iudæis infirmi & in fide debiles corticem legis seu literam sequentes, festa & calendas superstitiosè obseruabant, discernentes quòd uno die aliquid liceret quod altero die illicitum esset. Alij autem firmiores in fide agnoscentes legalia cessasse, & planè antiquata esse, iudicabãt omnem diem, hoc est, censebant quamlibet diem cuilibet rei non malè gerendæ aptam, nullam inter huiusmodi legis ueteris dies, distinctionem ponentes. Chrysostomus interpretatur hæc de Iudæis, quorum nonnulli à carne suilla (etsi non perpetuò) statis diebus abstinerent, alij sine discrimine quouis die esitarent. De his neutros iudicandos, sed suæ conscientiæ relinquendos. Hic locus esse nõ debet argumento auferendi dies festos,* Festi dies seruandi. *quos Apostoli, deinde sancti patres instituerunt: cùm Paulus hîc solùm de legalibus agat. Veri & boni Christiani est iudicare licitum esse die lunæ fieri, quod illicitum est die Dominico, paschæ, pentecostes, aut assumptionis uirginis Mariæ.*

Vnusquisq; in suo sensu. *Non sunt hæc Pauli uerba de doctrina fidei accipienda, sed de ieiunio tantùm & abstinentia aut huiusmodi, quæ ex se mala nõ sunt, sed tum bene, tum malè fieri possunt, idq; iuxta cõscientiam operantis. Nam cùm de fide & eius dogmate agitur, nequaquam est opus, ut nostro sensu ducamur, quin erunt quæ à sanctis accepimus tenenda, uel si angelus è cœlo demissus diuersa denũtiet. Vnusquisq; in suo sensu abundet, id est unusquisq; certus sit suæ mentis, & compertum habeat quod mente concipit, seq; ipse consulat, & agat quod sibi conscientia iudicat.*

Qui sapit diem, Domino sapit. *Sapere hoc loco curare est & sentire discrimen inter diem & diem, quod est Iudaicæ superstitionis. Et non sapere, est non curare discrimen diei. Hæc intelligenda sunt de festis & diebus Iudaicis. Sensus est: Qui rationem aliquam dierum habet, Domino sapit, id est, ad honorem Domini id facit. Aliter: Qui sapit diem, siue sic sapiat, siue secus, Domino sapit, non tibi ad quem nihil attinet. Græci huic textui addunt particulam contrariã ad hunc modum: Et qui non sapit diem Domino non sapit, id est, qui dierum distinctionem non facit, ad honorem Domini id facit. Similiter & qui indiscriminatim atq; quibuslibet uescitur, & qui certis abstinet, agnosce ambos hunc & illum uno uti scopo, nimirum honore Dei.*

Nemo enim nostrum. *Si uita & mors nostra pretiosa est Domino, ipse reget & dispensabit ea quæ ad nos attinent: nec est opus ut proximum nostrum siue uescentem, siue abstinentem, siue dierum distinctionem aliquam facientem iudicemus uel contemnamus: sed Domini iudicio hunc relinquamus, qui uitæ mortis q; solus potestatẽ habet: hoc modo tolerabis fratrem, quoad firmior factus solido cibo uesci possit, quem lucraberis, lucratum seruabis ne pereat. Si cùm mortui essemus, Christus adeò nobis prospexit ut crucifixus moriens mortem nostram destruxerit, quantò magis uiuentium curã tangetur qui resurrexit propter nostram iustificationem? Est igitur Christus potestatem habens in mortuos & uiuentes.*

Stabimus] statuemur

Scandalũ.] Lapsus occasionẽ. Confido in Domino] Persuasum habeo per Dominum

Nostrũ.] Vel, uestrum. Bonũ nostrũ.] Fides nostra.

Non ex fide.] Contra conscientiam.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu, quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi: *scriptum est enim, Viuo ego, dicit Dominus, quoniã mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaq; unusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo.* **Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, uel scandalum. Scio, & confido in Domino** *IESV,* **quia nihil commune per ipsum: nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum.** Regnum Dei. **Nõ est enim regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto. Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur:** Titum 1.d **& quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidẽ sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere uinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem, quam habes penes temetipsum, habe corã Deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.**

1.Corinth.3.b Esaiæ 45.d Philip.2.b

1.Corinth.8.d

1.Corinth.8.d

Omnes enim stabimus. *Dominatum & potestatem Christi in omnes testatur: & tanquam serui apud Dominum Christum iudicabimur. Omnis confitebitur propria peccata, ex propria conscientia tanquam iudici. At cùm de patre dictum sit, quòd ipse neminem iudicet, sed omne iudicium dederit filio, Ioan. 5. clarum est igitur quòd de iudice Christo à Paulo in medium sit depromptum, Confitebitur Deo & rationẽ reddet Deo. Igitur Christus Deus est, etiam si impij hoc nolint.*

Scio & confido. *Scio & certus sum, siue persuasum habeo: quia nihil est commune, id est, immundũ per seipsum, id est, per se, seu ex natura. 1. Timot. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Aut nihil*

Commune.

nihil est commune & immundum per ipsum nempe Deum, uel per gratiam quæ data est nobis ab ipso Christo. Nihil natura commune est, uerùm ex uoluntate & conscientia utentis fit sibi ipsi commune, non omnibus. Quod enim (ut dictum est Petro Act. 10.) Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Quicquid aut edere aut attrectare Iudæis nõ licebat, commune, id est, immundum dicebant.

Non ergo blasphemetur. *Caue ne tuis his dissensionibus causam præbeas, ut quis detestetur bonum nostrum, id est fidem nostram, religionem & pietatem nostrã Euangelicam. Nam bene quidem doces nihil commune & immundum manifestans, sed contentio tua causam maledicentiæ præbet. Desiste igitur ab accusationibus & dissensione, non enim per cibum aut potum ingredi possumus regnum Dei. Qualia igitur sunt, quæ in regnum introducunt? iustitia, pax, gaudium seu lætitia, hoc est uita uirtutibus conspicua. Pax inquam & lætitia, nõ in turpibus, sed in spiritu sancto, id est, quæ per spiritum sanctum docetur.*

Opus Dei. *Id est fratris salutem, quam Christus sanguine proprio comparauit.*

Tu fidem habes. *Tu in fide firmatus nihil (ut decet) commune & immundum ducis, noli ob hanc uirtutem cristas erigere: Deus te animumq; tuum nouerit, eiq; tantùm placeas.*

Beatus qui non iudicat. *Hæc intellige de propositis escis duntaxat dicì. Beatus est qui seipsum nõ iudicat, seu quem ob promiscuum & indifferentem usum rerum, conscientia non condemnat, in quo explorate scilicet ueritatem cognoscit.*

Qui autem discernit. *Si quis hæsitat inter cibos, liceat ne comedere, & promiscue illis uescitur, is sane eo ipso condemnatus est. Nam quod facit, non est ex fide. id est, contra conscientiam illis uescitur. Reijciamus ergo quicquid non est uerbo Dei suffultum & approbatum: atque quod est contra constantem animi persuasionem ex Dei ueritate conceptam.*

CONCILIATIO.

PAVLVS *constanter hic pronuntiat: Bonum est non manducare carnem & non bibere uinum. Cùm Deuteronomij 12. scribatur, secundum desiderium animæ tuæ occide & manduca omnem carnem.*

SI QVAE *præcedunt & quæ sequuntur, ex locis productis legantur, nihil pugnantiæ offendetur. Cùm dicitur manduca omnem carnem, iuxta uoluptatem quam dedit tibi Dominus, non secundum immoderatam uoracitatem quam non dedit Dominus. sed secundum uoluptatem, aut, ut alij legunt, uoluntatem moderatam, quæ fratri non est offendiculo. Quod autem Apostolus dicit, Bonum est non manducare carnem & non bibere uinum. uide quid præcedit: Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. non prohibet cibum ut immundum, sicut Adimantus Manichæi discipulus existimat, & errantes in errorem præcipitat: sed prohibet Paulus scandalum fratris, ne perdatur. Lege August. parte sexta, libro uno contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 14. fol. 131. a*

DICTIO.

Assumere. ASSVMERE *est adiungere & suscipere in curam salutis, complecti ad fouendum & colendum. Hoc declarat Paulus dicens, Deus enim illum assumpsit.*

Disceptatio. DISCEPTATIO *est disputatio, contentio, & discordia.*

Olus. OLVS, *omnis herba satiua quæ in usu cibario est. dicitur ab alendo: Varro ab olla deducit.*

COMM

Commune.

COMMVNE *tropo Hebraico dicitur impurum, hoc est profanum, & quod coinquinat & contaminat, hoc est quod non sanctificatum uel benedictum uel purificatum est.*

Iudæi & gentes, Deum magnificare debent.

CAP. XV.

Infirmi ferẽdi.

Imbecillitates] infirmitates

DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.

Proximo placendum.

Vnusquisque uestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

Non sibi placuit] nõ suo seruiuit, cõmodo:

Etenim Christus non sibi placuit: sed

Psal. 68. b

sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi, ceciderunt super me.

Scripturarum usus.

Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.

Idipsum sapere, &c.] idem mutuo inter uos sentire,

Deus autem patientiæ & solatij det uobis idipsum sapere in alterutrum, secundum IESVM Christum:

Vos] nos

ut unanimes, uno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri IESV Christi.

1. Corinth. 1. b

Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit uos in honorem Dei.

Christus impleuit promissiones Iudæis factas, gentibus facta misericordia.

Dico enim Christum IESVM ministrum fuisse circũcisionis propter ueritatem Dei, ad cõfirmandas promissiones patrum:

Honorare] glorificent

Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est,

Psal. 17. d
2. Reg. 22. d
Psal. 116. a

Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit, Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum, Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.

Esaiæ 11. 4. c

Et rursus Esaias ait, Erit radix Iesse: & qui exurget regere gentes, in eo gẽtes sperabũt.

Deus autem spei repleat uos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in spe, in uirtute spiritus sancti.

Dilectione,] bonitate,

Certus sum autem fratres mei & ego ipse de uobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.

Non nobis placere. *Hoc loco Placet sibi, qui suo seruit cõmodo, & quod agit ad suum trahit compendium. Quod genus homines Græcis φιλαυτοὶ dicuntur, non tantùm ob arrogantiam, uerum etiam ob priuati commodi studium.*

Sed sicut scriptum est. *Subaudienda est contraria pars, Christus nõ sibi placuit, sed sibi displicuit, supple. hoc est, nõ inseruiut suis commodis, sed nostris cõsuluit, quemadmodum scriptum est, Improperia, &c. Verba sunt filij ad patrem.*

Quæcunq; enim scripta sunt. *Non solùm reddit rationem, cur præsentem Dauidis prophetiam adduxerit, sed etiam cùm iam finiret epistolam, scripturas citarit. Sensus est: Iam iterum induco scripturam, ut & suprà subinde feci, hoc ideo facio fratres*

tres, quòd nihil in omni scriptura est, quod non conferat nobis, si id religiosè exeutiamus, ad id, ut malorum tolerantiores & ad bona alacriores & studiosiores spem in Deo habeamus continuò auctiorem & solidiorem. Patientia enim spem efficit, & spes rursus patientiam & expectationem parit.

Det uobis. *Ostendit quòd cum scripturis & doctrina & consolatione, quæ ex ipsis proueniunt, opus etiam sit oratione, ut Dei nobis auxilium conciliemus, & det nobis idipsum sapere, &c. Hoc est idem mutuò inter nos & unanimiter sentire.*

Dico enim Christum. *Hoc est, quæ hactenus diximus, huc tendunt, ut intelligas Christum autorem esse noui Testamenti, quod primũ administrauit circuncisioni, id est, Iudæis. Non sum (dicebat ille) missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israël. Idq; factum, ut patrem ostenderet esse ueracem, qui illis promiserat per prophetas. Cæterum id uoluit esse commune gentibus, nõ ex promisso, quanquam & de illis erat prædictum, sed ex misericordia, & hoc gratius esse donum, quod non expectantibus obtigisset. Opposuit igitur misericordiam promißis. Nam in illis ius quoddã esse uidetur, hic fauor merus est. Habet enim quod expostulet, cui pollicitus sis, nisi præstiteris: & tamẽ plus affert uoluptatis ac laudis, quod præter omnem spem obuenerit boni. Obserua, Vt gentes agnoscant Dei in se clementiam, uocat misericordiam.*

Ita ut possitis alterutrum. *Quasi dicat: tantũ ualetis scientia & charitate, ut citra admonitionem meam possitis ipsi uos inuicem admonere, si sit opus.*

Audacius] familiarius

Audacius autem scripsi uobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam uos reducens: propter gratiam

Paulus minister gentium.

quę data est mihi à Deo, ut sim minister Christi IESV in gentibus, sanctificans Euangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto.

Sanctificans] administrans

Habeo igitur gloriam in Christo IESV ad Deum.

Gloriã] quod glorier

Ad Deum.] in his quę ad Deũ sunt.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quę per me nõ effecit Christus in obedientiam gentium, uerbo & factis, in uirtute signorum & prodigiorum, in uirtute Spiritus sancti: ita ut ab Hierusalem per circuitũ usq; ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.

Repleuerim] consummauerim quę spectãt ad Euangeliũ

Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est,

Sic autem prædic.] missus sum prædicare

Esaiæ 52.d

Quibus non est annuntiatum de eo, uidebunt: & qui non audierunt de eo, intelligent.

Plurimũ] sæpe

Propter quod & impediebar plurimum uenire ad uos, & prohibitus sum usque adhuc. Nunc uerò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habẽs ueniẽdi ad uos ex multis iam præcedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens uideam uos, & à uobis deducar illhuc, si uobis primùm ex pte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis.

Probauerunt] uisum est Macedoniæ & Achaiæ

Collationem] cõmunicationẽ

Probauerunt enim Macedonia & Achia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. 1.Corinth. 9.b **Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cùm consummauero, & assignauero eis fructum hunc, per uos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quoniam ueniens ad uos, in abundantia benedictionis Euangelij Christi ueniam. Obsecro ergo uos, fratres,** Orationes fratrum petit. **per Dominum nostrum IESVM Christum, & per charitatem Sancti spiritus, ut adiuuetis me in orationibus uestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus**

Obsequij iem, &c.] ministeriũ hoc meũ quod exhibeo, acceptum sit

Refrigerer] refociller

qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, ut ueniam ad uos in gaudio per uoluntatem Dei, ut refrigerer uobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus uobis. Amen.

Audacius.

Audacius autẽ. *Audacius dixit pro familiarius siue liberius: & hoc ex parte, quasi dicas aliquantulum. Admiscuit enim nonnulla liberius dicta de stulta sapientia, de idolis, de immoderata libidine, & ignominia. Proinde dicit se quædã liberius loquutũ, nõ q. illos cõtemneret, sed q. illis fideret, ueluti peculiaris illorum Apostolus. Plus enim audemus apud illos quos familiarius amamus. Videtur in hunc sensum hæc dixisse: Non est opus uobis mea admonitione, cùm ipsi positis inuicẽ id facere: tamen fretus bonitate uestra, non ueritus sum ad uos scribere, commonefaciendi gratia magis quàm docendi.*

Habeo igitur gloriam. *Habeo de quo glorier in Christo apud Deum.*

Ita ut ab Hierusalem. *Laboris pij neminem pigere debet: cùm uideamus Paulum nihil non laboris subijsse, & tam longam peregrinationem Euangelij promulgãdi gratia indefeßè feciße, quam hìc breuibus absoluit, ueluti terminos statuens Hierosolymam & Illyricum. Principiò enim à Damasco in Arabiam profectus (ut ipse de se testatur Galatis) triennio exacto Damascum rediit, ac deinde Hierosolymam appulit, comite Barnaba, studio uidendi Petri. Deinde uerò à Hierosolyma iterum digressus, Cæsaream soluit in Tarsum. Inde porrò à Barnaba reuocatus, uenit Antiochiam, unde ab ecclesia Hierosolymam conferendi subsidij gratia, ablegatus rediit tandem, & protinus ab eadem Spiritus sancti consilio longè in gentes missus, Seleuciam uenit: hinc Cyprum appulit. Ab hac per Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, tandem ad Hierosolymam denuo peruenit. Ab hac iterum ablegatus ab Apostolis, & senioribus, Sila ac Barnaba comitibus, peragrauit Syriam, & Ciliciam: Deinde uerò & Phrygiam, & Galatiam: sed & Phrygiæ partem Mysiam. Peragrata uerò hac, Troadem uenit: atq; hìc per uisionem uocatus in Macedoniam in Europam soluens, pertransijt Atticam, Bœotiam, Achaiam, Epirum, omnesq; regiones. Illas ad Illyricum usque Euangelij prædicatione impleuit. Quis tot Christo Ecclesias colligere posset, nisi Dei uirtute adiutus? Ab Hierusalem (inquit) Euangelium propagari usque in Illyricum, neque id recta uia ad exitũ festinando, sed circumcircà perlustrando, quascunq; in medio regiones.*

Cùm in Hispaniam. *Nihil certi ex sacris literis dici potest, quòd in Hispanias*

Paulus

Paulus profectus fuerit. Sophronius Hierosolymitanus patriarcha scribit, Italias, Gallias, & Hispanias transitu beatissimi Pauli illustratas. Præterea traditur, Philotheum Hispaniarum principem Paulo adhæsisse, & Christi confessorem factum esse.

Probauerunt enim Macedonia & Achaia. *Id est, ex animo approbauerũt facere collationem, id est, communionem siue communicationem de bonis suis, ut pote quæ in communem cedat utilitatem tam præsentis uidelicet quàm accipiẽtis. Pauperes sanctos fideles dicit, qui duplici sunt ratione misericordia complectendi, & quia pauperes, & quia uirtute sunt præditi.*

Hoc igitur cùm consummauero. *Hoc est, ubi perfecero & obsignauero, uel obsignatam hanc collationem reddidero. Sentit enim Paulus se diligenter ac certa fide uelle reddere hoc munus. Quòd omnis pecuniæ tractatio suspecta soleat esse, præsertim Iudæis auaritissimis. Fructum Theophylactus refert nõ ad accepturos, sed ad eos qui contulerant: quasi in beneficijs Christianorum lucrum penes dantem sit, non penes accipientem. Atq; pronomen Eis non refert sanctos, sed Græcos Macedonas, qui fructũ accipiunt, quum sanctis pauperibus eleemosynam largiuntur. In hac pecuniarum obsignatione notatur fides, ac diligentia, quæ in ijs esse debet, qui ecclesiæ præficiuntur bonis. Solet obsignari quod summa fide reddi, ac syncerum esse uolumus.*

In abundantia benedictionis. *Benedictionẽ Paulus aliquoties uocat eleemosynam. Atq; hic uidetur uerecundè significare, ut Romani quoque conferant. Quanquam Chrysostomus mauult hic generaliter accipi, pro omni uirtutum & officiorum genere, propterea quòd additur Euangelij. Aliter. Scio quòd ueniens, eò uenturus sum, ut uos Euangelij benedictione impleam, seu abunde uobis benedicam.*

Et obsequij mei oblatio. *Id est, ut ministerium meum quòd est erga Hierusalem, acceptum sit sanctis. Seu, ut ipsi cum alacritate & gratiarum actione recipiant quæ illis offram.*

Vt refrigerer uobiscum. *Vidén' Paulum omni uacare fastu? Non enim dixit docebo uos, sed refrigerer, seu requiescam, aut refocillabor, uos apud me per doctrinã, & ego apud uos ob fidei uestræ communicationem.*

Deus autem pacis. *Id ubique Apostolo in more est, ut post adhortationem, uotum adijciet & exoptationem.*

DICTIO.

Illyris. ILLYRIS *est lata regio inter Italiam & Germaniam, Thraciam, Macedoniã & Epirum: habens ab uno latere mare Hadriaticum, ab altero Danubiũ. Hæc regio nunc dicitur Sclauonia uel Bosnensis. Vide Volaterra. in 8. Geograph. & Strabonem in 7.*

Collatio. COLLATIO *eleemosyna est collecta.*

PLACERE *sibi dicitur hoc loco qui suo seruit commodo, ut prænotauimus. Interdum omnibus blandiri, etiam si nulli aut paucissimis placeat, Galat. 1. cap.*

Benedictio. BENEDICTIO *in sacris literis sonat profectum & multiplicationem. Genesis 1. Benedixit eis dicens, Crescite & multiplicamini. Nonnunquam benedictiones corporales significant benedictiones illas cœlestes, quibus in Christo benedicimur. Ibi est abundantia, opulentia & plenitudo omnium bonorum. Ergo Benedictio Dei est beneficia Dei: & cùm Dicere sit Deo idem quod facere, sicut scriptum est in Psal. Ipse dixit & facta: sunt sequitur, benedicere est facere. Translatum etiam est ad homines ut Benedictio pro eleemosyna dicatur. Benedictio interior propriè est gratia & iustitia in spiritu sancto.*

Salutat

Salutat Paulus plurimos nominatim. CAP. XVI.

COmmendo autem uobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ, quæ est in Cenchris; ut eã susципiatis in Domino dignè sanctis: & assistatis ei in quocunq; negotio uestri indiguerit: etenim ipsa quoq; astitit multis, & mihi ipsi. Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo IESV (qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ ecclesiæ gentium) & domesticam ecclesiã eorum. Salutate Epenetum dilectum mihi, qui est primitiuus Achaiæ in Christo IESV. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos, & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerũt in Christo. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum, adiutorem nostrum in Christo IESV, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellen probũ in Christo. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam & Thryphosam, quæ laborãt in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electũ in Domino, & matrem eius & meam. Salutate Asyncritum, Phlegontẽ, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos. Salutate inuicẽ in osculo sancto. Salutant uos omnes ecclesię Christi. Rogo autẽ uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinã, quam uos didicistis, faciũt: & declinate ab illis. Huiusce modi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo uentri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia, in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in uobis. Sed uolo uos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Deus autẽ pacis conterat Satanã sub pedibus uestris uelociter. Gratia Domini nostri IESV Christi uobiscum. Salutat uos Timotheus adiutor meus, & Lucius & Iason & Sosipater cognati mei. Saluto uos ego

Domino] Christo

Priſca. Aquila. Act. 18. a

Ecclesiam] Cõgregationem

In nobis.] erga nos.

Nobiles] apostolis,] Insignes inter apostolos,

Probum] Probatum

Domo.] Familiaribus. & infra.

Hermen.] Mercurium,

Philip. 4. d

Præter] Cõtra

Propter uenientẽ prædicantes.

Dulces sermones, & benedictiones] Blandiloquentiã & assentationem

Innocentium.] simplicium. Simplices] Synceros

Velociter.] Breui.

Obedientia. Sapientia. Act. 16. a

ego Tertius,qui scripsit epistolam in Domino.Salutat uos Caius hospes meus & uniuersæ ecclesiæ. Salutat uos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Domini nostri IESV Christi cũ omnibus uobis. Amen.Ei autem qui potens est uos confirmare iuxta Euangelium meũ & prædicationem IESV Christi, secundum reuelationem mysterij, tẽporibus æternis taciti(quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum præceptum æterni Dei ad obeditionem fidei)in cunctis gentibus cogniti,soli sapiẽti Deo per IESVM Christum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Vniuersæ] Totius
Arcarius]quæstor ærarius
Euangelium.
Mysterium. Scripturæ.
Fides.
Cogniti,]Patefacti,

Dignè sanctis. *Id est,ut decet suscipere sanctos.Hanc Phœben dignè suscipiendi duplicem dat occasionem: tum quòd propter Dominum suscipienda sit, tum quia sancta sit.Hîc præterea observa Pauli modestiam qua nemini grauis est. Non dixit, liberate ipsam ab ijs quæ ei imminent,sed assistatis ei:hoc est,quantum in uobis est,conferte,& manum ei porrigite.*

Qui est primitiuus. *Primitiuum ideo dixit, uel quia maiorem quàm reliqui omnes præ se tulerit pietatem pro his quæ sunt Christi. Vel quòd Paulus hunc primũ Achiuorum conuerterit ad Christum.*

Iunia. Et Iuniam. *Magnificiendum est, Apostoli nomen fuisse sortitum & Iuniã,præsertim quæ mulier esset.Præterea maioris æstimandũ & inter nobiles Apostolos dici, & insignes.Andronicus & Iunia cognati dicuntur Pauli, quia nati Iudæi & conca-ptiui, quia odio & insidijs Iudæorum cum Paulo expositi erant.*

Apelles. Apellen probum. *Probũ dicit qui nec criminis potest coargui, nec ulla affectus est nota.Aut hunc probum appellat, quia alter quidã tunc erat Apelles, idem nomen sortitus,moribus deprauatus. Origenes addubitat, num hic sit Apollo Alexandrinus,uir in scripturis eruditus,cuius mentio fit in Actis Apostolorum,cap.18.*

Hermes. Hermen. *Origenes in libris Periarchôn arbitratur hunc Hermen esse autorem libri Apocryphi,cui titulus Pastor: unde frequenter adducit testimonia, & putat scriptum afflatu diuino,quanquam non negat à multis contemni.*

Salutate inuicem. *Ex osculo sancto hos permiscens pares facit,ne maior inferiorem contemnat,uel inferior maiori inuideat,uel ne tristitia afficiatur, cuius nomen non fuerit hîc expressum,osculo hoc sancto mitigante omnia & coæquante.*

Benedictio p adulatione. Benedictiones. *Benedictio hoc loco pro laudatione siue adulatione positum est.Inculcauit enim hîc Paulus idem dictum odio uitij,nempe assentationis. Nouum hîc deceptionis modum profert,quòd nimirum adulatione dolum nectant.*

Vestra enim obedientia. *Illi sua adulatione simplices quidem & innocentes decipiunt: At non uos ut incautos & imprudẽtes inescant & alliciunt,propter uestram obedientiã quæ ad omnes peruasit.Propterea gaudeo in uobis,hoc est uestri gratia afficior lætitia,quia decepti non estis.*

Sed uolo uos sapientes esse. *Simile dictum quod Dominus ait, Estote prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ. Vult Paulus Romanos simplices in malo*

malo,id est,ad mala alijs irroganda nil docti.Simplex enim & integer uita,nemini nocet.Aut si mauis:Prudentia utamini, ut ne ab alijs iniuria uobis inferatur: simplicitate autem,ut ne alijs fallacias machinemini.

Deus autem pacis. *Pacis largitorem inuocat, qui nedum offendicula disseminantes conterat,sed etiam horum præfectum & ducem Satanam cõmolat. Breui id futurum hoc aduerbio Celeriter exprimens, illos consolatur. Conterat & optantis est, & prædicentis futura.*

Tertius. *Tertius legendum est,Non Terentius. Nomen est non ordinis,sed uiri, qui hanc epistolam scripsit Paulo dictante. Magnæ sibi laudi duxit,se esse amanuensem Pauli.* Tertius nomẽ uiri.

Ei autem qui potens est. *Hyperbaton & oratio imperfecta est,cui supplendum est Gratias agamus,aut simile quippiam.Ei autem, scilicet Deo patri gratias agite qui, &c. Mysterij de gentium uocatione æternis temporibus tacti, id est, occulti, &c.Secundum præceptum æterni Dei,id est,secundum quod æternus Deus suo tempore iussit.Ad obediendum fidei,id est, ut per hanc reuelationem fidei obediatur,secũdum reuelationem mysterij olim taciti,nunc uerò in cunctis gentibus per eorum fidem cogniti.Ei inquam soli sapienti agite gratias per IESVM Christum. Cui sit honor & gloria in secula seculorum amen.*

DICTIO.

CENCHREAE *portus & emporiũ, locus ubi merces uẽduntur Corinthiorum.Cæterum cũ plura sint huius nominis loca, nempe in Troade oppidum, atq; aliud itidem in Italia,tamen magis consentaneum Paulum sensisse de Cenchreis statione nauali Corinthiorum.Vide Plinium in 4.cap.4.& 5.& Strabo.in 8.* Cenchreæ.

ORIGENES *putat Priscam eandem esse quam Lucas in Actis cap. 18. Priscillam appellat,cuius maritus erat Aquila,Ponticus genere,Iudæus religione, artifex tabernaculorum,&,ut Origenes interpretatur,sutor.* Prisca.

ARISTOBVLVS *penultima accẽtu acuto,est enim Græcis diphthongus,no men ab optimo consilio dictum.Sic omnia in bulus producunt syllabam bu.* Aristobulus.

ARCARIVS *œconomus,id est dispensator, quæstor ærarij & præfectus, dicitur qui uniuersam domus curam habet.* Arcarius.

COGNATI *propinqui dicuntur, non modo qui carnis necessitudine, sed qui fide & religione sunt iuncti.* Cognati.

In Græcis uoluminibus reperiuntur hæc adiecta uerba,

Scripta est ad Romanos epistola è Corintho per Phœben ministram ecclesiæ Cenchreensis.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIOR AD CORINTHIOS EPISTOLA.

*

STATVS PRIMAE HVIVS EPISTOLAE.

Prior ad Corinthios Epistola tota est admonitoria, corrigens quæ Corinthijs irrepserant uitia, pseudapostolorum uerbosa & inani eloquentia. Nulla est Pauli epistola quæ tam multos eosq; insignes doctrinæ Christianæ locos excutiat quàm hæc prior ad Corinthios.

LOCI INSIGNES HVIVS EPIST.

1 De ratione & facultate agnoscendi Euangelij. Cap. I. & II.
2 De officio ministrorum ecclesiæ. Cap. III. IIII.
3 De excommunicatione. Cap. V.
4 De litibus propter res seculares, deq; fornicatione. Cap. VI.
5 De coniugio, uiduis, & uirginibus. Cap. VII.
6 De Idolothytis & cauendo infirmorum offendiculo, & proprio iure cedendo, ut plurimos Christo adducamus. Cap. VIII. IX.
7 De fugiendo idolorum cultu, de exemplis ac sacris ueterum, de habitu obseruando in cœtu sacro, deq; mysterio Eucharistiæ & probatione facienda ad recipiendum uerum Iesu Christi corpus. Cap. X. XI.
8 De donis spiritus sancti, iustoq; eorum usu. Cap. XII.
9 De natura & proprietate charitatis, & charismatum inter se præcellentia. Cap. XIII. XIIII.
10 De resurrectione mortuorum. Cap. XV.
11 De subsidijs pauperum. Cap. XVI.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS I.

Corinthiorum sectas componit. CAP. I.

PAVLVS uocatus Apostolus IESV Christi, per uoluntatem Dei, & Sosthenes frater ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo IESV, uocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomẽ Domini nostri IESV Christi, in omni loco ipsorum & nostro, gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Gratias ago Deo meo semper pro uobis, in gratia Dei quæ data est uobis in Christo IESV, quòd in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo, & in omni scientia (sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis) ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri IESV Christi, qui & confirmabit uos usque in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri IESV Christi. Fidelis Deus, per quem uocati estis in societatem filij eius IESV Christi Domini nostri. Obsecro autem uos, fratres, per nomen Domini nostri IESV Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Significatum est enim mihi de uobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloës, quòd contentiones sunt inter uos. Hoc autem dico, quòd unusquisq; uestrum dicit, Ego, quidem sum Pauli, ego autem Apollò, ego uerò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

In Christo Iesu] per Christũ Iesum, & infrà.

Inuocare Christum.

Gratia per Christum.

In gratia] de gratia

Sicut] quibus rebus, uel, quẽ admodum

Reuelatio Christi. 1. ad Thess. 5. d

Nihil uobis desit in] nõ destituamini in ullo dono,

Sine crimine,] inculpatos,

Vocatio & fides à Deo.

Idipsum] idem

Schismata] dissidia:

Perfecti in eodem sensu,] integrum corp⁹, eadem mente.

Sectæ inter Corinthios gloriãtes in hominibus nõ in Christo. 10. 15. b

Ab his qui: &c.] à familiaribus

Act. 18. f

Vocatus. *Vocatus nomen est absolutum substantiuum, sicut & paulò inferius, uocatis sanctis. Quemodmodum olim apud Romanos euocati dicebantur qui uelut amici ad bellum accersebantur, & hodie quoque Gallis nonnulli uocantur electi qui proximi sunt Senatoriæ dignitati. Valet autem fermè perinde quasi dicas, uocationis Apostolus, siue uocatione Apostolus, & uocatione sanctis. Vocati non nati sancti, uo-*

Vocatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cati ad ſanctimoniam, ait Ambroſius. Quanquam olim omnes Chriſtiani dicebantur ſancti ad diſcrimen profanorum, atque hic erat titulus profeſſionis.

Per uoluntatem Dei. Hunc honorem non ſuo merito nactus eſt, ſed Dei uoluntate, & beneplacito: nemo enim ſibi aſſumit honorem, ſed qui uocatus eſt à Deo tanquam Aaron. ad Hebræ. 5. cap.

Sosthenes. **Sosthenes.** Sosthenes princeps fuit ſynagogæ, qui cum Paulo coram Gallione comparuit, & à Græcis percuſſus. Act. 18.

Qui inuocant. Pſal. 144. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Alij non inuocant. Pſal. 53. Qui deuorant populum meum ut cibum panis, Deum non inuocauerunt. Non ergo Corinthijs tantùm hæc ſcribitur epiſtola: ſed omnibus etiam, qui inuocant nomen Domini noſtri IESV Chriſti: id eſt, omnibus Chriſti fidelibus.

In omni loco ipſorum & noſtro. Quidam ſic interpretantur, Siue in ſuis locis in quibus agunt, ſiue in his in quibus nos agimus. Beatus Ambroſius uidetur Ipſorum referre ad loca gentium, Noſtro ad Iudæorum. Sic enim ait, id eſt, cum Iudæis ueris iungit & gentes, Quia ſalus ex Iudæis eſt. Ioannis 4. Vt in omni loco ubi gentes quæ inuocãt nomen Domini noſtri IESV Chriſti, & ubi Iudæi ſuprà memorati ſunt, ſimiliter ſint omnes unum. Alij hoc modo, In quouis loco, ſiue ipſorum, ſiue meo, aut & ipſorum & meo. Vt intelligas Paulum omnem locum ducere in quo ſint qui inuocant nomen Domini. Quòd inter Chriſtianos charitas cõmunia faciat omnia. His ſubſcribit Theophylactus indicãs Paulũ obiurgaturũ Corinthios ob coortũ inter illos diſſidium, hac uſum paraſceue & præparatione, quaſi diceret: Si omniũ qui quouis loco credunt Chriſto, una eademq; eſt eccleſia, cur uos eiuſdẽ Reipublicæ ciues inter uos diſſidetis?

Deo meo. Tam uehemens eſt Pauli affectus, ut communem omnium Deum, ſuum hîc faciat.

In gratia. Id eſt, ob gratiam, quæ data eſt uobis in Chriſto, id eſt, per Chriſtum.

Scientia ſine uerbo. **In omni uerbo.** Hoc eſt, Ineſt uobis & intelligendi & eloquẽdi facultas. Eſt aliquando ſciẽtia ſine uerbo. Fieri enim poteſt, ut altiora quis meditatus explicare ea non poßit. Eſt & uerbum ſine ſcientia, utpote cùm quis nullo ſenſu ſuperuacanea narrat.

Sicut teſtimonium Chriſti. Quemadmodum Euangelium ipſum per ſermonem & cognitionem in uobis confirmatum (Etenim quò magis illi abundabant dotibus ſacris, hòc teſtatior reddebatur Euangelij ueritas) argumento eſt uos abundare diuitijs Chriſti, adeò ut non deſtituamini in ullo dono. Particula Vt hoc loco, non notat finem, ſed conſequentiam.

Qui confirmabit. Quaſi diceret: Ego uos nutabundos, & ab alijs circumuentos uideo, ſed ſpe illa magna in Chriſtum moti confirmabimini, imò incriminabiles & inculpatos uos reddet IESVS Chriſtus, cùm in ius uocabimini in die qua ſeparaturus eſt oues ab hœdis.

Fidelis Deus. Id eſt, ueridicus & mentiri neſcius.

Obſecro autem. Obteſtatur hic Paulus Corinthios per nomẽ illud quod omnibus Chriſto initiatis ſacroſanctum eſſe debet, ut idem dicant, id eſt, idem loquantur &
Schiſma. conſentiant, non ſint ſchiſmata, hoc eſt ſectiones, diſſenſiones, diſſidia.

Sitis autem perfecti. Eſtote tanquam unum corpus integrum, in quo nullum eſt membrum mutilum, aut mancum, aut inæquale: ut ſicut integri corporis mẽbra eodem aguntur ſpiritu, ita & uobis mens ſit eadem, ſententia eadem. Senſus hic pro mente non

non pro uiſu, guſtu, aut huiuſmodi accipitur: agitur enim hic de conſenſu. Ambroſius ſenſum refert ad id quod illis fuerat à Paulo traditum, ſententiam ad defenſionẽ. Nam ſententia uocatur ferè quæ profertur ac recitatur, ſenſus apud nos eſt. Subſcribã Ambroſij uerba. Perfectos uult eos eſſe in eodem ſenſu quẽ illis tradiderat, ut non diſcreparent. Ad illorum enim exemplum quos ſuprà laudat, hos prouocat, ut hoc ſentiant ac defendant. Hactenus Ambroſ. Certè palàm pro ſcientia, ſententiam legit Hilarius in Pſal. 132. Theophylactus itidem legit. Senſus. Sententia.

Qui ſunt Chloes. Theophylactus Chloen familiæ Corinthienſis nomen eſſe putat: ut intelligas eius gentis aliquos fuiſſe, qui Paulo ſignificarint de Corinthiorum diſſidio. Non exprimit nomina, qui ſibi Corinthiorum facta renuntiaſſent, ſed domum integram & familiam poſuit, ne teſtes productos, infenſos Corinthijs redderet. Horũ præterea teſtimonium producit, ne quæ objiciuntur, Corinthij negarent.

Ego autem ſum Chriſti. Non ob id eos incuſat quòd ſe aſſerant Chriſti imitatores, ſed quia non omnes itidem fateantur. Salutem enim uni Deo acceptam, baptiſtis ſuis & magiſtris neglecto Chriſto tribuebant. Et id eſt, Chriſtum diuidere.

Gratias ago Deo meo, quòd neminem ueſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Caium: ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Cæterùm, neſcio ſi quem alium ueſtrum baptizauerim. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare: non in ſapientia uerbi, ut non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: ijs autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei uirtus eſt. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi inquiſitor huius ſeculi? Non ne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: Nos autem prędicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem uocatis, Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei uirtutem, & Dei, ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapiẽtius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte enim uocationem ueſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia

Baptizati eſtis.] baptizauerim.

Euacuetur] inanis reddatur

Pereũtibus] incredulis

Iis autem qui, &c.] nobis aũt qui ſalutem cõſequimur,

Virtus] Potentia

Sapiens] philoſophus gẽtilis?

Scriba] Iudæorum doctor?

Inquiſitor] diſputator

Quia] poſtquã Græci ſapientiam] philoſophicas rationes

Stultitiã] quia ridiculum putabant Chriſtum Deum.

Nobiles:] claro genere nati:

Mundi] ſecundum mundum, & infra.

Sapientia mundi reijcitur.

Eſaiæ 19. c
Abd. 1. c

Sapientia Dei.

Quales uocauerit Chriſtus.

elegit Deus,& ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrue ret: ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem uos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapiẽtia,& iustitia,& sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur,in Domino glorietur.

Christus in nobis omnia

Ex ipso]ex eodem.

Non enim misit me. *Euangelij prædicatio, onus grauius est quàm baptismi prouincia. Nam hominis cuiuspiam immutare sententiam, uel à patrijs institutis, quibus diutius inoleuit, diuertere, interdum non sine summo dissuadentis, uitæ discrimine, magni & excelsi animi est. Paratum uerò quempiam & uolentem ad baptismum excipere, cuiquam licet, qui sacerdotio fungitur, ait Theophylactus.*

Non in sapientia uerbi. *Misit me Deus ad euangelizandum, non per orationis ornatum, & eloquentiam sermonis, quæ uobis placet, sicut Iudæis miracula ac prodigia, ut nõ euacuetur crux Christi, id est, ne uacua & inutilis arguatur. Nimirũ obiecissent illi Apostolos persuasione & uerborũ lenocinio auditores ad ueritatis notionem, & nõ eius uirtute quẽ prædicãt, pellicere, quod reuera in blasphemiã cessisset.*

Verbum crucis.

Verbum crucis pereuntibus. *Verbum crucis prædicationẽ designat, qua Christi affixi patibulo nomẽ diuulgabatur. Hæc prædicatio ridicula uidetur pereuntibus, id est, incredulis: Credentibus autem, uirtus ac potentia Dei est. Euãgelium enim uirtus dei est in salutem omni credenti, Roma. 1. cap. Credunt non infirmitatem, sed uirtutem esse crucem: intelligentes, mortem uictam esse in cruce, & uictoriam aduersus mundi tyrannidem, partam.*

Vbi sapiens? *Vbi sapiens, id est, philosophus gentilium, apud quos summa sapiẽtis autoritas erat. Vbinam scriba? Id est, doctor Iudæorũ. Vbi inquisitor huius seculi? Id est, altercãs disputator, qui suis ratiocinationibus & argutijs omnia uult assequi: quiq; omnia permittit opinationibus quibusdã, & inuestigationibus. Horum nemo salutem nobis annuntiauit præter simplices & humiles piscatores, qui erroribus nos exemerunt. Quod interpres uertit Scribam, Cirillus interpretatur grammatistam, grammatices professorem, poëtarumq; prælectorem, & interpretem.*

Nam quia in Dei sap. *Quia Christum ueram Dei sapientiam prædicantem & Apostolos Euangelium Dei annuntiantes, neglexerunt qui mundana sapiunt, per suam sapientiam (quæ rebus externis & inanibus adhæret) Dei notitiã non sunt assequuti: placuit Deo, siue ita Deo uisum est largiri salutem credentibus per eorum prædicationem, qui stulti à mundo & eius asseclis iudicantur.*

Signa quærũt.

Iudæi signa petunt. *Signa petunt, quia non diffidunt potuisse fieri: sed an factum sit quærunt. Viderunt Lazarum suscitatũ, & multa huiusmodi à Christo in testimonium suæ diuinitatis producta: Sed in eum offenderũt, & sua malitia & incredulitate scãdalizati sunt. Græci sapientiam quærũt: Sed cùm prædicatur Euangeliũ, ut partus uirginis: Deus & homo cruci affixus: Hæc & huiusmodi uana & stulta ducũt, dum suæ sapientiæ (quam quærunt) id est, rationi humanæ illa non congruere intelligunt.*

Ipsis autem uocatis. *Omnibus credentibus siue Iudæis siue Græcis Christus agnoscitur esse, & uera sapiẽtia (quia per Christum cognitus est Deus) & Dei uirtus, quia per ipsum facta sunt omnia. Quid igitur quæris Iudæe? Signa? Ecce Christus, Dei est uirtus, quæ signorum est operatrix. Tu uerò Græce, quid inquis? Sapientiam deposcis?*

scis? habes Christum qui patris est sapientia.

Stultum Dei.

Quod stultum est Dei. *Id est, id quod philosophi ridiculum & imbecille putant in Deo & Christo, fortius & sapientius est quàm homines. Crucifixio stulta & insipiens uisa est, hæc tamen hominibus sapientior est. Siquidem constat philosophos frigidis & uanis rebus uacasse, crucem uerò mundo peperisse salutem. Hæc eadem crucifixio imbecilla & impotens incredulis uidetur, sed potẽtior hominibus est, ut quæ mortem destruxerit, Dæmonem uictum & coërcitum reddiderit. Stultitiam & imbecillitatem Dei, uocat prædicationẽ crucis, siue quòd ea res stulta & imbecillis uideretur impijs, siue quòd ad ineffabilem illam Dei sapientiam ac potentiam, hæc quodam modo stulta esset & imbecillis. Vt enim omnes iustitiæ hominum coram Deo sunt ueluti pannus mulieris menstruo fluxu pollutæ: ita uniuersa mortalium sapientia si cõponatur ad incogitabilem illam ac cœlestem sapientiam, stultitia quædam dici possit. Nec est quod abominemur, hunc sermonem stultitiæ Dei, cùm eo sit usus Augustinus epist. 102. Vide adnotatum hunc locum ab Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 13.*

Videte enim uocationem. *Agnoscite & contemplemini qui sunt ad fidem uocati, imò & per quos uocati estis, ad ueram sapientiam. Quia inter fideles non multi sunt sapientes secundum carnẽ: hoc est, pauci sunt qui & philosophiam & sapientiam illam calleant, qua uidebantur ante fidei professionem sapientes, non intulit nullus sapiens, quia Dionysius Areopagita & Antiphatus, & quidam alij sapientes Christum profitebantur, imò quidam potentes & ingenui & nobiles crediderunt.*

Sed quæ stulta sunt. *Qui uidebantur stulti, idiotæ, imbecilli, electi sunt à Deo confundentes Græcos & sapientes illos philosophos. Spectabant enim in foro opificem aliquem longè melius quàm seipsos philosophari, imbecillum & abiectum humiles reddere & mansuetos eos qui & potentatu & diuitijs pollerent.*

Ea quæ non sunt. *Qui nullius uidentur esse momenti, ea quæ non sunt dicit. Quæ sunt uerò, pro illis hic ponit qui alicuius esse autoritatis apparent.*

Qui factus est nobis sapientia. *Quærit Theophylactus: Quare non potius dixit, Qui fecit nos sapientes. Sed factus est nobis sapientia. Nempe ut muneris patefaceret largitatem, ac si inquiat, seipsum nobis largitus est. Cùm sit Christus sapientia nostra, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, nihil est ex nobis quo intumescamus, quo aliquid de nobis iactemus: sed in solo Deo, qui omnia est in nobis, gloriabimur.*

CONCILIATIO.

Prima.

NON SIBI *consentire uidetur in hoc capite Paulus. Nempe quos dixit omni & eloquendi & intelligendi facultate adeò ornatos ut nullo dono destituti essent: paulò post diuisos & inuicem dissentientes arguit.* RESPONDEO. *Cœpit Paulus à cõmendatione perfectorum, ut modestius ægrotorum & imperfectorum uulnera patefaceret, quibus per Christum mederi posset. Et, ut Ambrosius monuit, Apostolus in una plebe duobus scripsit populis, ut increpatio malorum sit, laus uerò bonorum.*

Secunda.

CHRISTVS *quos misit, misit cum hac potestate, quam expressit Matthæi ultimo, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine patris & filij & spiritus sancti. Paulus uerò hic pronuntiat: Non enim misit me Deus baptizare, sed euangelizare.* MISSI *sunt ad utrunq; munus exercendum Apostoli. At quoniam Euangelij prædicatio onus grauius est quàm qui baptistæ solo fungitur munere, Apostoli ueritati Euangelicæ annuntiandæ dabant operã: huic enim negotio plurimum industriæ & laboris Ecclesiastæ requiritur, quod non exigitur in baptistis: propterea quòd per*

Universidad de Deusto
Biblioteca

occupationes illas arduas non licebat Apostolis: discipulis committebatur faciendum, Act.6.cap. Non est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Consyderate ergo fratres, uiros ex uobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Quare sententia Pauli præsens non absolutè negatiua, sed magis per collationem enuntiata est. Neque improbat baptismum, sed id quod præclarius est, uerbum Euangelij præfert.

DICTIO.

Sosthenes. SOSTHENES, Paulo regione frater, & muneris societate collega. Act.18.

Chloe. THEOPHYLACTVS Chloen familiæ Corinthiensis nomen esse putat, ut intelligas eius gentis, aliquos fuisse qui Paulo significarint de Corinthiorum dissidio. Ambigit beatus Ambrosius, homines sint, locus, an fœmina: certè apud Horatium in Odis Chloe fœminæ uocabulum est. Me nunc Cressa Chloe regit, Dulces docta modos, & citharæ sciens.

Stephana. STEPHANA, nomen mulieris, Paulo admodum familiaris & chara, cuius familiam ipse baptizauit.

Inquisitor. INQVISITOR, Græcis est Syzetetes, id est disputator, ad uerbum sonat cõquisitor, atque ita legit Ambrosius.

Prædicatio Pauli non humanæ nititur sapientiæ. CAP. II.

Paulus nõ utitur eloquentia in prædicando.

ET ego cùm uenissem ad uos fratres, ueni non in sublimitate sermonis, aut sapiẽtiæ, annuntians uobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter uos: nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo, fui apud uos, & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus & uirtutis: ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam uerò non huius seculi, neq; principum huius seculi, qui destruũtur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptũ est, Quod oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽderunt, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus, per spiritum suum.

Sublimitate] Eminentia

Persuasibilibus] Persuasorijs Virtutis:] Potentiæ:

Sapientiã Dei prædicat Paulus.

Prædestinauit] Præfinierat

Quod] Quæ

Esaiæ 64.b

Spiritus Dei doctor noster.

Et ego cùm uenissem. *Euangelij discipuli (ait Paulus) insipientes, & ignobiles electi sunt. Quando ad uos concessi, non ueni iuxta eminentiam eloquentiæ, aut sapientiæ humanæ, Dei Christi testimonium, id est, Christi mortem, & resurrectionem pronuntiaturus.*

Non

Non in persuabilibus. *Meus sermo non erat, dicendi arte, apparatu, & argutiolis instructus, sed spiritum sanctum præ se ferebat, & totus spirabat eundem, qui auditorũ corda moueret, & signa quæ uel saxeos homines mollirẽt, operaretur. Quoniam per dæmones quibusdam præstigijs & uirtutes & signa eduntur, statim mentionem spiritus fecit, iudicans ad spiritum facta hæc pertinere. Opponit spiritum & uirtutem sapientiæ hominum, hoc est, persuasioni, & uerborum lenocinio. Hæc persuasio post Rhetorum ornamenta nihil habet: at sermo ueritatis uegetus est, uiuax, potens, adeoq; hominum pectora transformans. Rhetorum persuasio breui aures demulcet auditorum: sed uerbum Dei manet, aculeum figit, tenet, & transmutat.*

In sapientia hominum. *Hominum sapientia, uocatur à Paulo eloquentia, & uis persuadendi.*

Sapientiam autem loquimur. *Id est, inter eos qui crucem Christi uirtutis testimonio sapientiam fatentur. Hi enim sapientes (ait Ambrosius) & perfecti sunt, qui fidem magis uerbis habent, quàm rebus.*

Non huius seculi. *Id est, humanam cum hoc seculo euanituram. Principum huius seculi, id est oratorum & Philosophorum, qui olim in republica regnabant.*

Sed loquimur Dei sapientiam. *Quasi dicat: Loquimur non inter quoslibet, ne rosas obijciamus porcis, sed inter perfectos. Neque quamlibet sapientiam, quam alij philosophi publicè profitentur, sed arcanam illam, & reconditam in secreto sacratissimo diuini consilij, creaturæ non cõmunicatam, sed quibus placuit, reuelatam. Hæc sapientia de mysterio incarnationis uerbi Dei est, cuius uirtute adducendi sunt ad æternam gloriam filij adoptionis.* Dei sapientia.

Quam prædestinauit. *Id est, præfiniuit Deus sapientiam illã arcanam in gloriam nostram: hoc est, ut nos per Christum assereret, & in numerum filiorum Dei adoptaret. Hac gratia nihil melius in orbe nobis contingere potest. Hæc ergo sapiẽtia non est noua, sed ante secula prædefinita, & tandẽ declarata est Iudex et dux gloriæ nostræ.*

Quam nemo. *Seculi huius principes intellige (ait Chrysostomus) Herodem & Pilatum: quibus eiusmodi mysterium fuit incognitum: quinetiam uel Ipsos Iudæorum pontifices, qui pari ignorantia tenebantur. Sicut in Actis ait Petrus, Scio quòd per ignorantiam feci stis, sicut & principes uestri. Beatus Ambrosius interpretatur de dæmonibus, qui mortem Christi procurarunt. De utrisq; potest intelligi hic locus.* Principes seculi. Act.3.c

Si enim cognouissent. *Si mysterium & incarnationis uerbi Dei, & nostræ redemptionis cognouissent, futurum item crucis splendorem, futuramq; ex ea salutem. Vel si pontifices ipsi, suam urbem præuidissent cõcessuram aliquando Romanis in prædam, seq; item in seruitutem ituros, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Spiritus enim omnia scrutatur: etiã profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem, non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sctamus, quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis: sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia cõparantes. Animalis autem homo, non percipit ea quæ sunt

A Deo] a Christo

In doctis humanę sapiẽtię uerbis: sed in doctrina] Vel, sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet

1. Petri 1.c

b 5 spiritus

spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur, sicut scriptum est, Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Examinatur] Dijudicatur. Iudicat] Dijudicat. Instruxit eũ?] cõsiliũ dedit ei? Sensum] Mẽtẽ Habemus.] Tenemus.

Esaiæ 40.d Sapien.9.c Rom.11.d

Spiritus mũdi.

Spiritum huius mundi. *Mundi spiritũ, humanã sapientiã uocat Apostolus.*

Quæ loquimur non in. *Vult Paulus intelligamus sermonem Apostolorum non constare doctrina humana, sed afflatu diuino. Non enim loquebatur in uerbis quæ doceant humanam sapientiam, sed quæ doceant spiritum Dei.*

Spiritualibus spiritualia comparantes. *Componentes & conferentes spirituale ad spirituale, non indigemus humana sapientia. Quòd si controuertitur de aliquo spirituali, statim conferamus ad aliud spirituale: & testimonia à spiritualibus adducamus, & dubia soluemus.*

Animalis homo.

Animalis homo. *Animalis homo, est qui affectus sequitur humanos, putatq; nullo sibi opus esse præsidio diuino: Quia omnia uult assequi & cognoscere ratione humana & naturali. Stulta omnia existimat quæ sunt spiritus.*

Quod spiritualiter examinatur. *Id est, per fidem & spiritũ demõstratur.*

Spiritualis homo. *Spiritualis scrutatur & iudicat omnia, quæ ad salutem faciunt, & ipse à nemine de sua doctrina interrogatur & discutitur: non à fidelibus, quia ab eis non diſsidet, neq; ab incredulis, quia illorum interrogatione & examine superior est. Aut quì fieri potest ut incredulus & infidelis de his iudicet, quæ ignorat? Nemo enim bonus iudex est eorum quæ non bene norit.*

CONCILIATIO.

PVGNANT *inuicem hi loci: Si cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Matth.21. Agricolæ uidentes filium, dixerunt intra se, hic est hæres, uenite occidamus eum.* NON PLANE *cognouerunt illum Deum, suamalitia & inuidia obtenebrati. Aut, ut docet glossa ex Ambrosio: Sciebant principes Iudæorum eum esse qui promissus erat in lege, mysterium tamen incarnationis uerbi Dei & redemptionis humanæ ignorabant.*

DICTIO.

Principes.

PRINCIPES *in scripturis dicuntur magni, potentes, duces & sapientes. Psalm.32. Reprobat consilia principum. Quod hic exprimit Paulus, cùm ait: Sapientiam Dei nemo principum huius seculi cognouit. Et Psalmi. 118. Principes persequuti sunt me gratis, id est, iudices, reges, seniores plebis, doctores & honorati propter sapientiam. Sic enim scriptura uocat primarios uiros & apud homines honoratos. Psal.118. Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur. Hos scriptura uocat cedros Libani. Psalm.28. Superbos. Esaiæ 2. capi. Psalm.109. Coagulatos montes.*

Cedri libani.

Princeps seculi

Psal.67. Tauros pingues. Tauros Basan, Principes Edom, Robustos Moab, & huiusmodi quæ passim in sacris reperiuntur. Princeps huius seculi dicitur in sacris ipse Satan, qui est spiritus operans in filijs diffidentiæ. De hoc mentionem facit Paulus, 2. Corinth.4. Ephes.2. & Coloss.3.

Carnal

Carnales adhuc Corinthij: & quisq; iuxta opera sua remunerabitur. CAP. III.

Quasi] Loquẽdum fuit ut

ET ego, fratres, non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac uobis potum dedi, non escam: nondum Lac.

Zelus] Vel, æmulatio Cõtẽtio,] Vel, factiones,

enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cùm enim sit inter uos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secũdum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid uerò Paulus? ministri eius cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisque autem uideat quo modo superædificet.

Sectas insectat Paulus.

Homines] Carnales

Quid] quis Ministri] nisi ministri

Ministri.

Vnicuiq; sicut] ut cuiq;

Psal. 61.d Galat.6.b

Adiutores] cooperarij,

Agricolatio. Aedificatio. Dei.

Lac uobis potum. *Id est, simpliciorem quandam doctrinam: non escam seu solidum cibum, id est, altiora mysteria fidei. Quamobrem? Quoniam nondum poteratis. Habes ex hoc loco non passim quoslibet ad sacrarum literarum tum lectionem tum interpretationem admittendos, docente Esaia, cap. 28. Quem docebit dominus scientiam, & quem faciet intelligere auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus.*

Lac potum dare.

Non passim sacra omnibus tradenda.

Et secundum hominem. *Id est, secundum carnem. Frequenti tropo scripturæ Homo pro carnali & animali accipitur. Hoc indicat quod paulò pòst sequitur: Nonne homines estis, id est, carnales.*

Homo caro.

Cùm enim quis dicat. *Docet Deo cõtumeliã inferri, quum administratis spiritualibus, non Deo sed hominibus gloria exhibetur, quemadmodũ gloriãtes in Deo, & de ipso omnem gratiam sperantes, dij dicuntur & à Deo adoptati: ita & in homine gloriãtes, homines & carnales sunt sententia Dei concluſi. Psal.81. Ego dixi dij estis, uos autem sicut homines moriemini. Et quia Paulus & Apollos ministri sunt cuius donum est, spes in illis non est præfigenda, sed in Domino Deo bonorum omnium autore.*

Et unicuiq; sicut Dominus. *Non omnibus æqua est ministrandi facultas in Christi ecclesia: sed sicut uoluit & sciuit, diuisit singulis officia ministerij.*

Itaq; neq; qui plantat. *Ex se nihil est homo siue plantans, id est, euangelizãs, siue rigans, id est baptizãs, ait Ambrosius. Plantata enim solẽt emori, & rigata ad effectum fœcunditatis minimè peruenire, nisi det Deus uegetam uitam. Quantum autem ad ministerium pertinet, necessarius est homo, ut honorificetur Deus in ordinatis ad se.*

Vnum sunt. *Id est, sunt in unum. Vterque in unum & eundem finem tendit.*

Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aut, Vnum sunt, id est, idem sunt, & nullius discriminis, quantum ad hoc quòd uterque alienum agit negotium, neuter suum, ut ab his uelut autoribus debeant Corinthij sibi cognomentum asciscere, & factionibus inter se dissidere.

Dei adiutores. **Dei sumus adiutores.** *Id est, cooperarij, ait Augustinus. Aut operis participes, ait Ambrosius, quos cõstat Dei esse adiutores, dum uicarij sunt Christi. 2. Corin. 5.*

Vt sapiens architectus. *Id est, ut doctus & scitus princeps & autor fabricæ fundamentũ posui, id est, Christum saluatorem, & nostræ salutis autorem prædicaui. Et hoc est scitè, & doctè iacere fundamentum, in quo iaciendo, summum est negotium.*

Fundamentum ecclesiæ. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus IESVS. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit: mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Si quis autem templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis uos. Nemo se seducat: Si quis uidetur inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim, Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum, Deus nouit cogitationes sapientium, quoniam uanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim uestra sunt: siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mũdus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim uestra sunt: uos autem Christi, Christus autem Dei.

Quia in igne reuelabit,] qđ in igne reuelatur,

Arserit,] exustum fuerit.

Quasi] tanquã

Infra 6. d 2. Corinth. 6. c

Iob 5. c

Psal. 93. b

Matth. 7. c

Præter id quod positum. *Nemo potest ponere aliud fundamentum. Quia quamuis hæretici sint aliqui, non tamen docent, nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta erroris commendare non possunt, nisi interposito saluatoris nomine prædicent, ut res contrarias & absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles. Hactenus Ambrosius. Propterea hortatur Christus in Euangelio dicens, Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum.*

Aurum, argentum. *Aurum, argentum, & lapides pretiosi, ad piorum opera: Lignum, fœnum, & stipula ad improba facta pertinent, ut autor est Hieronymus, libro primo aduersus Iouinianum. Tribus enim duraturis in igni, tria opposuit peritura, si ignis inciderit.*

Vniusc

Vniuscuiusq; opus. *Manifestum fiet uniuscuiusq; opus, siue aurum, &c. Siue lignum, &c. Quando? Dies iudicij diuini siue generalis, siue singularis (quod fit statim exhalata anima) index erit omnium operum. Quia in igne, id est, in stricto, & exacto diuini iudicij examine, manifestabitur. Hoc autem significat hoc loco ignis, non tormentum, aut flammam, sed ipsum examen iudicij. Quia & aurum & argentum & lapides pretiosos igne probandos constanter affirmat. Hæc autem neque igne corporeo, neque ullo tormento probabuntur. Ad hanc sententiam facit quod sequitur.*

Iudicium particulare.

Ignis.

Et uniuscuiusq; opus. *Vide nullum discrimen huc afferri inter aurum, argentum, &c. & lignum, &c. ad id quod igne sunt probanda: sed omnia ignis probabit, id est, iudicium diuinum omnia exactè examinabit.*

Si cuius opus manserit. *Id est, si cuius opus manet in eo igne, siue iudicio, illæsum & commendatum, mercedem accipiet, supple, is qui illud superedificauit.*

Si cuius opus arserit. *Id est, si cuius opus comburitur, seu ab illo igni & iudicio dignum reprehensione dicitur.*

Detrimentum patietur. *Id est, reuera ipsum opus repelletur, tanquam combustioni aptum. Hoc intelligendum de peccatis minutis & uenialibus, seu operibus leuitate quadam actis, ut indicant sequentia.*

Ipse autem saluus erit. *Quia hæc leuia & minuta mala est operatus, non damnabitur, sed saluus fiet. Quomodo?*

Sic tamen quasi per ignem. *Id est, per aliquã pœnam (qualis qualis illa fuerit) purgatoriã post hanc uitam. Quod dico post hanc uitam, id argumẽto est, quòd Paulus hic loquitur de tempore illius diei, quo manifestabitur uniuscuiusque opus. Dies ille post hanc uitam, & non ante, erit. Atq; ignis exactum iudicium diuinum, & quod ex eo sequitur siue cõmendatio, siue combustio fuerit, post hanc uitam significat. Subscribam uerba Ambrosij in hunc locum. Ideo autem dixit, Sic tamen quasi per ignem, ut salus hæc, non sine pœna sit, Quia non dixit, Saluus erit per ignem, ut merito suo ab igni nõ cõbustus saluus fiat, examinatus per ignem. Sed cùm dicit: Sic tamen quasi per ignem, ostendit saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurũ, ut per ignem purgatus fiat saluus: & nõ, sicut perfidi, æterno igne in perpetuũ torqueatur. Hactenus Ambrosius. Beatus Augustinus, sermone de sanctis, de peccatis uenialibus loquens, Quicquid (ait) de istis peccatis, à nobis redemptũ nõ fuerit, illo igne purgandũ est, de quo, inquit Apostolus, Quia in igne purgabitur. Theodoritus in hunc locũ scribens ait, Hunc ignẽ credimus esse purgatorium, in quo animæ tanquam in conflatorio purgantur.*

Purgatorium.

Ignis.

Ambrosius.

Sapientia enim huius mundi. *Stultum iudicat mundus, quod ratione naturali non assequitur. Quæ autem Deus operatur, imò & alta illa incarnationis, & redemptionis mysteria, supra naturam sunt. Propterea mundus hæc stulta existimat. Ita & quæ mundus suis rationibus assequi uult, stulta sunt apud Deum. Quæ enim diuinitus inspirata sunt, non ueniunt humana ratione metienda.*

Stultũ mundo.

Omnia enim uestra sunt. *Ac si diceret: Quia omnia siue Paulus, siue Apollos, siue uita, siue mors, &c. Ordinata sunt ad uestram salutem, non est uobis gloriandum in illis, sed Christo, per quem omnia quæ ad salutem faciunt consequuti estis. Qui caput uestrum, & Deus uester est. Ideo non gloriamini in solo homine, sed Deo & homine, sicut & ipse Christus gloriatur se habere patrem Deum.*

CONCILIATIO.

FVNDAMENTVM. *Hoc loco Paulus Christum constanter affirmat. Cum*

Ephes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephes.2.& Apocal.21.Apostoli,& prophetæ,fundamenta dicantur. CERTE *non est aliud fundamentum,in quo posimus stabiliter superædificare, quàm ipse Christus. Quem nobis prænuntiantes prophetæ,& annuntiãtes Apostoli,tanquam fundamentum iecerunt,ut fidem in Christum habentes templum Dei diceremur. Ministri sunt huius fundamenti, non autem fundamentum ipsi Apostoli.Christus fundamentum est Apostolorum,non Apostoli fundamentum Christi.*

DICTIO.

APOLLOS *nominatiuus est,cuius genitiuus est Apollo.*

Incrementum. INCREMENTVM *Græcis est Epidosis seu Auxesis. Quintilianus: Quatuor tamen maximè generibus uideo constare amplificationem,Incremento, comparatione,ratiocinatione,congerie. Incrementum est potentißimum, cùm magna etiam uidentur,quæ inferiora sunt:*

Architectus. ARCHITECTVS *qui artis fabricæ peritus,ædificiorum structuris præest.*

Cõprehendere. COMPREHENDERE, *est fugientem è cursu reprehendere, manúq; iniecta capere.*

Nemo iuxta exteriorem hominem iudicandus. CAP. IIII.

Ministri. SIc nos exístímet homo, ut miníſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quęritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inueniatur. Mihi au-
2.Corinth.6.a tem pro minimo eſt,ut à uobis iudicer,aut ab humano
Iudicare. die; ſed neque meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare: quoadusque ueniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in me, & Apollo, propter uos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, unus aduerſus alterum inflетur pro alio. Quis enim te
Omnia accepta à Deo. diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?
Ingrati Corinthij. Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis:& utinam regnetis, ut & nos uobiſcum regne-
Pericula apoſtolorũ in prædicando Euangelio. mus. Puto enim quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, uos autem prudentes in Chriſto:nos infirmi,uos autem fortes:uos nobiles,nos autem ignobiles.

Hic iam quęritur inter diſpẽſatores] Quod ſupereſt autem, illud requiriſ in diſpenſatoribus

Die:] uel,iudicio:

Illuminabit] illuſtraturus eſt

Supra quam, &c.] qd ſupra id quod ſcriptũ eſt ſentiretis, ſubaudi,de uobis,ut ne hic illius, ille huius nomine inflemini alius aduerſus alium.

Regnatis] regnum adepti eſtis:

In Chriſto] per Chriſtum:

Infirmi,] imbecilles:

Nobiles,] clari,

Ignobiles.] cõtempti.

Sic nos exiſtimet. *Apostoli pastores & doctores quidem sumus non domini,sed ministri* IESV *Christi,& dispensatores seu œconomi mysteriorum & arcanorum*

norum Dei.Per mysteria aliud nihil intellexit,quàm Euangelium Christi:id quod notum est ex ultimo cap.ad Rom.& 3.ad Ephes.

Hic iam quæritur. *Quasi dicat, quid autem supereſt,requiritur: Quis inter dispensatores fidelis inuenitur? Nam fides in œconomo potißimum spectari solet, autoritas penes dominum est.hi administrant quidem, sed rem alienam, & rationem reddituri,ne quæ domini sunt,sua faciant.Huc pertinet, quod Luc.12.scribitur, Quis putas est fidelis dispensator.*

Mihi pro minimo est. *Perinde est,ac si diceret,Nihili facio, neq; tantillũ me mouet à uobis,hoc est,uestro iudicio,alijs præferri, & haberi in lucem, fãmã ac nominis celebritatem. Vocat autem hunc diem humanum, qui ab hominibus ueniat,& cum hominibus transeat.ac si dicat,humana homines quærant, nos Christi ministri sumus, & dispensatores mysteriorum Dei. Quare item probari nos oportet à Deo & Domino* IESV *Christo,cuius diem & iudicium expectamus.A' mundo autem nos prædicari & extolli nobis pro nihilo est.Eleganti figura metaplepsi diem uocat iudicium.*

Sed neq; meipsum iudico. *Ego qui conscientiam meam optimè noui, nihil me esse iudico. Aut neque meipsum dijudico, neque conscientia mea arguit aut condemnat me.*

Nihil mihi conscius sum. *Quia nullius mihi culpæ sum conscius: non propterea sit ex hoc me fidelem dispensatorem iudicem.Fieri enim potest aliqua in me esse peccata quæ me lateant,& à proximo cognita offendiculo essent, si ministrum me exhiberem. Paulus non hic ágit de iustificatione & peccatorum remißione, sed fideli dispensatione Euangelij,& iudicio in proximum. Vide infrà secũdam conciliationem in ultimum caput 2.ad Timotheum.*

Qui autem iudicat me. *Cùm uestra iudicia nihili faciam, meo item non utar iudicio,quam fidelis sim dispensator,sit propterea diuino reseruer iudicio.*

Nolite ante tempus iudicare. *Prohibet Paulus temerariũ iudiciũ. Tempus iudicandi non est ante certam rei cognitionem. Iudicare est de aliquo sententiam ferre siue in bonum siue in malum.*

Iudicium temerarium fugiendum.

Iudicare.

Laus erit unicuiq;. *Non à iudicio humano minister fidelis, sed à diuino commendabitur.*

Transfiguraui. *Cùm audirem contentiones inter uos esse de doctorum uestrorum prælatione,Transfiguraui,hoc est,pseudapostolorum personã in nos duos,id est, in me,& Apollo transtuli,& sub persona nostra de malis dispensatoribus loquuti sumus,ne quos offenderemus,ut gloriationem uestram, ac uestrorum pseudapostolorum extinguerem.*

Vt discatis in nobis. *Hæc ideo pronuntiauimus,ut ex nostræ personæ figura nil ultra quàm quod in sacris literis scriptum est,sapere discatis.Edisserit enim scriptura & superbiam interdicit in hunc modum Matth.18. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus iste,hic est maior in regno cœlorum.Lucæ 14. Omnis qui se exaltat humiliabitur,& qui se humiliat exaltabitur.& alia huiusmodi multa.Nolite igitur contendere,sectas facientes præceptorum & scißiones, quibus alterum alteri præferatis, ne inflemini inuicem, sed idem sentite, ad quod sacræ & non præceptorum uestrorum humanæ literæ uos hortantur.Quòd autem iudicandum non sit quod ignores, nolite (dicebat Christus)iudicare & non iudicabimini.*

Matth.7.a

Quis enim te discernit. *Cùm intelligas iudicium humanum falli, consydera apud*

apud te, Quis te commendat, & præstantiorem facit, an num homo? fallitur. Cõueniamus, & concedatur tibi aliquid laudis, id nõ tuum, sed Dei dono concessum. Si itaq; accepisti, quid iactabundus intumescis, quasi id proprio labore pepereris?

Iam saturati estis. Verba sunt ægreferentis. Ac si dicat, Tam citò oppleti estis, ut nullius opera indigeatis? Ad tantam perfectionem euasistis, ut omnes cùm diuinæ intelligentiæ tum donorũ opes nacti estis: hanc perfectionẽ futuro seculo seruatam, uos, ut uidere uideor, in hac uita iam cõsequuti estis, quod perspicuũ facit uestra iactantia.

Sine nobis regnatis. Iactabundi gloriamini iam uos in omni bono diuino excellere. horum tamẽ nil in nobis placet, qui tantum laboris insumpsimus, ut solũ in Deo gloriaremini. Et utinam illo bono diuino iam excelleretis, hoc est, regnaretis, & beatitatem assequuti essetis, ut & nos uobiscum illa frueremur & regnaremus.

Puto enim quòd Deus. Si uestram & gloriã & iactantiam spectare licet, iam non erunt oculi ad nos demittendi. Ad nos inquam abiectissimos reos & sontes, ad mortem addictos & destinatos. ueluti enim bestiæ in theatro & caueis damnati circumagimur, exponimurq; iniurijs, & fabula sumus mundo. has pœnas luimus non in abdito loco, sed ubiq; terrarum. Spectantq; nos tormentis uarijs afflictatos, non solùm homines, sed etiam ipsi angeli, neq; nobis cũ hominibus solùm est colluctatio, quinetiã est cum iniquorum angelorum potentia decertandum.

Nos stulti propter Christum. Ironia est. Stulti uidemur gentibus prædicantes Christũ Deum esse & hominem. Vos uerò prudentes in Christo, quia Christũ existimatis uos consequuturos sapiẽtia uestra, quæ cum nostra sapiẽtia pugnat. Agnoscite ergo uos uestra opinione falli.

Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus, operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus: persequutionẽ patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usq; adhuc. Non ut confundam uos, hæc scribo: sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo IESV per Euangelium ego uos genui. Rogo ergo uos, imitatores mei estote: sicut & ego Christi. Ideo misi ad uos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui uos commonefaciet uias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut ubiq; in omni ecclesia doceo. Tanquam non uenturus sim ad uos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad uos citò, si Dominus uoluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed uirtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in uirtute. Quid uultis? in uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?

Instabiles] Incertis uagamur sedibus

Laborat manibus Paulus. Act. 20 g 1. ad Thes. 2. b 2. ad Thess. 3. b

Peripsema] Rejectamentum Vsque adhuc.] Vsq; in præsentem diem.

Correptionis modus.

Decem millia] uel, innumeros pædagogos

Imitatores.

Rogo] Adhortor

Commonefaciet] Vobis in memoriam reducet

Cognoscã] Approbabo

Instabiles sumus. Hæc in opulentos qui otiarentur dicta sunt, hoc est, incertis uagamur sedibus. Non habemus hìc, sicut nec Christus, in quo caput reclinemus.

Tanquam purgamenta. Infideles nõ pluris faciebãt Apostolos & Christianos quàm sordes mundi, existimantes Deũ offensum mundo, Christianorũ interneccione placari, mundumq; ipsum tanquam purgamento immunditijs & excremẽtis purgari.

Omnium peripsema facti sumus usq; adhuc. Id est, usque in præsentem diem pro abiectissimis hominibus habiti sumus. Metaphoricè hæc dicta sunt pro homine abiectissimo. Est omnino peripsema apud Græcos quiddam tale, quale apud nos, nauci, quisquiliæ & sterquilinium.

Et si decem millia. Habete me in patrem, cæteros uerò in pædogogos habetis, quorũ amor longè abest à meo in uos. Ego uos genui in Christo per Euangeliũ, nõ illi uos. Obedite igitur patri uestræ salutis studiosissimo, qui uel uitã ipsam uestra causa & gratia, si necesse sit, lubens impensurus est. Decẽ millia posuit pro maximo numero.

CONCILIATIO.

LOCVS Prouerbiorum 13. Iustus manducans repleuit animam suam, animæ autem impiorum in egestate sunt: pugnat cum hoc Pauli dicto, Vsq; ad hanc horã & esurimus & sitimus. RESPONDENDVM, Iustus uerbo Dei nutritur, cui nihil commune habet impius & iniustus. Hoc loco nõ de pane illo cœlesti loquitur Paulus, sed de corporeo quo uescimur & nutrimur.

DICTIO.

DIES humanus, tropo scripturæ iudicium humanum significat & laudem, quo scilicet homines extollunt & reddunt illustres & nobiles de quibus bene senserint. Sic Hieremias de humano die loquitur cap. 17. b. Diẽ hominis non desideraui, tu scis. Quasi diceret, impingunt quòd noua prædicem nominis & laudis desyderio, & celebritatis apud homines. Sed tu scis aliter habere, & humanum hunc diem me nũquam apud homines quæsisse. Eodem sensu dictum est à Christo Ioan. 5. Claritatẽ ab hominibus non accipio, id est, nõ quæro ut homines magni me habeant & celebrent, seu nõ quæro gloriam humanam. Eodem cap. de Ioanne dicebat, Vos autem uoluistis ad horam exultare in luce eius, id est, quæ fuistis Ioannis testimonio illustrari & reddi nobiles, quò breui huius uitæ tempore (quæ horæ similis est) apud homines alicuius nominis & celebritatis fuissetis habiti, id erat uestrum studium erga Ioannem.

Dies humanus

PERIPSEMA penultima longa, Laurentius Valla, puluerem uestigiorũ dicit uult. Græca scholia dicunt peripsema esse reticulum, quo sudantes se abstergũt. Alij soleæ suppactum corium. Alij puluerẽ quẽ calcamus. Alij quod abijcitur in mare quò nauis sit incolumis. Videtur peripsema omnino apud Græcos quiddã esse tale, quale apud nos est nauci, quisquiliæ & sterquiliniũ. Beatus Amb. lustramẽta & purgamẽta uocat.

Peripsema.

PAEDAGOGVS est seruus cui patres liberorũ moderandorũ curã mãdant.

Pædagogus.

OSTENDO hoc cap. pro facio. Apostolos ostendit nouissimos, sicut & 2. ad Timoth. ultimo. Alexander ærarius multa mihi mala ostendit, id est, fecit.

Ostendere pro facere.

Fornicator Satanæ traditur, & qui excommunicandi.

CAP. V.

OMnino auditur inter uos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorẽ patris sui aliquis habeat. Et uos inflati estis: & non magis

Fornicarius excõmunicatur.

gis luctum habuistis,ut tollatur de medio uestrum,qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens
Colos.2.a autẽ spiritu,iam iudicaui, ut præsens,eum qui sic operatus est,in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis uobis & meo spiritu,cum uirtute Domini nostri IESV, tradere huiusmodi hominem Satanę in interitum carnis,ut spiritus saluus sit, in die Domini nostri IESV Christi. Non est bona gloriatio uestra. Nescitis, quia modicum fermentum, totam massam corrumpit? Expurgate uetus fermentũ,ut sitis noua conspersio,sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaq; epulemur non in fermento ueteri,neq; in fermẽto malitiæ,& nequitiæ,sed in azymis syncerit atis & ueritatis. Scripsi uobis in epistola, Ne commisceamini fornicarijs. Non utiq; fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi uobis,nõ commisceri:si is qui frater nominatur inter uos,est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens,aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt uos iudicatis? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit. Auferte malum ex uobisipsis.

Fermẽtũ abijciendum.

Galat.5.b

Pascha nostrũ Christus.

Qui excommunicandi.

Massam corrũpit?] Vel cõspersionem fermentat?

Azymi.] Infermentati.

Epulemur] Festũ celebremus

Azymis syncerit atis &] Panibus fermẽto carẽtibus, hoc est, syncerit ate & ueritate.

Non utiq;] Ac non omnino

Mihi] Ad me attinet

Auferte malũ] etiam auferte istũ,q; malus est

Omnino auditur. *Quare superiora minatus est, ostendit. In ecclesia cui præesse uidemini,auditur incestuosus. Omnes id uidetis scelus, testibus nõ est opus, nulla tergiuersatione tegi potest. Et si unius sit crimen, omnibus tamen uobis imputatur, quòd omni studio corrigere hunc non adnitamini. Videtur Paulus significare hunc apud illos sapientem habitum,cuius doctrina inflarentur & superbirent. Propterea ait, Vos inflati estis. quasi dicat, Vos gloriamini in illo super quem flendum & lugendum est, quòd tam miseram,& scelestam uitam uiuat.*

Spiritu præsens.

Præsens spiritu. *Autoritate & spiritu se præsentẽ dicit, ne ex solo auditu absentem damnasse putaretur. hunc in modum pronũtiabat Elisæus 4.Reg.5. Non ne spiritus meus tecum erat in uia?*

Modus pronũciandæ sententiæ.

Congregatis uobis. *Congregatos dicens in nomine IESV, id est, diuino & non humano instinctu, animaduertẽdi gratia in flagitiosum, modum pronuntiãdæ sentẽtiæ docet. Per uirtutẽ, scilicet IESV Christi (qui congregatis adsistit) tradere huiusmodi hominẽ Satanæ. Huic sententiæ se præsentem spiritu dicit Paulus, ut confidentius illam pronuntiarent. Beatus Ambrosius hanc congregationẽ seu cõcilium ex tribus constare scribit, ex Pauli decreto, consensu multitudinis, & autoritate Christi.*

In interitum carnis. *Vt Satanas scilicet hũc morbo maceret. Nã cùm ex corpore, ait Theophylac. luxuriæ cõcupiscentia desluat, debet hoc sanè supplicijs affici, ut saluus*

ut saluus sit spiritus, hoc est, at anima ipsa saluetur, aut ut gratia Dei illi integra seruetur. Præscribit hic Paulus diabolo terminos, quales illi & Deus in Iob præfiniuit, ut corpus duntaxat, anima inoffensa, contingeret. Agnosce ex hoc loco, quòd in primitiua ecclesia, potestas erat sanctis hominibus in peccatorum animaduersionem, dæmonia in rebelles immittendi, sicut & expellendi, quæ corporaliter eos in pœnam contumaciæ afficerent. Qui excommunicatur, & è consortio ecclesiæ expellitur, cùm nõ sit IESV Christi, traditur Satanæ, ut accipiendi illum corporaliter habeat potestatem, quoad ductus fuerit pœnitentia.

Potestas excõmunicandi.

Nescitis quia modicum ferm. *Superbiam & supinam Corinthiorum negligentiam accusat, ac si dicat: Dum gloriamini tantùm malum non tollitis: Cauete, ne hæc faba in uos cudatur. Elegantem similitudinem ex 12.cap. Exodi tractam subiungit cum emphasi in hoc uerbo, Modicum fermentum. Vt modicum fermenti si massæ addatur tota fermentatur, & statim acida fit massa: ita unius mali conscelerat iq; hominis exemplum totam mox contagione inficit ecclesiam.*

Expurgate uetus. *Ad puritatem uitæ, & abnegationem prioris, id est impiæ, & gentilitiæ uitæ hortatur, argumẽto à rebus uisibilibus sumpto, quæ Iudæis in præcepto erant, ut figuras aperiẽs, unam Iudæorũ & gentium ecclesiam ostendat. Expurgate uetus fermentũ: id est, priorem uitam & corruptionem abnegate. Vt sitis noua conspersio: hoc est, nouam uiuatis uitam, sicut decet uos esse infermentatos. Nam non putet quisquã ad se nihil pertinere quod de fermento, Azymis, & Paschate Iudæis præceptũ est, id figura erat, quæ nobis aperta est: Siquidem habemus pascha nostrum, Dominũ nostrum IESVM Christum, per Iudaicum pascha significatum: qui pro peccatis nostris immolatus est, immaculatus agnus Dei, unica pro peccatis hostia. Atq; ut illi suũ pascha habẽtes epulabãtur in azymis suis: ita & nos Christiani cùm uerum habeamus pascha, æquum est ut epulemur festumq; agamus diem, hoc est, ex animo gaudentes in nouitate sensus puram & synceram uiuamus uitam, relicto fermento ueteris Adæ.*

Scripsi uobis in epistola. *Quam epistolam? Vt quidam aiunt, aliam ab hac, quæ non extat. Theophylactus & Scholia titulo Hieronymi scripta, in hunc locum asserunt hanc esse priorem ad Corinthios epistolam & nõ aliam. Nam cùm dixisset, Expurgate uetus fermentum, suspicati sunt fortè Corinthij, uel à cæteris sibi qui in Græcia essent adulteris præcauendum, quod tamen ita edisserit.*

Et non utiq;. *Ac si diceret, Non iussi ut ethnicis sceleribus abstineatis, quod licet optandum esset, tamen fieri non posset, cùm ubique sceleratorum hominum plena sint omnia. Sed quoad liceret ab istiusmodi Christianis abstinete. Nunc obiter hæc interijcit Paulus, Alioqui debueratis ex hoc mundo exisse: Hoc est, utinam id esset quod opto, ut in totum huiusmodi consortia positis uitare. Nunc quoniam frustra opto, quod fieri non potest, illud scribo quod antè scripsi, ut Christianos tam fœdis uitijs infames arceatis à uestro contubernio, partim ne ipsi uideamini factis illorum assentiri, partim ut illi pudore correcti, resipiscant.*

De his qui foris sunt. *Qui foris sunt, gentiles dicit, qui extra aulam Christi diuagantur. Superuacaneum esset illis leges Christi iniungere, qui nolunt Christum Deum agnoscere. Qui interius sunt, Christianos appellat.*

Foris qui dicuntur esse.

Auferte malum ex uobisipsis. *Græcis additur articulus, auferte hunc malum, id est, tollite scelerosum illum, ut de homine, non de peccato intelligamus. Quod admonitum est Augustino, in quæstionibus super Deuteronomium, admonenti hoc ser-*

Supplicium capitale. Excommunicatio.

monis colore ſolitam uti ſcripturam ſacram quoties iubet de nocente capitis ſupplicium ſumere, non quod Paulus idem ſenſerit, ſed quòd excommunicatio apud Chriſtianos, inſtar capitalis ſupplicij ſit.

DICTIO.

Maſſa. MASSA, ea eſt farina aqua conſperſa, ſiue temperata, miſtáq;, ueluti cùm argilla humore maceratur, farina liquore aquæ oleíue aut huiuſmodi.

Azymus. AZYMVS, id eſt, infermentatus.

Fermentum. FERMENTVM, eſt temperatura aquæ & farinæ, ſimile quid habens cõſperſionis. Sic humana doctrina aliquando nonnihil ex literis ſacris ſibi aſpergit: ſed corruptè & temere non rarò. Et doctrinæ ueræ ſpeciem præ ſe fert, ſed ſapore & diſcretione ſpiritus dinoſcitur. Ideo Chriſtus doctrinam Phariſæorum, fermentum uocabat.

Matth. 16.a

Chriſtianus de re leuicula, utpote repetundis pecunijs apud infideles, ne litiget, litemue intendat. CAP. VI.

De iudicijs forenſibus.

Audet aliquis ueſtrum, habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in uobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? neſcitis quoniam angelos iudicabimus? quãtò magis ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos cõſtituite ad iudicandum. Ad uerecundiam ueſtram dico. Sic non eſt inter uos ſapiens quiſquam qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre iudicio cõtendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in uobis, quòd iudicia habetis inter uos. Quare non magis iniuriã accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed uos iniuriam facitis, & fraudatis; & hoc fratribus. An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſsidebunt? Nolite errare. Neq; fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei poſsidebunt.

Iudicari] cauſam dicere Iniquos,] gentiles, In uobis] per uos Minima iudicia erãt quæ pecunias concernebant. Quanto magis ſecularia?] non tantum quæ ad uitæ uſum pertinent? Secularia igitur iudicia] ꝓinde de ijs quæ ad uitæ uſum pertinent Iudicia] lites Accipitis?] patimini? Fraudatis:] dãno afficitis: Fraus hoc loco pro damno, uõ dolo.

Matth. 5.f Lucæ 6.e Romano. 12.d

Scortatio fugienda, infrà 10.e Eccle. 37.d

Audet aliquis. *Paulus iudicans uehemẽter pudendum Chriſtianos de pecunijs creditis & repetũdis cauſas ſub iniquis, id eſt, infidelibus iudicibus habere: miratur eſſe quenquam Chriſtianum, qui poſsit animũ inducere, ut apud Ethnicos iudices prore pecuniaria, aut huiuſmodi cõtendat, cauſam dicat & litiget. Iniqui enim & iniuſti nominantur, ſub quibus, quæ debentur, aſſequi non poterunt litigãtes. Quare ſanctis, id eſt, fidelibus ſanctimonia pollentibus, id eſt, committendum, ad eos referendum iudicium.*

Sancti de hoc mundo. *Id eſt, è uita ſanctorum apparet, apparebitq; mundanos errare ac deſipere. Hoc explicat ſequẽs textus, Et ſi in uobis, &c. In uobis, hic dicitur*

citur Hebæo more pro, per uos. Per uos iudicabitur mundus, ſiue nunc condemnatur mundus impius ex innocenti uita piorum, ſiue olim condemnabitur, cùm piorum & impiorum opera omnia proferentur in apertum.

Indigni eſtis. *Cum ſitis iudicaturi de mundo, indignum eſt uos iudicari in gentiliũ iudicijs, quæ hic minima uocat, præ iudicio illo magnifico, quo ſancti mundum & Angelos iudicabũt. Aut intelligi poteſt, indigni eſtis qui de minimis litigetis, aut iudicetis ob leuiculas res, ut de pecunijs repetũdis & huiuſmodi, iudicaturi & Angelos, id eſt, Dæmones, quando uos qui eſtis hac carne obducti, incorporeos illos uiciſſe coarguemini. Alicubi audiebantur cauſæ capitales, alicubi leuiores, ac ciuiles, de mutuo, de commodato, de empto. Hæc quæ ad uitæ uſum pertinent uocat minima.*

Iudicabimus Angelos. Minima iudicia.

Quanto magis ſecularia. *Græcis eſt Βιωτικὰ, id eſt, quæ ad uictum, facultates & uitæ uſum pertinent. Nam Βίος Græcis tria ſignificat, uitam, uictum & facultates ac ſubſtantiam qua uiuimus.*

Secularia igitur. *Quod ſi neceſſe fuerit de ijs quæ ad uictũ & huiuſmodi pertinent, litigare, hortatur ne apud impios & infideles litigent. Non hic agit qui conſtituantur in eccleſia iudices, ſed ne Chriſtiani litigẽt apud impios ſeu infideles, & quẽuis potius uel contemptiſsimũ, modò Chriſtianum, arbitrum ſuæ cauſæ faciant, quàm adeãt tribunalia impiorum. Non quòd ita ſentiat faciẽdum ut infimis committantur iudicia: ſed ut declaret quàm alterum, litigare ſcilicet apud impios, ſit indecorum, dicit hoc (id eſt, contemptiſsimum Chriſtianum iudicem conſtituere) citius committendũ eſt.*

Ad uerecundiam ueſtram. *Hoc dico ad confuſionem ueſtram, ſiue pudorem, hoc uos pudeat, apud iniquos infideles litigare. Hoc Paulus adiecit, ſignificans ſe non eſſe loquutum ex animo quòd uellet contemptiſsimos ad iudicandum deligi, ſed quòd hoc quoque iudicaret tolerabilius, quàm id quod illi faciebant, litigantes Chriſtiani apud Ethnicos.*

Qui poſsit iudicare. *Id eſt, inter fratrem & fratrem, aut inter Chriſtianum, & Chriſtianum. Quaſi diceret, non eſt opus magna iuris ſubtilitate inter Chriſtianos, inter quos ipſe fraternus affectus facilè uel remittit noxam, uel componit negotium.*

Non magis fraudem. *Quaſi dicat, Sinite uos potius iniuria & damno affici quàm ut inferatis. Fraudem pati hoc loco eſt damno affici aut fraudari.*

Fraudem pati.

Et hæc aliquando quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Omnia mihi licent; ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent; ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca uentri, & uenter eſcis, Deus autem & hunc. & has deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Deus uerò & Dominum ſuſcitauit; & nos ſuſcitabit per uirtutem ſuam. Neſcitis quoniam corpora ueſtra, membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui

Omnia mihi licent:] Omniũ mihi poteſtas: Eſca uẽtri] ſubaudi, deſtinata eſt.

Membra Chriſti.

Geneſ. 1.d Matth. 19.a Marci. 10.a Epheſ. 5.g

autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra uestra templum sunt spiritus sancti, qui in uobis est, quem habetis à Deo, & non estis uestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore uestro.

Templum spiritus sancti. Supra. 3.d 2.Corinth.6.c Infr.7.d 1.Petri 1.d

Et hæc aliquando quidem. *Hæc oratio correctionem habet: nam ne, quæ prædixit flagitia, omnibus impingere uideretur: quasi dicat, Quod in uobis erat flagitiũ, in nomine, id est uirtute,* IESV *Christi & spiritus sancti deletum est, cùm abluti estis sacro baptismate sanctificati estis per spiritum sanctum, iustificati estis per fidem uiuam. Ex his colligunt pietatis amatores, trinitatis mysterium. Elegans est emphasis cùm dicit, Aliquando fuistis. Quasi dicat, alios iam esse conuenit.*

Licent quæ nõ expediunt.

Omnia mihi licent. *Ea mihi uidentur (ait Augustinus) licere & non expedire, quæ per iustitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur, sed propter offensionem hominum, ne ab hoc impediantur à salute, uitanda sunt. Ea uerò non licere, & ideo non expedire, quæ sic ipsa iustitia uetantur, ut facienda non sint, etiam si ab eis, quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. Quod si ita est, ideo non nisi illicita prohibentur à Domino, ut ea quæ licita sunt, & non expediunt, non legis uinculo, sed libera dilectionis beneficentia caueantur.*

Sed sub nullius redigar. *Omnium mihi potestas est. At ego non redigar sub ullius potestatem. Possem à uobis uictum & uestitum exigere. Hac potestate non sum usus, ne illi, qui uestitum daret, subessem, & obnoxius fierem. Hortatur hìc Paulus ne statim de his quæ etiam iure nobis debentur, in iudicio contendamus.*

Venter. Esca.

Esca uentri. *Appellat uentrem ingluuiem ipsam, non stomachum corporis nostri membrum. Escas uerò ciborum effusos & immoderatiores usus. Esca amica est uentri, & uenter escis. Hæc destruentur. In resurrectione enim mortuorũ esus ciborũ & uentris opera cessabunt. Corpus autem non fornicationi, sed ad Domini honorẽ ordinatũ*

2.Timoth.2.b

exhibeatur Domino, & corpori aderit, imò resuscitato immortalitatẽ præstabit. Dominus enim nobiscum est, quandiu fuerimus cum illo. Si negauerimus, & ille nos negabit.

Vnum corpus efficitur. *Fornicatio ambos unum facit, ut quomodo in natura, sic & in macula unum sint: sed hoc illicitum & ad modicum tempus, illud uerò licitum & inseparabile utroque uiuente.*

Qui autem adhæret Deo. *Quemadmodum per carnis opera, caro fit: ita per opera Dei, spiritus efficitur.*

In corpus suum peccat. *Quia (ait Ambrosius) ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis, portio perit, non totum. Totũ enim corpus uir est & mulier. Quia portio uiri est mulier. Quicunq; enim aliud peccatũ admiserit, extra se peccat: fornicarius uerò, in carnem suã peccat. Age si uitam laqueo finiat, aut ferro se trucidet, non in corpus suum uidetur peccare: sed in animam cui uim facit. Fornicari autem corporale est delictum, quod & corpus contingit & animã. Hæc ille. Non desunt, qui interpretãtur nõ de corpore nostro carnali, sed pro illo spirituali corpore & fœdere accipiunt, intelligẽtes, nos uidelicet membra, adeoq; esse & corpus Christi, & spiritum nostrum*

nostrum unum esse cum spiritu Christi: magis mihi arridet prior interpretatio.

Et non estis uestri. *Cùm mẽbra uestra nõ uobis, sed Domino obstricta sint seruitute, necesse est nõ p uestro sed illius arbitrio feramini. Hæc nõ intulit Paulus ut nobis liberũ demat arbitriũ, sed iure ut arguat & ostẽdat Deo esse inseruiẽdũ, à quo tãti, hoc est, pretioso eius sanguine empti sumus. Cũ ergo sumus empti, nõ sumus nostri iuris.*

Portate Deum. *Id est, imaginem Dei in rebus bene gestis, ostendite. Sicut alibi dicitur: Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœlestis. Hoc modo corpora nostra, ab immunditijs carnis in puritate & castimonia seruabimus.*

DICTIO.

SECVLARIA, *hic dicit quæ Græcis dicuntur βιώτικα, quasi quæ ad uictum & rem domesticam pertinent.* Secularia.

FRAVS. *Cùm dicit fraudem patimini, non pro dolo, sed damno sumitur.* Fraus.

Quomodo coniuges, uiduæ & uirgines se gerant. CAP. VII.

De coniugatis

Mulierem] uxorem Virũ] Vel, maritũ, & infrà

DE quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæq; suum uirum habeat. Vxori uir debitum reddat: similiter autem & uxor uiro. Mulier sui corporis potestatem non habet: sed uir. Similiter autem & uir sui

1.Petri 3.b

corporis potestatem nõ habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum: ne tentet uos Satanas, propter incontinentiam uestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, & nõ secundum imperium. Volo autẽ omneis homines esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius uerò sic.

In idipsum:] In unum: Incontinentiã] Intemperantiã

Volo autem] Namuelim

De quibus autem. *Id est, ut respondeam de his, quæ scripsistis mihi. Scripserãt Corinthij, rogantes Apostolum, Vtrum esset à re uxoria abstinendum, an minimé: propter quosdam Pseudoapostolos, qui Christianis factis uxoratis re uxoria interdicerẽt.*

Bonum est homini. *Bonum est unicuiq; Mortali, nil prorsus tangere mulierẽ, sed uitam cælibem & castam ducere, præstantius est. Quòd si uxorem quis habet, bonũ est illi non adhærere, & adglutinari, si per utriusque consensum ac citra incontinentiæ periculum fieri potest. Quòd si fornicationis periculum imminet, uir suã accipiat, hanc habeat, hanc non relinquat, sed illi adhæreat. Et uxor uirum accipiat, illi adhæreat, & eo utatur. Non dixit, unusquisque (ait Hieronymus) propter fornicationem ducat uxorem: sed, unusquisque suam uxorem habeat: suam (inquit) habeat, sua utatur, quam habebat antequàm fidelis fieret. Controuersia erat, an liceret uxorem dimittere post susceptam fidem, altera partium manente in infidelitate.*

Debitum reddat. *Liberis procreandis operam det, honestiore loquendi modo utuntur Græci dicentes, debitam beneuolentiam reddat: inuicem enim sibi debitores*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt in hac causa,ne peccandi detur occasio.

Mulier autem. *Hoc dicit, quòd neque uiro,neque mulieri liceat corpus suum alij tradere.*

Nolite fraudare. *Ne fraudetis,ne debitum negetis. Fraudamus propriè,cùm subtrahimus rem debitam,sicut frustramur re sperata.*

Vt uacetis orationi. *Græcis est,ut uacetis ieiunio & orationi.Non dixit,ut oretis:sed,ut uacetis orationi:quòd ea res desyderet animũ ab omnibus mundanis curis uacantem.Treis circunstantias Paulus adposuit abstinentiæ ab usu cõiugij,seu à debita beneuolentia,fiat ex consensu utriusq; ad breue tẽpus,& ut uacẽt ieiunio & orationi.*

Hæc autem dico secundum. *Quod dixi,nisi fortè ad tempus, nolite quasi lege uobis imposita,quòd impune excedi non posit, intelligere: sed id dixi uestræ indulgens infirmitati,& fragilitati.*

Volo autem omneis homines. *Hæc sunt hortantis uerba. Ad continentiam suo exemplo uellet omneis cõtinentes esse.Qualis autẽ ipse erat,mox in subiectis ostendit.Sed hoc non est omnibus datum.Alius enim sic,ut sit continentior, & uirginitatem tutetur:& alius sic,quia matrimonio,scilicet & nuptijs obstringatur.*

De innuptis & uiduis.

Dico autem non nuptis, & uiduis: bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego. Quòd si non se contineant, nubant. Melius est enim nubere quàm uri. His autem,qui matrimonio iuncti sunt,præcipio, non ego,sed Dominus, uxorem à uiro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico,non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem,& hæc consentit habitare cum illo: non dimittat illam. Et si qua mulier habet uirum infidelem, & hic consentit habitare cum illa: non dimittat uirum: sanctificatus est enim uir infidelis, per mulierem fidelem:&, sanctificata est mulier infidelis, per uirum fidelem. Alioquin filij uestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi. In pace autem uocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier,si uirum saluum facies? Aut unde scis uir, si mulierem saluã facies? nisi unicuiq; sicut diuisit Dominus. Vnumquenq; sicut uocauit Deus,ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesijs doceo.

Matt.5.c.19.b Marci 10.b Lucæ 16.d

Pax. Vocatio.

Nubant.] Contrahant matrimonium.& infrà.

Discederet.] Separari:&infrà.

Sicut]Sic

Doceo.] Ordino.

Paulus uirgo.

Dico autem non nuptis. *Cælibibus & incõiugatis bonum est, si permanserint,sicut & ego.Hic locus manifestè ostẽdit Paulum cælibem,& inconiugatum fuisse. Ambrosius in hunc locum dicit,Paulum uirginem fuisse.*

Quòd si non se continent. *Hæc dixit,eorum infirmitati indulgens:nõ præcipit,*

cipit,sed consulit,nõ solùm uiris,sed & mulieribus:non his,qui uoto adstricti sunt,aut sacerdotio mancipati.Reddant,quæ promiserunt.Possunt id facere,quibus Deus promisit se non defuturum.Non enim sinet uos tentari supra id,quod potestis.infrà 10.cap. Si innupti,& agnouerint se nõ promptiores,ut tota uirtute contendant molestiam carnis superare(hos enim,qui tota uirtute contendunt,solet Deus iuuare)nubant. Melius est enim illi,uxorẽ accipere,aut illi,uiro nubere,quàm uri:id est,libidinis incendium molestiamq; corporis non se cõtinentis pati,& illis uinci. Vritur uoluntas calori carnis consentiens:desyderia carnis pati & ab illis non uinci,illustris uiri est & perfecti. Obserua,cùm dixit,Melius est nubere,quàm uri:nõ dixit,bonum est uri:sed sequutus est uulgatum loquendi modum. Vulgus enim dicere solet,Melius est lucrum,quàm damnum. Vri.

His autem qui matrimonio. *Hæc sunt Pauli uerba,ait August.de fidelibus & pari matrimonio iunctis.Præcipio,non ego:id est,quæ scribo & lege decerno, non sunt humana,sed planè diuina. Videor enim (ut infra) & ipse spiritum Dei habere. Tum 13.huius,An experimentũ quæritis eius,qui in me loquitur,Christus? Ego autoritate IESV Christi,lege decerno,nuptias non dissoluendas,sicut etiã Magister meus IESVS Christus docuit & præscripsit Matthæi 5. & 19.cap. Dictum est autẽ,Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij:ego autem dico uobis, Quia omnis qui dimiserit uxorem suam (excepta fornicationis causa) facit eam mœchari: &, qui dimissam duxerit, adulterat. Perdit illa adultera ius exigendi debitum à uiro, & hoc est diuortium quo ad thorum,ut dicunt Theologi.Sed cùm ait,Qui dimissam duxerit,adulterat:ostendit non esse plenum & absolutum diuortium.*

Vxore uiuente etiam adulterat non plene dissoluitur matrimonium.

Nam cæteris ego dico,non Dominus. *De coniugatis & dispari cultu iunctis,non inuenio legem in Euangelijs expressam & scriptam, illam uerò ego addo non mea,sed IESV Christi autoritate,Si quis infidelium conuertitur, altero manente in infidelitate,non soluetur matrimonium, dum modò qui remanet infidelis, consentiat citra Christi contumeliã & fidei iniuriam,fideli cohabitare.Hæc intellige,quòd utriq;, cùm in infidelitate persisterent,inijssent coniugium:mox alter ad fidem uenisset. Nam si prius fuisset aut uir aut uxor fidelis,haudquaquam cum infideli iungi matrimenio licuisset.Obserua,uocabulo fratris,in sacris literis Christianum significari, & sanctificatum, hìc uocari purificatum. Tanto honore dignatus est Christus nuptias, ut etiam altero coniugum Christiano,puræ & legitimæ dicantur.*

Frater, id est, Christianus.

Alioquî sunt immundi. *Id est,non derelinquat fidelis infidelem sibi consentientem,ne filij immundi,id est spurij,& illegitimi sint.*

Quòd si infidelis discedit. *Quòd si infidelis uult alteram partem suæ infidelitatis participem fieri, nolit'que cum illa cohabitare:dirimat matrimonium, & ab infideli abscedat. Satius enim est,cõnubium ipsum dissoluere,quàm pietatem & Dei cultum dimittere. Vocauit enim nos Deus in pacem,non in dissensiones & contentiones. Hæc per parenthesim leguntur.*

Nisi unicuiq;. *Fidelis(ait) mulier non dimittat infidelem consentientem secum habitare:potest enim fieri,ut saluum faciat uirum:sed id non fiet,nisi cũ illo perseuauerit.Non enim cognoscet gratiarum dona, quæ illi diuisa sunt,neque uocationem seu statũ eius,nisi manserit cum illo.Sensus est. Vnde scis mulier,si uirum saluum facies,nisi ille ambulet,tã sicut in illis,quæ illi diuisit Dominus,quàm sicut uocauit illũ Dominus? Hunc in modum perseuerabis,agnoscens quàm bene & utiliter consultura sis illi,unde saluari possit.Quidam sic legit post Theophylactum:Quî scis,an tu seruatura sis uirũ,*

an tu seruaturus uxorem? Quod sequitur, est uelut nouum caput: Nisi unicuiq; ut diuisit Dominus, sic maneat: quasi dicas, Nihil aliud tentetur, aut nouetur ob alterum infidelem, tantùm ut cuique sua sors obtigit, ita maneat.

Vnumquenque sicut uocauit. *Siue infidelis, siue seruus, siue circuncisus, toleretur ab uxore fideli conuersa: & contrà, si consenserit cohabitare. Conditionem hominis baptismus non mutat, non eximit seruum, non soluit matrimonium, modò citra Christi contumeliam & in pace fiat, quemadmodum Apostolus in omnibus ecclesijs ordinabat & instituebat. Hic appẽdix, Et sicut in omnibus ecclesijs doceo: ostendat, quãtum ualeat consuetudo, & doctrina recepta ab ecclesia, ad conuincendos ueritatis & sacræ doctrinæ osores.*

Circuncisus aliquis uocatus est? non adducat præputiuum. In præputio aliquis uocatus est: non circuncidatur. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei. Vnusquisque in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat: seruus uocatus es, nõ sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino uocatus est seruus, libertus est Domini. Similiter, qui liber uocatus est, seruus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisq; ergo in quo uocatus est, fratres, in hoc maneat apud Deum. De uirginibus autem præceptum Domini non habeo: Consilium autẽ do, tanquàm misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse, propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini, sic esse. Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit uirgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco. Hoc itaq; dico, fratres, tempus breue est: reliquum est, ut, & qui habent uxores, tanquàm nõ habentes sint: & qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tanquàm non possidentes: & qui utũtur hoc mundo, tanquàm non utantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem uos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quo modo placeat uxori: & diuisus est. Et mulier innupta, & uirgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat

Ephes. 4. a

Supra 6. d
1. Pet. 1. d

De uirginibus.

Adducat] Vel accersat.

Magis] Potius

Enim] Igitur

Instantẽ] Præsentem

Solutionem.] uel, diuortium.

Tribulationẽ] Vel, afflictionẽ

Breue] Cõtractum, uel, breuiatum

Figura] habitus, uel, status

Sine uxore] Vel, cælebs

Cũ uxore] uel, duxit uxorem.

Et diuisus est, & mulier innupta, & uirgo cogitat] diuisa est

mulier & uirgo. Innupta curat ea

Ad id] Vt id

Facultatẽ &c.] Decorũ est. sequamini & adhæreatis Domino absq; ulla distractione.

Turpẽ se uideri, &c.] Indecorũ uirgini suæ putat, si prætereat nubendi tempus.

Si nubat.] Iungatur matrimonio.

Iudicauit] Decreuit

Legi,] Vel, matrimonio.

Secũdũ meum cõsiliũ.] Iuxta meã sententiã.

gitat quæ sunt mundi, quo modo placeat uiro. Porrò hoc ad utilitatem uestram dico: non ut laqueum uobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Si quis autem turpem se uideri existimet, super uirgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod uult, faciat: nõ peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habẽs necessitatem, potestatem autem habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare uirginem suã: bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi, quãto tempore uir eius uiuit: quòd si dormierit uir eius, liberata est: cui autem uult, nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritũ Dei habeam.

Roma. 7. a

Circuncisus aliquis. *Iudæus factus Christianus, non putet se forte indignum quia præputium non habet, dans gloriam præputio. Iudæos fuisse constat, quos sectæ pelliculæ puderet, quam Pharmaco reducerent: ut indicat Theophylactus. Aut Gẽtilis factus Christianus, non existimet se debere circuncidi: quia audit filios Abrahæ tanti fieri. Neq; enim circuncisio, neque præputium prodest: sed obseruatio mandatorũ Dei, id est, fides, quæ per charitatem in mandatis Dei operatur. Nihil ergo ad religionem conducit, uel circuncisum, uel præputiatum esse.*

Libertus Domini. *Qui fidelis fit, & remissionem peccatorum accipit libertus Domini efficitur, est à Domino manumissus, est libertate Christiana donatus, desist peccati seruus esse, & fit Christi seruus, hoc est, maximè liber. Manens tamen in sua seruitute corporea, in qua uocatus ad fidem repertus est.*

Consilium autem do. *Virginitatem nuptijs præstantiorem commendaturus, ait, nullam Dominum tulisse in Euangelijs de uirginitate legem, neq; de hac sibi quicquam iniunxisse, sed unum dixisse, Qui potest capere, capiat. Quocirca nõ audet quicquam statuere: magnum enim hoc & periculosum est. Sed ait, profero meam super hac re sententiam: & ne contemnatur, addit hoc se misericordia diuina consequutum, ut super ea re dicat, quod optimum putet uelut Apostolus.*

Propter instantem. *Virginem permanere bonum est, propter instantem necessitatem, quasi diceret, non solùm apud Deum uirginitas cõmendatur, sed & apud uitam præsentẽ, seu apud tempus præsens, dum uecessitates temporis nescit, quas patitur coniugatio, & mœrores partus, simulq; orbitates filiorum ignorat. Hũc in modũ, statum temporis consyderauit Ambrosius per instantem necessitatem significatũ. Oportet enim huiusmodi consilia pro temporum ratione moderari. Propter instantem necessitatem, ait Theophylactus, id est, propter rei uxoriæ difficultates atq; molestias. Vnum est, quod laborat uirginitas, ut affectum carnis uincat, in cæteris omnibus libera.*

Necessitas instans.

Virginitas in uno solo laborat: in cæteris libera.

Et si nupserit uirgo. *Virginem hoc loco dicit, non eam, quæ Deo dicata sit: hæc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc nanque,si nupserit,delinquit,utpote quæ Christo sponso superinducat adulterũ. Hæc Theophylactus Chrysostomi abbreuiator. Huc pertinet,quod 1. Timot.5.dicitur,Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Ego autem uobis parco. Vestri misereor,cùm uideo uos statum tribulationum elegisse. Vellem lubẽs,si fieri posset,in has tribulationes & molestias non incideretis. Aut parcit,cùm permittit: & non contradicit uolentibus,quod onerosum ostẽdit.

Tempus breue. Dicit uitam hanc breuem,ut doceat uoluptatem, quæ tam breuis est, non magnopere appetendam: sed potius quærendum & concupiscendum æternum castitatis & uirginitatis præmium.

Præterit figura huius mundi. Figuram mundi appellat, quòd mundus hic nihil solidi habeat,sed modò speciem quandam bonorum ac malorum præ se ferat. Caue affici huic mundo,& adhærere labenti & fluxæ rei.

Et diuisus est. Id est, uariis solicitudinibus distrahitur. Nempe parit mulier, habenda est nutrix,nutriendi sunt Liberi,paranda est annona,tegenda est domus, uestienda est uxor,& huiusmodi. Græcis alia est lectio, quam legit Theophylactus hunc in modum: Diuisa est mulier nupta & uirgo,id est, diuerso uitæ studio sunt,rebus intendunt disparibus,& discrepant curis. Quò fit,ut uia sit eligenda, quæ potior sit, & minus laborioſa.

Porrò hoc ad utilitatem. Quod de uirginitate dixi,nolim id dictum,ut aliquos cogam uel inuitos seruare uirginitatem. Nullam uobis huius rei impono necessitatem: hanc uocat hoc loco laqueum,ut coniugij perturbationibus liberi,indiuulsi immobilesq; Domino assideatis.

Parẽtũ consensus cùm nuptui puellã traditur.

Et ita oportet fieri. Dicunt quidam Paulum hîc sentire de parentibus locantibus nuptum filias,citra quorum autoritatem, non erat ratus matrimonij contractus. Si quis autem turpem se uideri existimat super uirgine sua: id est,si quis habet uirginẽ nubilem,uiroq; maturam. Quòd sit superadulta: id est, si sit (ait Ambrosius) ultra pubertatem. Et sic oportet fieri: id est,illa omnino aspirat ad nuptias,ut timendum sit patri,ne furtim indecori aliquid moliatur,aut audeat,nisi matrimonio illi cõsulatur. Iam non peccat pater,si illam elocet uiro. Cæterùm qui statuit in corde suo firmus: hoc est, cuius est firma sententia,siue qui in animo decreuit seruare uirginitatem,& non habet necessitatem,sed potestatem habet suæ uoluntatis, hoc est,liber est, & decreuit in animo seruare uirginitatem,bene facit, & Deo firmius adglutinatur, & nil peccat contra honestum.

Matrimonium non contrahendum inter dispares cultu.

Tantùm in Domino. Mortuo uiro,uxor libertatem habet nubendi cui uolet,tantùm in Domino,id est,dummodo id fiat in nomine Domini, hoc est, quòd nubat Christiano,& non Gentili. Hic est primus in nouo testamento textus, prohibens iniri coniugia inter cultu dispares.

CONCILIATIO.

Prima. PVGNANTIAM habent hi loci: Bonum est homini,mulierem non tangere, & Genes.2. Non est bonum,hominem esse solum. RESPONDEO, illhic prospicitur naturæ humanæ conseruandæ & propagandæ, hîc uerò Paulus spiritalem docet uitam,quam & puriùs & faciliùs uiuunt cælibes coniugatis.

Secunda. PAVLVS dicens, Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo,non dimittat illam,aduersatur facto Esdræ, 1,Esdræ 2.cap. Nos præuaricati

ricati sumus in Deum nostrum,& duximus uxores alienigenas, &c. Alienigenam ducit Christianus,infidelem habens.

LOCVS hic Pauli totus uersatur circa eos,qui ante susceptam fidem, coniugati erant,quorum alter,si fit Christianus,altero manente infideli, nõ dissoluitur matrimonium,infideli consentiente cohabitationem, citra fidei contumeliam. Esdras dissoluit à Domino prohibitas illas nuptias. Contraxerant enim Iudæi cum alienigenis, quod nefas erat & piaculum grande in illa lege: sicut & nunc abominabile est, uirum Christianum contrahere matrimonium cum infideli. Quod indicat Paulus circa finem huius capitis dicens,Cui autem uult,nubat: tantùm in Domino.

NON consentiunt hi loci,In pace autem uocauit nos Deus: & Matth.10. Nolite arbitrari,quia uenerim pacem mittere in terram: non ueni pacem mittere,seu gladium. Tertia.

NIHIL pugnantiæ est, si diligenter locos obseruaueris. Pax mundi, est societas carnis,impiorũ & ueritatis hostium concordia,gaudium temporale,fructus uoluptatis, delitiæ seculi. Quam pacem habuit ille,qui dixit Luc.12. Anima,habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce,comede,bibe,epulare. Aut ille purpuratus diues, qui quotidie epulabatur splendidè Luc.16. Hæc pax est momentanea. Hanc amant filij seculi & mundi. Pax autẽ Christi perpetua & spiritalis est. Pacẽ meã do uobis (ait autor pacis in Ioanne) pacem meam relinquo uobis,nõ quomodo mundus dat,ego do uobis. Hæc præliatur & aduersatur mundo. Semper spiritus aduersus carnem, & contrà. Ismaẽl aduersus Isaac. Esau aduersus Iacob. Cain aduersus Abel. Non est consortiũ iustitiæ cum iniustitia,aut cõmunio luci cum tenebris,aut cõuentio Christi cum Belial.2. Corint.6. Quò fit,iure optimo dictum esse,non ueni mittere pacem, supple illam mundialem: sed gladium,id est,separationem illam spiritalem,quæ inimicitias habet cum mundo,& pacem cum Deo,in cuius gratiam belligerandum est aduersus omneis,etiam & patrem & matrem,si quid mandatis Dei cõtrarium iusserint,imò & aduersus animam propriam. Hanc pugnam Christus abunde expressit Luc.14. Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam,& uxorem & filios,adhuc autem & animã suam: non potest meus esse discipulus. Hæc pugna cum uitijs admittit secum pacem cum Deo.

DICTIO.

BONVM hoc loco commodum significat,non honestum: ut opponatur uitio. Bonum.
NVBERE Græcis est uerbum medium tam uiro quàm uxori aptum. Nubere.
VRI hoc loco de libidinis incẽdio molestiaq; corporis nõ se cõtinẽtis intelligitur. Vri.
LIBERTVS is est,qui,cùm esset Seruus,factus est Liber. Libertus.
SINE uxore dicitur cœlebs inconiugatus.
SVPERADVLTVS, cuius flos iam præterijt,& est ultra pubertatem. Superadultus.

In escis,infirmorum ratio habenda.

CAP. VIII.

Idolis immolata. Scientia. Charitas.

DE ijs autẽ, quæ idolis immolantur, scimus quòd omnes scientiam habemus. Scientia inflat: charitas uerò ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid,nõdum cognouit,quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autẽ, quæ idolis immolantur, scimus quia

Autem igitur

nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil est idôlum in mundo: & quòd nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur Dij, siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus IESVS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idóli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur.

Nihil est idolum] nullũ est simulachrum

Vnus Deus.

Vnus Christus.

Autem] uero. Quasi idolothytũ] tanquã simulachris immolatum: & infrà.

De ijs autem quæ idolis. *Corinthij perfectiores erant nonnulli, qui planè sentirent, nihil, quod in os ingreditur, hominem coinquinare, & idôla è ligno constare uel lapide, illaq; non posse cuiquam nocere. Idolorum templa & aras indifferenter ingrediẽtes, idolothyta, id est, idolis immolata, cum Sacrificijs comedebant, & illis sese ingurgitabant. Erant & infirmi à Pseudapostolis persuasi, existimantes nefas esse, uesci oblatione idolis facta: qui, cùm uiderẽt firmiores indiscriminatim illis uesci, scãdalizabantur. Succenset Paulus docens id obesse utrisque, & perfectioribus (quia dæmonum mensæ participarent) & imperfectioribus, ut qui ad idololatriam inuitarentur. Relictis imperfectioribus, ad perfectiores sermonem dirigit, reprimitq; in primis illorum, quam ex humana scientia ceperant, insolentiam.*

Scimus quòd omnes scientiam habemus. *De se, suiq; similibus loquitur Paulus.*

Scientia inflat. *Rerum mundanarum cognitio, tumescendi occasionem præstat. Non uetat Paulus, ne non amplectamur scientiam, sed ne desit scientiæ charitas, sine qua, scientiam uerè inscitiam dici puto. Lege Augustinum libro aduersus Faustum decimo quinto, cap. Octauo.*

Si quis autem se existimat. *Si quis sibi uidetur aliquid scire, nondum cognouit quicquam: ut intelligamus, hanc esse præcipuam scientiæ partem, nosse rationem sciendi. Oportet scientiam charitati esse coniunctam, quam quisquis habuerit, non tumescet scientia: sed humilitate quadam profitebitur se hoc unum scire, quod nihil sciat: scientiam omnem Christo adscribens.*

Si quis autem diligit Deum. *Qui Deo per charitatem fit notus, à Deo scientiam sumit.*

Nihil est idôlum. *Qui Deo per charitatem fiunt noti, nouerunt, quia nullam potentiã habet idôlum, neque Deus est, sed lapis & Dæmon. Nullus est Deus, nisi unus. Explicat hoc loco Paulus diuinitatem indiuiduam deitatis.*

Nam etsi sunt qui dic. *Multi dij dicũtur, sed ficti & cõmẽtitij uerbo tenus & nomine: siue in cœlo, ut sol & luna & astra reliqua, quorũ diuinitatẽ cõmẽti sũt Græci.*

Ex quo omnia & nos. *Deus omnia condidit. Nos tamen qui credidimus, per fidem in illum conuersi sumus, & uelut in unum commissi, in ipsum pendemus.*

Sed non in omnibus est. *Hæc quæ dixi, nõ omnes Christiani nouerunt. Quæ sunt? Cùm simulachrum nullius momenti sit, neque ullam ciborum differentiam facit, neque illis ullam, aut sanctitatem, aut immunditiam affert.*

Quidam autem cum conscientia. *Conscientiam idóli habent, qui rectè de idólo & sentiunt & iudicãt. Quidam sunt, ait Paulus, agnoscentes idôlum nullius momenti,*

menti, qui tamen immolatos cibos quadam reuerentia comedunt usque nunc, id est, usq; in præsentem diem, quorum conscientia infirma polluitur. Conscientiam infirmam habent, quia non cõstanter agunt ea, quorum ueram habent cognitionem. Credũt enim simulacra nihil esse, sed ex hac cognitione non deducũt immolata simulacris indifferentia esse, imò quia putant non comedẽda comedentes, illicitè comedunt, id est, non polluitur cõscientia eorum, quia comedunt: sed quia cum huiusmodi conscientia uescuntur.

Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus. Vídete autem, ne fortè hæc licentia uestra offendículum fiat infirmis. Si quis enim uiderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: non´ne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua sciẽtia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrẽ meũ, nõ manducabo carnem in æternũ, ne fratrẽ meũ scandalizem.

Esca.

Abũdabimus:] aliquid nobis supererit:

Licẽtia] uel, facultas

Scandala in cibis.

Idolio] epulo simulacrorum

Cùm sit infirma,] qui infirmus est,

Percutientes] uulnerantes

Roma. 14. c

Roma. 14. d

Necq; si manducauerimus. *Neque commendabimur manducantes, neque peccabimus abstinentes.*

Vídete autem. *Non dixit, scientia uestra, sed, licentia uestra (ait Theophylactus) hoc est petulantia uestra, & tumor infirmos offendat.*

In idolio. *Id est, in idolæo (ut legit Ambrosius.) Est autem idolæum, penultima producta, locus simulacrorum, aut mensa, in qua carnes sacræ proponebantur.*

Idolæum.

Conscientia infirma. *Id est, conscientia eius, qui infirmus est.*

In tua conscientia. *Quidam legunt, in tua scientia. Verba sunt irascentis, id est, ob hanc scientiam qua tibi persuades, licere idolothytis uesci, nihil ueritus fratris infirmi offendiculum.*

CONCILIATIO.

PVGNANTIA *inuicẽ habere uidentur, quæ hìc Paulus, duobus locis profert, Scimus quòd omnes scientiam habemus. Et, Sed non in omnibus est scientia.*

PRIORE *loco de se, suiq; similibus loquitur. Posteriore uerò, de infirmis mentionem facit, qui idolothyta quadam adhuc reuerentia excipiebant.*

DICTIO.

IDOLVM *penultima producta, est quicquid Deo prætuleris uel æquaueris, uel in quo spem omnem collocaueris.* Idolum.

IDOLOTHYTVM *penultima producta, dicitur ĩmolatũ siue sacratũ idólo. In quo spem omnem collocaueris.* Idolothytum.

IDOLAEVM *penultima producta, locus est simulacrorum: aut mensa, in qua carnes sacræ proponebantur.* Idolæum.

DII, *more scripturæ, sæpiusculè sunt hi, qui iudiciũ Dei iudicãt, id est, Rectores, quibus gladius commissus est, hoc est, qui sunt iudices, & doctores Dei, quorũ officiũ est, ueritatem Dei docere, & uerbum eis commissum annuntiare: & hoc uice Dei, qui uoluit* Dij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uoluit eos esse iustitiæ ministros, & ueritatis eius prædicatores: quasi dicat, estis filij Dei, omnes uidete, ut patrem iustum, & ueracem uestro officio referatis. De his, lege Exodi 22. Psal. 81. Ego dixi, Dij estis, id est, feci uos iudices & doctores uice Dei. Et 1. Reg. 28. Sancti uocantur Dij, diuinitatis participes facti per IESVM *Christũ. Sunt & Dij commentitij, quos Aegyptij & Idololatræ colebant.*

Prædicanti Christum uictus debetur. CAP. IX.

Opus Pauli.

NOn sum liber? nõ sum Apostolus? Non'ne Christum IESVM Dominum nostrũ uidi? Non'ne opus meum uos estis in Domino? Etsi alijs non sum Apostolus, sed tamen uobis sum. Nam signaculum apostolatus mei uos estis in Domino. Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est: Nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem, hoc operandi? Quis militat suis stipẽdijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi, Non alligabis os boui triturãti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utiq; hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia uestra metamus? Si alij potestatis uestræ participes sunt: quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altario deseruiunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio uiuere. Ego autem nullo horum usus sum.

Signaculum] Sigillum

Defensio] Vel, responsio

Deuteron. 25. a

1. Timoth. 5. c

An & lex hæc non] An nõ & lex eadem

In spe,] sub spe, In spe fructus percipiendi.]

Rom. 15. f

Quòd spei suæ particeps esse debeat.

Vestræ] Erga uos

Deuteron. 13. a

Sacrario] Sacris

Prædicatoribus Euangelij uictus debetur.

Ego autẽ] Ego tamen

Non sum liber? *Verba sunt irascentis. Erant, ut uidetur, Corinthi præceptores nonnulli opulenti, qui gloriæ ducerent, alios gratis instruere, molirẽturq;, ut Apostolo ad ignominiã cederet, quæsitus ex doctrina cibus. Qua re cognita, cauebat, ne uictum à discipulis sumeret, tametsi id ei esset permissum. Sensus huius orationis hunc in modum redigitur: diceret aduersarius, Propterea nulla sumis à discipulis alimenta, quia tibi,*

tibi, ut agat, hoc non licet. huic respondens ait, Quid illud? Non'ne & Apostoli cæteri uictum à discipulis capiũt? Etiam, inquit. Quid igitur? non'ne & ipse Apostolus sum ut illi sunt? scilicet. Non'ne & liber sum? hoc est neminem habens, qui inhibere possit hunc uictum. Dicet aduersarius, At in eo te superãt cæteri, quia uiderũt Dominũ. Respondet, Non'ne IESVM *Christum Dominum uidi? Vidit* IESVM *Paulus, ut infrà 15. cap. & Act. 26. His non contentus aduersarius dicet, Apostolus es, at nondum tui apostolatus specimen exhibuisti. Respondet, Non'ne opus meum uos estis in Domino? En uos estis opus meum, non mea quidem uirtute, sed in Domino: hoc est, Domini uirtute & potentia. Id egi. Etsi orbis terrarum non me profiteor præceptorem: uobis tamen non'ne Apostolus sum? Id tam euidens est, ut negari non possit. Potui ergo à uobis quicquam accipere, quod tamen non feci. Hæc legenda sunt per interrogationem, quæ tamen uehementius affirment, ut sit impudens contradicere.*

Nam signaculum. *Vos in argumentum mei apostolatus estis. Creditam hanc mihi apostolicam functionem obsignatis & obfirmatis. Ego muneris apostolici opera in uobis ostendo. Si quis me apostolũ negauerit, uos mihi estis defensio, ego uos ostẽto.*

Mulieres sequentes apostolos.

Nunquid non habemus. *Vt prædicationi intenderent, & uacui curis secularibus essent Apostoli, mulieres locupletiores pedissequas habebant, quæ inseruirẽt, & ad uictum necessaria apostolis suppeditarent. Hic locus argumentum sufficiens esse nequit, dicamus Paulum habuisse uxorem. Solum id docet, se posse habere mulierẽ ministram, quemadmodum habuerunt fratres Domini, id est cognati* IESV *Christi, Ioannes, Iacobus, Iudas & Simon ex sororibus uirginis Mariæ orti, quos cõstat nõ habuisse uxores, sed mulieres ministras, ut dixi. Tropo scripturæ, cognati dicuntur fratres.*

Cognati.

Suis stipendijs. *Id est, proprijs sumptibus.*

Nunquid secundum hominem. *Quæ dico, & humano & diuino iure confirmata & iniuncta sunt.*

Nunquid de bobus. *Est reuera illi cura, sed non adeò, ut illis tulerit legem. Sed aliud prætendit Paulus ex hac in bestias indulgentia, ut Iudæos exerceret assuefaceretq; ad magistrorum curam suscipiendã. Qua ex re docemur, quæ de animantibus brutis (ait Theophylactus) in ueteri testamẽto narrãtur, ad hominũ cõferri doctrinam.*

Quoniam debet in spe, qui arat. *Aratoribus & triturãtibus comparãtur Apostoli. Obseruabis interim, in aratione semel duntaxat poni spem, nec fieri mẽtionẽ participationis, propterea quòd totus prouentus aranti tantùm in uotis sit. At qui triturat, iam incipit esse particeps spei, fruiturq; optatis, laborans interim in aliam spem anni secuturi. Sacra facultas Theologiæ Parisiensis, cuidam asserenti, qui præmij causa certat, nõ certaturus, nisi sciat dandum præmium, is seipsum præmio frustratur: respondens, hunc locum Pauli est interpretata, cuius uerba subscribam: Tametsi principaliùs (inquit) Dei amore, quàm præmij debent homines certare, & bene operari: licitum est tamen eos præmio moueri ad bene operandum, & certandum contra tẽtationes: & oppositum asserere, erroneum est, & scripturæ aduersatur. Scribit enim Apostolus, debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Probãtur etiã à Chrysto eunuchi Matth. 19. qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Et inclinauit regius Propheta Psal. 118. cor suum ad faciendas iustificationes, propter retributionem.*

Censura facultatis theologicæ.

Si alij potestatis uestræ. *Si illi Pseudapostoli à uobis acceperunt, quibus non debebatur, & quos certum est nihil uobis contulisse: quantò magis nos accipere poterimus, si uobis esse utile sentiremus.*

Ita & Dominus ordinauit. *Ordinauit Dominus dicens Lucæ 10. Dignus est operarius mercede sua. Obserua dictum, de Euangelio uiuant: non autẽ, diuitijs affluant, & luxu diffluant. Hi lupos agunt, & tyrannos, de quibus multa dicuntur Hieremiæ 6.23. Isa. 56. Ezechi. 13. 34. Michæ. 3. Malach. 1. & 2. cap. Peccant ergo bonorum ecclesiæ decoctores, quæ in usum pauperum distribuenda erant.*

Gratis Paulus euangelizauit, ne oneri esset Christianis.

Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meã quis euacuet: Nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: uæ enim mihi est, si non euangelizauero. Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? ut Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, ut non abutar potestate mea, in Euãgelio. Nam cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plureis lucrifacerem. Et factus sum Iudæis: tanquàm Iudæus, ut Iudæos lucrarer: his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: his qui sine lege erant, tanquàm sine lege essem (cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter Euangelium: ut particeps eius efficiar. Nescitis quòd hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium? Sic curríte, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem, incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem uerberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Seruus Paulus.

Premium propositum,

Non autem] Quanquam

Gloriam] Gloriationem Euacuet.] Inanem reddat.

Credita] Commissa

Sine sumptu ponã] Gratuitum efficiam

In lege essem] Essem obnoxius legi

Omnes] Omnino aliquos

Brauium] Premium? Contendit,] Certat,

Castigo] Subijcio

Bonum est mihi. *Malim mortem obire, & inedia confici, quàm ut gloriationem meam quis inanem reddat. Ingenti profundebatur gaudio Paulus, quòd gratis euangelizaret.*

Si enim Euangelium. *Quia prædicatio mihi iniũcta est, & exequi iussa obstringor, prædicanti non est mihi gloriatio ulla, hoc est, nihil ago supra debitũ: necessitas mihi incumbit, id est, prædicatio mihi demandata est. Hanc functionem nisi fideliter obiens exequar, pœnas luam, uæ mihi erit.*

Si enim uolens. *Si ultro & iniussus administrationem Euangelij peragerem, merced*

mercedem opulentissimam consequerer. Si autem inuitus, id est, si iussus & ex mandato Domini prædico, nihil est unde glorier. Quia dispensatio & administratio Euangelij, credita & commissa est mihi. Id solùm ago, quod iubeor, & debeo facere: nihil ago non debitũ, nulla est operis supererogatio: quo fit, ut nulla mihi supersit gloriatio. Imò iam audio IESV Christi uerbum Luc. 17. Nunquid gratiam habet seruo illi, qui fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & uos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis: dicite, serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Obserua, quemadmodum non intulerit, si inuitus, mercedem non habeo, ut ostendat se prædicandi Euangelij gratia habiturũ mercedem, tametsi iussus id faciat. Aliàs absurdum foret, si Apostoli, pro huiusmodi suscepto munere, nihil præmij essent suscepturi. Plus tamen mercedis accepturus est, qui gratis, quàm qui dono & mercede condonatus, Euangelium prædicauerit.

Sine sumptu ponam. *Id est, ut gratuitum faciam, & gratis prædicem.*

Non abutar potestate mea. *Potestate sua non utitur in Euangelio, dum respuit oblatos sumptus, quos accipere liceret: sed non expedit, ut uis Euangelij cõmendetur, & fratrum saluti consulatur.*

Cùm liber essem ex omnibus. *Munera accepta uim quandam obstringendi accipientem habent. Paulus nulli erat obnoxius, qui nihil acceperat, quum potestatem accipiendi haberet.* Munera ligãt.

Tanquàm Iudæus. *Paulus Timotheum circuncidit, & Hierosolymis sese purificauit, non factus Iudæus, sed tanquàm Iudæus, id est, ostendit dispensatione quadam, id factum à se, ut alios seruaret, alios in uiam reduceret.*

Omnia facio propter Euangelium. *Euangelij appellatione (ait Theophylactus) fideles exprimit, cùm salutem sint per Euangelium assequuti, quemadmodum & superius dixit, de Euangelio uiuere, id est, ex fidelium ope uitam ducere.* Viuere de Euãgelio.

Nescitis quòd. *Hortatur ad cœlestis uocationis præmium. Ac si diceret, non satis est ad salutem, si fidem exceperitis & stadium ecclesiæ ingressi iam sitis, nisi comprehendatis, hoc est, nisi præmium propositum assequamini.*

Ab omnibus se abstinet. *Omnia se exuit, quæ impedimento consequendi præmij esse possunt.*

Aërem uerberans. *Frustra laborans.*

Castigo corpus meum. *Quia corpus uiolenta quadam tyrannide, animæ aduersatur, & aliquando in serui morem contumacis lasciuit: aduersus illud depugno, & mihi subigo, ieiunijs, uigilijs, & huiusmodi.*

DICTIO.

SIGNACVLVM, *est signum & sigillum, quo certa fides fiat. Quemadmodum uulgatis etiam prouerbijs, quod uehementer certum & indubitatum intelligi uolumus, id dicimus obsignatis literis testatum.* Signaculum.

TRITVRO, *id est, tero, & ad segetes pertinet.* Trituro.

ALTARIVM, *altare & ara, idem.*

LATINIS *dicendum est brabium, non brauium: per b, non per u, in secunda syllaba penultima acuta. Et est uirga siue sceptrum, unde, qui regalia sceptra gestant, brabeutæ dicti sunt, quòd horum partes essent, in certaminibus præmium addicere, qui uicisset, ne quis inter certantes oriretur tumultus. Sunt qui putant palmeam uirgulam tradi solitam uictori, uictoriæ symbolum, eamq; uirgam brabeum appellari. Est omnino præmium, sed quod omnino datur certantibus.* Brauium.

Stadium. STADIVM, *Curriculum est & locus, in quo equi homines'ue ad cursum exercentur & athletæ certant. Est & mensura centum & uigintiquinq; passuum.*

Veteribus omnia in figura contigerunt. CAP. X.

Numeri 9.d Exod.13.d Exod.14.e Exod.16.d

NOlo enim uos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus). Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die uiginti millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare, uideat, ne cadat. Tentatio uos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur uos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.

Petra exo.17.d Numeri 20.b.

Concupiscētia. Numeri.16.g Idololatræ. Exod.32.b

Tentare Deū. Numeri 21.b

Murmurare. Numeri 14.f Iudicum 8.c Tentatio.

Consequente eos,] quæ illos comitabatur.

Finesseculorū] termini ætatū In quos] nos scilicet Apprehēdat,] apprehendit,

Nolo uos ignorare, fratres. *Admonet Corinthios Paulus, exēplo Iudæorū, ne efferantur, quòd baptizati & in ecclesiam admissi sunt. Quoniā hæc dona nihil illis profutura sunt, sicut nec multis Iudæis beneficia illa accepta de liberatione ab Aegypto, nube, aqua petræ & huiusmodi, nisi se diuina gratia dignos exhibeant.*

Patres in moyse baptizati.

Omnes in Moyse baptizati. *Baptizati sunt in Moyse, quia illo duce & præuio usi sunt, ad figuram baptismatis. Nam cùm priorem Moysen ingredientem mare spectarent, se inter fluctus commiserunt, & excussa Pharaonis seruitute, transgresso mari rubro, quodam modo in mari & nube baptizati sunt. Huius rei olim gestæ figura, in nobis contigit. Nam Christo duce prius mortem obeunte, & paulò post resurgente, eius mortem tunc planè præferimus, cùm baptismi aquis immergimur, tunc demum resurrectionē significamus, cùm ex aquis educimur, excussa ueri Pharaonis, id est, Diaboli seruitute. Aut in Moyse baptizati sunt, quia Moyse populū admonente, agnoscerent*

rent immensa Dei beneficia, nubem protectricem, mare diuisum à dextris & sinistris pro muro habitum, Pharaonem aquis extinctum, statim credentes Deo seruatori, abluti sunt à diffidentia diuinæ protectionis. Exod.14. Cecineruntq; Domino canticum hoc, Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, &c. Abrenuntiantes idólo Aegyptiorum & pompis eius. Exod.15. Moyses Christi typum gerebat, & figuris res adumbrabatur Euangelica. Quod in nube addidit Paulus, similitudinariè dixit. Nam quod illis nubes protegens, conducens, ac refrigerans contulit, id abundantiùs spiritus sanctus nube designatus confert, nempe nostrarum actionum dux & protector, concupiscentiarumq; moderator & extinctor est.

Spiritalis esca.

Eandem escam spiri. *Quemadmodum manna non opera humana, sed cœlitus & ministerio Angelorum demissum (ob id spiritalē escam appellat) quadraginta annis Iudæi in deserto comederunt, ita nos baptizati, corpus dominicum manducamus. Et quemadmodum nos domini sanguinē, percusso IESV Christi latere effusum, bibimus, & eo sitim omnem extinguimus: ita illi potum, quem miraculosè petra fudit, biberunt. Aut eandem escam dixit, quòd nobis non sit alia salus proposita quàm ipsis.*

Petra Christus.

Consequente eos petra. *Sequente tanquàm itineris perpetua comite: reuera non erat petra, unde aqua manauit eos comitans, sed spiritalis, id est, Christus, qui dicitur sequens: quia erat futurus in carne, aut quia perpetuò eos comitatus est secundum diuinitatē. Petra erat Christus, id est, Christum significabat postea nasciturum: de cuius percusso latere exiuit sanguis & aqua.*

Sed non in pluribus beneplacitum. *Omnes affecti sunt huiusmodi beneficijs à Domino, sed se tanta gratia indignos exhibuerunt, ut præter duos tantùm Iosue & Caleph, in terram promissionis non peruenerint, sed in deserto prostrati sint ac mortui.*

Hæc autem in figura. *Iudæorum facta, nostri figuram expresserunt, ut scilicet à uitijs illorū abstineamus, alioqui in deserto perpetuæ uastitudinis perituri, neq; ueram promissionis terram ingressuri, utq; donorum magnitudine illos excedimus, sic pœnis maioribus adficiemur, si Deum, delinquēdo, offendimus: cùm dicit malorum concupiscentes, omne genus malignitatis expressit: à concupiscentia enim, uitium quoduis emanat. Tertullianus lib.5. aduersus Marcionem legit, Hæc enim exempla nobis sunt facta.*

Diffidentia de Deo.

Neq; tentemus Christum. *Diffidētiæ de misericordia Domini illos arguit. Qui enim experimentum de uirtute & potētia alicuius cupit, se de illo diffidere ostendit. Dicebant enim, nunquid poterit parare mensam in deserto? Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? & huiusmodi.*

Exterminatos.

Ab exterminatore. *Id est, ab exitiali quadam potestate, & ultrice potentia Dei, qualisqualis illa fuerit.*

In quos, fines seculorum. *In quos, id est, in nos, in quorum gratiam scripta sunt omnia, tota temporum perfectio decucurrit. Hoc est, omnes scripturæ indices fuerunt temporis Messiæ in quo sumus, quod est omniū præcedentium seculorum usq; ad Christum, finis. Cùm mundi huius secula nacta esse finem dicit, ostendit Dei iudicium pro foribus adesse. Studeat igitur unusquisque nostrum bonis operibus. Cùm finis seculi, aut uitæ cuiusque nostrum & modicum tempus supereſt ad bene agendum, alioquî sunt nobis horribiliora quædam supplicia expectanda, quò maioribus sumus donati beneficijs. Finem, seu ultimum seculum, intelligit totum illud tempus, quod interce-*

dit inter Christum natum,& ultimam illam iudicij diem.

Itaque qui se existimat. *Per apostrophen ad quosdã sciolos Corinthi existẽtes sermonem dirigit,qui præsumentes de scientia, qua licitum est omnia edere, infirmis fratribus scandalo erant,ait Ambrosius.*

Nisi humana. *Id est,facilis & mediocris.*

Fidelis autem Deus. *Hos consolatur suadens, oculos ad Deum intendant, ut qui stet promissis.* Matth.11.d *Venite,qui laboratis:& ego reficiam uos,ait ille.*

Prouentus. Faciet cum tentatione. *Prouentum hic dicit exitum siue euentum. id est, is qui finit uos incidere in tentationem: idem facict,ut tentatio, bene eueniat.siue si tẽtatio ingruerit:faciet,ut statim ea euolet,ut ferre possitis, id est, ut leuior uobis uideatur tentatio & toleratu facilior. Adiuuabit ut possitis ferre tentationem & illam uincere, ita ut oneri superfitis & superetis,faciet cum tentatione,id est,tempore tentationis,siue insurgente tentatione. Aut dici potest, faciet prouentum, id est, euicta tentatione, erit uobis locupletior fructus.*

Idololatria fugienda. Propter quod,Charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor: uos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus: Calix. Calix] poculum, & infra. non ne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, Panis. Panis, quem] corpus Christi, quod sub speciebus panis sumimus, quem frangimus, non ne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus. Omnes quidem de uno pane, & de uno calice participamus. Videte Israël secundum carnem: Participes sũ] consentiunt in sacrificia Non ne qui edũt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quòd idólis immolatum sit aliquid? aut quòd idôlum sit aliquid? Sed quòd quæ immolant Gentes,Dæmonijs immolant,& nõ Deo. Nolo autem Socij dęmoniorum. uos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Æmulamur] prouocamus Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, Expediunt] cõducunt: Sap.6.c Eccle.37.d Nemo quod suũ est,quęrat: sed quod alterius. Omne De cibis. quod in macello uænit, manducate: nihil interrogantes,propter conscientiam. Domini enim est terra,& plenitudo eius. Si quis uocat uos infidelium ad cœnam, & uultis ire:omne quod uobis apponitur,manducate: nihil interrogantes, propter conscientiam. Si quis autem Psal.23.a dixerit,Hoc immolatum est idólis:nolite manducare,propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico,non tuam,sed alterius. Iudicatur] condemnatur Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia?

Blasphemor] maledicor tia? Si ego cum gratia participo,quid blasphemor pro eo, quòd gratias ago? Siue ergo manducatis, siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Coloss.3.c Sine offensione estote] tales estote, ut nullũ prębeatis offendiculum Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus,& ecclesiæ Offendiculum. Dei: sicut & ego per omnia, omnibus placeo:non quærens,quod mihi utile est, sed quod multis:ut salui fiant.

Calix benedictionis. *Ac si dicat,Sanguis iste,qui calice(dum sacra fiunt) cõtinetur:ille est,qui è latere Christi profluxit. Hunc sanguinem cùm sumimus,cum Christo cõmunicauimus,& cum illo cõmercium nobis esse declaramus, seu Christo cõiungimur.* Cõmunicatio. *Nonne igitur uos pudet,ô Corinthij,idolæis accumbere,& idolothytis uos ingurgitare,ab hac tam sancta cõmunione declinantes? Cùm dicitur cõmunicatio,summa exprimitur coniunctio. Obserua. Non dicit,significat cõmunicationem, sed est communicatio,quia uerus* IESV *Christi sanguis communicatur. Calix benedictionis,id est, gratiarũ actionis,qui offertur pro gratiarũ actione,Deo,cui benedicũt tum sacerdotes cõsecrando seu cõsecratione, tum omnes hunc cum laude & gratiarũ actione sumẽtes.*

Panis,quẽ frangimus. *Corpus Christi,quod sub specie panis sumimus,nonne ostendit nos participationẽ cum corpore Christi habere?* Ioan.6. Ioan.6. *Qui manducat carnẽ meam,& bibit sanguinem meũ:in me manet,& ego in eo. Nõ ait Paulus,significat,sed est. Esus enim substantiæ panis, non est cõmunicatio corporis Christi: sed esus corporis Christi sub specie panis,reuera cõmunicatio est corporis Christi. Quia mensæ eius participes sumus,de uno calice bibimus,& de uno pane sumimus:unus panis & unum corpus in eo sumimus mysticum: ac per illius sumptionem, Christi corpori incorporamur. Cùm dicit,unus panis,unitatem Fidelium declarat,ut non multa sint corpora nostra,sed unum. Nam quemadmodum panis unus è pluribus granis conficitur, sic & nos plures cùm simus,unum efficimur corpus Christi,uiua fide,Christo capiti adhærentes.*

Participes sunt altaris. *Id est,consentiunt sacrificijs, aut hanc de se opinionem infirmis generant.*

Videte Israël secundum carnem. *Ad differentiam adiecit secundum carnem,ut ostenderet alium esse Israëlem secundum spiritum.*

Quid ergo? dico quòd. *Quasi diceret, nequaquam loquor, quòd idôlum sit aliquid,cùm id dictu per se sit absurdum. Sed dico,supple, quòd quæ Gentes immolant, dæmonijs,& non Deo immolant.*

An æmulamur. *Id est,an prouocamus,tentamus,& irritamus Deum? Vt dicatur de uobis,ipsi me prouocauerunt in eo,qui non erat Deus. Tam stupido estis animo,ut ad aduersarios illius desciueritis, qui uim ulciscendi habet. Frustra illum irritatis,qui fortior uobis est.*

Omnia mihi licent. *Omnia quæ à lege non prohibentur, licent: quia per se non habent peccatum: sed non semper expediunt, quia occasionem nonnunquam generant delinquendi. Etsi in se idolothytum manducare,non est illicitum, est tamen malum edere, ut facitis,cum fratris offendiculo.*

Nemo,quod suum est quærat. *Non tam ius nostrum, & res nostras tueri oportet,quàm infirmitati alterius consulere. Charitas non æmulatur, non quærit quæ sua sunt: infrà 13.*

Omne quod in macello. *Omne quod uenditur in macello, eme & manduca: noli interrogare,ne conscientiam tuam lædas. forsitan enim interrogando, certior fic-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

res idolothytum esse,quod uenditur:unde posset conscientia tua offendi. Hoc loco & sequente,ostendit Paulus se idolothytum non inhibere, nisi quatenus suspicionem affert uenerati idoli,quando non interdicit comedere,si extra idolæum & sine conscientia idoli,apponitur. Culpandus ergo non est,qui citra scandalum cum gratiarũ actione carnem immolatitiam,non ut immolatitiam,sed ut carnem,& cibum edit.

Domini enim est terra. *Si Domini sunt, munda sunt omnia simpliciter utentibus.*

Libertas. **Vt quid enim libertas mea.** *Libertatem appellat,quod attentione,studio & impedimento uacat.Liberum est mihi,omni cibo uesci. Et per Christum libertatem habeo uescendi idolothyto,sed sine fratris & proximi offendiculo.ob conscientiam enim fratris læsam,mea libertas uitio mihi uerteretur,& condemnabilis fieret.*

Si ego cum gratia. *Si ego escarum omnium particeps sum, siue quolibet cibo uesci possum,idq; non per idolum,sed beneficio munificentiaq; Dei, quid blasphemor? id est,quid est,cur malè audiam pro eo,pro quo ego gratias ago,uescendo rebus creatis à Deo? Si quis Christianus cibo(quem inter conuiuas infirmus iudicasset idolothytum esse)uescebatur,ignominiæ & simulationis à Gentili accusabatur,siue malè apud gentilem audiebat.*

DICTIO.

Petra. VVLGARI *tropo Scripturæ,ferme omnes Prophetæ appellant Christum Petram,Lapidem:ut Psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c. Esaiæ 8. Et erit uobis in sanctificationem,in lapidem autem offensionis,& petram scãdali,duabus domibus Israël.Esaiæ 28.Ecce ego mittam in fundamentis Sion,lapidem probatum, angularem,pretiosum,&c.Sunt & similes loci passim in nouo testamento. Accipitur aliquando Petra,pro robore,& firmitate,Psalmo 39. Eduxit de lacu miseriæ, & luto fæcis:& statuit supra petram pedes meos.*

Humanum. HVMANVM,*ubiq; Paulus tenue quippiam,& exile appellat.*

PROVENTVS,*hic pro euentu & exitu ponitur.*

Væneo. VAENIT,*id est,uenditur:à uerbo Væneo,neutropassiuo.*

Macellum. MACELLVM,*locus,quo uænalia omnia, quæ ad uictum humanum pertinẽt,*

Laniena. *uenduntur,contrahunturq;.Sed Laniena carnium est locus,à lanione.*

Blasphemor. BLASPHEMOR,*penultima longa,id est,malè audio, malè de me loquuntur homines.*

MVRMVRARE,*ait Ambrosius,est falsò adinuicem de Præpositis & Rectoribus queri.*

Caput mulieris,uir:item cœna Domini quomodo celebranda. CAP. XI.

IMitatores mei estote,sicut & ego Christi.Laudo autem uos,fratres,quòd per omnia,mei memores estis: & sicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis. Volo au-

Caput uiri. Ephe.5.c tem uos scire,quòd omnis uiri caput, Christus est: caput autem mulieris, uir: caput uerò Christi, Deus. Omnis uir orans,aut prophetans uelato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans,non uelato capite,deturpat caput suum;unum

Deturpat]probro afficit, dehonestat, & infrà.

enim

Decaluetur.] Rasa esset. *enim est, ac si decaluetur. Nam etsi non uelatur mulier,tondeatur. Si uerò turpe est mulieri tonderi, aut decaluari,uelet caput suum. Vir quidem non debet ue-*

Vir quare non uelat caput. *lare caput suum,quoniam imago & gloria Dei est:mulier autem gloria uiri est. Non enim uir ex muliere est,*

Genesis 2.d *sed mulier ex uiro. Etenim non est creatus uir propter mulierem: sed mulier propter uirum. Ideo debet mulier uelamen habere supra caput suum, & propter An-*

Veruntamen] Alioqui *gelos. Veruntamen neq; uir sine muliere,neque mulier sine uiro in Domino. Nam sicut mulier de uiro, ita & uir per mulierem:omnia autem ex Deo. Vosipsi iudi-*

Decet] Num decorum est Comam nutriat,] Comatus fuerit, & infrà. *cate: decet mulierem non uelatam orare Deum? Nec ipsa Natura docet uos,quòd uir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier uerò si comam nutriat, gloria est illi:quoniã capilli pro uelamine ei dati sunt. Si quis autem uidetur contentiosus esse:nos talem cõ-*

Ecclesia Dei nõ cõtentiosa. *suetudinem non habemus,neque Ecclesia Dei.*

Imitatores mei estote. *Se Paulus proponit exemplar,quod non uult imitabile uideri cuiquam,nisi respondeat ad archetypum Christi.*

Per omnia mei memores. *Præparat illos laude ad sequentem admonitionem:quasi diceret,Sicut in cæteris tenetis mea præcepta, ita in hoc quoque sequamini. Grauiora delicta castigauerat, ut de idolothytis:nunc leuia, & minora corrigit.Quæ erant illa,si quæras(ait Theophylactus)quòd detecta, & reuelata facie mulieres orabant,& uaticinabantur. Viri autem capillum, & comam, seu barbam promittebant, protendebantq;,id est crescere sinebant,ut qui Philosophiæ studerent:quod sanè Græcæ erat legis,uel institutio,uel eius Gentis mos patrius,& prisca cõsuetudo. hos anteà castigauerat,quorum aliqui morem gesserunt, & hos laudat, aliqui in pertinacia perstiterunt, quos castigat mitioribus uerbis. Solet enim mitioribus uerbis lenire quos à uitijs sperat ad bonum traducere. Beatus Ambrosius putat hoc, Laudo uos, ironicè dictum.Non enim confirmat,sed succenset eis, quia cùm esset Apostolus eorum,immemores erant traditionum eius.*

Et sicut tradidi uobis. *Ex his constat, cùm Paulum (ait Theophylactus) tum Apostolos reliquos, haudquaquam omnia literis mandasse præcepta, quæ populis tradidissent.*

Volo autem uos scire. *Hæc sunt Pauli instituta, quæ uult Corinthios & cognoscere,& obseruare. Nondum interdictum erat mulieribus publicè cùm orare, tum prædicare & uaticinari:ut argumento sunt,multarum illius temporis acta. De capitis orantium uelamine, institutu tradit: Virum aperto capite: Mulierem autem operto, orare iubet.Ex his conijcere licet Corinthi plurimum immodestiæ fuisse. Erant nimirum,sicut hodie quoq; fieri uideas, qui non secus in ædem sacram ueniebant, quàm solent in theatrum uanissimi homines prodire spectatum.Nam uiri galeros ornamẽta nescio quas muliebres nugas capiti imponentes,omnium in se conuertebant oculos. Mulieres uerò,& maritatæ,& uirgines,apertis ingredientes capitibus, simul & pudorẽ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

posuisse,& libidini,malisq; cupiditatibus,ceu fomenta subministrare uidebãtur. Quasi uerò ædes sacra nundinationis puellaris,& procorũ magis theatrum,quàm domus modestiæ,& orationis sit. In hos ergo grauiter Paulus inuehitur. Vide libros Tertulliani aduersus hanc uanitatem conscriptos: alterum quidem inscriptum, De uelandis uirginibus: alterum, De habitu muliebri. Cyprianus Christi martyr scripsit tractatum de habitu uirginum.

Omnis uiri caput, Christus. Deus caput Christi est: quia dignum est, ut filij caput, pater dicatur. Christus enim Dei est filius: Vir caput est mulieris, quia in eam habet imperium: est enim de uiro, id est, ex eius costa, Dei uirtute formata. Christus autem caput est uiri, id est Dominus. Aut, Omnis uiri caput Christus: id est, omnis fidelis & Christiani caput, est Christus. Sumus nanq; fideles ipsi, Christi corpus, nõ gentiles, quorum nõ est caput Christus, quia nõ sunt eius membra. Aut, Viri caput Christus: quia uir soli Christo subiectus: Mulier aũt & Christo & uiro subiecta esse debet. Obserua: hæc dictio, Caput, diuersam habet intelligentiã, quia & personæ discrepant, & substantiæ.

Caput.

Vir orans.

Omnis uir orans. Non prohibet Paulus assiduè uirum uelare caput, sed solùm dum publicè aut orat, aut prophetat. Existimo ante hæc Pauli scripta, publicum illum orandi modũ, qui, alternis choris respõdentibus, fit in Ecclesia, non fuisse introductum: sed unus aut orabat, aut uaticinabatur, cæteris tacentibus. Quod subindicat uerbũ singularis numeri, quo utitur Paulus, dicens: Omnis uir orans. Ab hoc ritu hactenus nõ recessit Ecclesia, quæ curat Sacrificũ unum orare, & pro omnibus altari assidere, aperto capite, alium legere epistolam, aliũ prophetiam aut Euangelium, cæteris tacentibus & audientibus, dum unus illorũ in sacris pronuntiat uerbũ Dei. Qui cũ alijs cantans psalmos, & huiusmodi pronuntiãs, nõ publica, sed priuata & singulari oratione utitur, nõ personam Ecclesiæ agit. Quare is uelato capite psallens & orans, Paulum nõ offendit.

Velamen capitis.

Deturpat caput suum. Dehonestat Christũ, caput suum mysticum. Aut quia uelamen illud, signũ est cuiusdam seruitutis. Vir autẽ nulli, præterquàm Christo, est subditus, cùm sit princeps, & liber natus. Non igitur uir publicè orans imponat uelamen, id est iugum, capiti. Si quis petierit, Cur Paulus uelamen uiri crimini adscribit? Quia signa data sunt uiro, & mulieri: alteri quidẽ dominatus, qui nullo uelamine operiatur: alteri, id est mulieri, seruitutis, quæ operto capite esse debet. Qui hæc transgrediuntur, Naturæ terminos excedunt. Hoc est, quod Paulus dicit, Nec Natura ipsa docet uos.

Fœminæ prophetissæ.

Omnis autem mulier orans. Erant fœminæ, quæ prophetandi donum haberent, quales Philippi Euangelistæ filiæ extitere, Act. 21. & aliæ pleræq;: has non solùm uaticinij, & orationis tempore, sed opertas semper esse deposcit. Vnum enim est, ac si decaluetur: id est, unum est, & idem: hoc est, nihil omnino refert si decaluetur, aut tondeatur, & derasa sit.

Quoniam imago: Id est, ratione sui principatus, Deo, & nulli creaturæ subditus est. oportet enim principẽ in cõspectu sui imperatoris cum Magistratus insignibus apparere: id est, capite libero & expedito. Mulier autem est gloria uiri, id est, sub uiri potestate & principatu: ideo debet mulier uelamen gestare, tanquã insigne seruitutis, ut demittẽs oculos, agnoscat se & Christo & uiro subditam. Etsi nulla alia ratione, tamen Angelorũ (quos obedientiæ suæ aut inobedientiæ testes habet) ducta, ne in cõspectu illorũ impudens appareat. Mulier enim aperta, est quædã impudẽs, & lasciua caro. Melior est (ait Sapiens) iniquitas uiri q̃ mulier benefaciẽs. Aut uelare debet caput: quoniam uelut profugũ cius caput & fugitiuũ esse debet, quòd credita sibi à Deo potestate

Quid est mulier aperta. Ecclesiast. 14. c

desciuerit: & præuaricatio ab illa inchoata est. Aut, Propter angelos: id est, episcopos, ait Ambrosius: sicut docetur in Apocalypsi Ioannis, ad quos scribit Ioannes.

Angeli episcopi.

Veruntamen neq;. Reuera discrimen est inter uirum & mulierẽ quo ad ornatum capitis: sed in his, quæ ad salutem spectant, pares sunt uir & mulier. Aliter: In prima rerum creatione, fœmina ex uiro: nunc autem Deo sic ordinante, neque fœmina sine uiro, neq; uir sine fœmina est. Omnia autem hæc ex Deo, cõmuni omniũ principio.

Nec ipsa natura docet uos. Excedit naturæ terminos, quòd mulieres prophetantes, sint aperto capite. Dicet aliquis: Si hoc natura est, quare nõ ab omnibus gẽtibus custoditur? Quia illi à natura deciderunt, sicut ex multis alijs comprobatur, imò sine lege uiuunt: apud quos, si Paulus de his loqueretur, alijs uteretur rationibus.

Quod uir quidem si comam. Obijciet aliquis de Nazaræis comã nutrientibus. Respondeo, id ex Dei dispensatione religiosissimè faciebant.

Cõsuetudo ecclesiæ plurimũ autoritatis habet.

Si quis autem uidetur. Occupatio est. Quæret aliquis, quales sunt hæ rationes Pauli de aperiendo uiris capite, & uelando mulieribus: ubi hæc scripta reperit, quis illum ista docuit? Respondet Paulus, autoritate cõsuetudinis ecclesiæ, cùm in uetere tum nouo testamento. Vide & obserua, quàm magnam ecclesiasticæ cõsuetudini autoritatem affert, ad confirmanda quæ uel sacris Biblijs non sunt expressa. Suis syllogismis, & rationibus sophisticis, multa contentiosè refellebant à Paulo dicta Corinthij: sed ait Paulus, Consuetudinem nullam ciusmodi habemus, uel contendendi, uel uirilem enutriendi comam.

Neq; ecclesia Dei. Id est, neq; cæteri fideles ipsi: quasi dicat, cùm nobis obstitis, uos ecclesiæ Dei etiam resistitis.

Hæreses] Sectas

Iam nõ est] Nõ licet

Præsumit] Occupat, auticipat.

De cœna Domini.

Hoc autem prẽcipio: non laudans, quòd nõ in melius, sed in deterius conuenitis. Primùm quidem, conuenientibus uobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter uos: & ex parte credo. Nã oportet & hæreses esse: ut, & qui probati sunt, manifesti fiant in uobis. Conuenientibus ergo uobis in unum, iam nõ est dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnã præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autẽ ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui nõ habent? Quid dicam uobis? Laudo uos? In hoc non laudo.

Cõmunes mensæ olim ex cõsuetudine.

Hoc autem præcipio. Præcipio quidem hoc scilicet, Virum aperto capite, & mulierem uelato capite orare. Non tamen probo, quòd conuentione uestra, seu dum conuenitis, deteriores euaditis: hoc est, non conuiuendi, sed concertandi gratia cõuenithiorũ agnoscere ex probatis autoribus. Erat uetus ecclesiæ mos, Corinthijs acceptissimus, qui (ut apud Chrysostomũ, & alios uetustæ historiæ studiosissimos legimus) cõmuneis faciebant mensas, statutis diebus & festis in ecclesia, ut decebat, & collectione perfecta inibi, post mysteriorum, scilicet corporis & sanguinis Domini cõmunicationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem,ad cõmune epulum omnes,tum diuites,tum quibus res domi angusta erat, conueniebant,cibis & omni impensa per sumptuosos & diuites in ecclesia oblatis: pauperes,& qui nihil habebant,à diuitibus uocabantur, & cõmuniter omnes discũbebant, in hymnis,gratiarumq; actionibus conuiuia illa transigentes,quæ à communi inuicem charitate,Charitates,Charistiasq; uocabant.Augustinus existimat,hos ante receptam sacram Eucharistiam,mensis solitos accumbere,Christum imitatos, qui agnũ paschalẽ primùm discipulis dedit,deinde suum corpus & sanguinem.Siue antè,siue pòst discumberent,procedente tempore,huiusmodi aboleuit consuetudo.Atq; ortis dissensionibus, ritus ille mirabilis,qui mutua charitate, & Christiana philosophia non modica cõstaret,sublatus est,nec ultrà à Corinthijs seruabatur.Ex hac diuisione cõtigit,ut alij his, alij illis sese adiungerent, dicentes, Ego sum Apollo, Ego Cephæ, & huiusmodi: & particularia fierent conuiuia,in quibus sese ingurgitaret.Et ab ijs arcerentur, quibus arctior res familiaris erat,quinetiã priuatim, & non in communi mensa, prout uariæ erant sectæ,Christi corpus & sanguinem sumebãt.Hæc sunt,quæ Paulus arguit, cùm ait,Non laudans,quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Et sequitur: Conuenientibus uobis,audio scissuras,&c.Obiter adnotandum duxi, quod Pontius Paulinus in libello de Gazophylacio docet,Mensam in ecclesia poni solitam,pro pauperibus cibo reficiendis,quam etiam Domini Mensam uocat,& à Domino positam,adhortans ditiores,ut egentibus de suo libenter impertiant.

Hæreses. Oportet hæreses esse. Hæreses hîc dicit,non opinionũ & dogmatũ, sed animorum dissidia.Cùm iam particularia cõuiuia,neglectis pauperibus, celebrari uideã, & alios his,alios uerò illis adiungi:oportet dissidia esse,ut qui probi sunt,manifestentur.Probos,& probatos dicit,qui concœnandi seruarẽt consuetudinẽ. Aut pauperes, qui æquo animo tolerarent se à diuitibus & contemptos,& à conuiuijs expulsos,cùm prius non esset eorum cognita tolerantia.Particula VT, non causam, sed rei euentum
Matth.18.a dicit.Simile est, quod dixit Christus, Necesse est,ut ueniant scandala. Sed non arbitrij libertatem(ait Chrysost.in hunc locũ) his uerbis tollit, neq; necessitatem aliquam, & uiolentiam uitæ imponit:sed quod ob prauam hominum mentem futurum erat, prædixit:ob eorum,qui curari non poterant,uoluntatem.Nõ enim quòd hæc prædixerit, idcirco hæc facta sunt:sed cùm proculdubio futura essent,ideo prædixit.Hæc ille.

Conuenientibus uobis. Relegat eos Paulus ad illam noctem, in qua admiranda mysteria Christus tradidit. Dominica illa cœna communiter omneis habuit inclusos,Magister cum discipulis accubuit,imò ne proditor quidem eiectus est,sed ciborum factus est particeps, & mysteriorum socius. Qui ergo mensas particulares celebratis,non Dominicã cœnam mãducatis,non ritum illius sanctissimæ cœnæ obseruatis.
Dominica cœna. Dominica enim cœna,id est Domini, debet esse cõmunis. Quæ enim Domini sunt, non huius sunt serui,non alterius,sed omnibus cõmunia. Seorsum uescimini, qui in unũ cõuenire debetis mutua charitate,Dominicam cœnam indiscriminatim manducantes.

Vnusquisque enim. Hos placidè & gulæ & temeritatis accusat,dum uentriuiuunt,& inebriantur. Pauper fame conficitur, tu lautius uiuis: inops sitibundus perit,tu uerò oppletus uino,mades totus.Vnusquisque præsumit:id est,antè sumit, anticipat,& occupat suam cœnam,non expectatis pauperibus, priuatam & propriã, non communem faciens cœnam,contra Dominicæ cœnæ imitationem,& obseruatam ecclesiæ consuetudinem.

Nunquid domos. Occupatio est:dices, Non licuit per famem nimis urgentem

tem expectare communem cœnam.Respondet Paulus: Est tibi domus,in qua, famem illam extinguens, priuatim uescaris.Non debes ecclesia tanquam domo priuata & singulari uti. Ecclesia enim facta est,non ut diuisi simus, cùm conuenire oporteat: sed ut diuisi coniungamur:& non confundamus, siue pudefaciamus pauperes, qui nobiscum communem habent Dominum.

Quid dicam uobis. Dicturus est se non laudaturum Corinthios,comessationes & conuiuia huiusmodi facientes:in cæteris autem laudabit. Alij sic, Quid dicam uobis? Laudo uos? pro,Laudabo uos? imò non laudo uos in hoc. Non solùm non laudabo,sed nec laudo.

Ego enim accepi à Domino,quod & tradidi uobis: quoniam Dominus IESVS,in qua nocte tradebatur, accepit panem:& gratias agens, fregit, & dixit, Accipite,& mãducate:hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem,postquàm cœnauit,dicens,Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine:hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Itaque quicunq; manducauerit panẽ hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Matth.26.c Marci 14.c Lucæ 22.b

Tradetur]frãgitur:

Calicem]de poculo hoc

Ioan.6.f

Ego enim accepi à Domino. Particula ENIM, rationem quandam subindicat,cur peccarent priuatim cœnantes. Atque hanc non idoneam esse præparationem,ad sacratissimam Eucharistiam sumendam.Cuius ritum & usum, ante hanc scriptam epistolam,Corinthijs tradiderat:iuxta non humanam,sed diuinam,quàm à Domino acceperat,traditionem.

Quoniam Dominus Iesus. Meminit illius ultimæ noctis, qua Dominus sacram instituit mensam,ut nos compungat.Quemadmodum enim illorum maximè meminimus uerborum,quæ à morientibus ultimo loco audiuimus,& ad hæredes,si eorum mandata auderent contemnere, exhortantes dicimus:Intellexistis, quòd hanc ultimam cœnam dimisit nobis pater,& quo tempore expirabat, hæc præcepit: sic Paulus, Recordamini(inquit)ô Corinthij,hoc ultimum nobis mysterium præbuisse,& ipsa nocte, qua erat pro nobis moriturus, hæc præcepit, & post eam traditam nobis cœnam, non amplius aliam apposuit.Tu accede cum gratiarum actione,nihil indignũ faciens. Noli ignominia afficere fratrem:hunc esurientem caue contemnas:neque inebriare, neq; cõtumeliam dicas in Ecclesiam. Noli à proximo scindi, etenim Christus communem suam cœnam fecit,omnibus æqualiter dedit,dicens,Accipite,& manducate.Neminẽ à sacrore pauperes debetis.Aut nolite indignum ducere ad communem mensam,cùm sumenda est Eucharistia,accedere:nolite priuatam,& à communi mensa remotam adire:Omnium enim Dominus est,& pauperum,& diuitum.

Accepit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Accepit panem. *Accepit panem azymum, quo iuxta præceptum Domini uescebantur phase celebrantes. Gratias egit: id est, Benedixit, ut ait Matthæus. Laudabat patrẽ de reparatione humana proximè facienda.* FREGIT, *hoc uerbũ existimant à Paulo dictũ per anticipationẽ, ut dicunt: quia cõsecrauit hac forma, quam nobis dedit, Hoc est enim corpus meum: posteà fregit, & distribuit accumbentibus. Quidam sic interpretatur (ne ante uerba prolata consecrationem, potestate excellentiæ factam dicere cogamur, néue uerbum* FREGIT, *per anticipationem dicamus) Fregit, id est, diuisit panem in tot buccellas, quot erant Apostoli, & accumbentes. Et sicut in uno calice & poculo sanguinem proprium omnibus sumendum dedit, ita panem in buccellas diuisum in disco consecrauit, & consecratum manibus proprijs tradidit accumbentibus manducandum. Ex hoc ritu, ecclesia patenarum usum apostolica traditione accepit.*

Patenarum usus.

Accipite, & manducate. *Faciunt hæc uerba, ne infantibus, stultis, dementibus, & huiusmodi, Eucharistiam Ecclesia tradat. Sicut enim baptismus natis, & nõ adhuc in utero existentibus, traditur, iuxta præceptum Domini, Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit denuo, &c. Nisi enim is natus sit, qui fieri potest, ut renascatur? Ita non traditur Eucharistia his qui adhuc non possunt accipere, qui non agnoscunt manducandum & sumendum: sed his, quibus uerè dici potest, Accipite, & manducate.*

Eucharistia infantibus non datur.

Hoc est corpus meum. *Nullam hîc metaphoram agnosco, solam ueritatem adoro. Non dixit Paulus, Hîc, id est, in hoc loco: sed, Hoc, id est, hæc substantia: demonstrando quod in manibus haberet, se illis traditurum. Est enim pronominis demonstratiui officium, ostendere substantiam absolutè, & sine qualitate. Non dixit, Apparet aut significat: sed, est, & uerè est corpus, non panis, sed meum. Hæc uerba Domini non solum enuntiant ueritatem, id est, hanc substantiam esse corpus Christi: sed etiam faciunt, quod enuntiant. Faciunt, quòd sub hac specie est uerum* IESV *Christi corpus, & fit transsubstantiatio. De summa trinitate & fide catholica. c. firmiter. In ecclesia. Idem ipse sacerdos est sacrificiũ* IESVS *Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & uini ueraciter cõtinentur, transsubstantiatis pane in corpus, & uino in sanguinem, potestate diuina. De hac transsubstantiatione, uide Doctores scholasticos in* IIII. *Sententiarum, dictione* XI.

Officium pronominis demõstratiui.

Quod pro uobis tradetur. *Prædixerat Apostolis, ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. A Iuda principibus sacerdotum, à principibus, gentibus traditus est. Seipsum uoluntariè tradidit. Oblatus est (ait Esaias) quia uoluit. Ad Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro nobis. Pater misericors tradidit filium. Ad Romanos 8. Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, &c. Pro nobis: id est, pro nostra redemptione, non pro eius culpa. Vt qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, 1. Pet. 2. cap.*

Hoc facite. *Præcepit facere, quod fecit: quod præcipiẽs, ut facerent, dedit illis potestatem faciendi: hoc est, sacerdotes, & presbyteros ordinauit. Non dicit, Hoc dicite: sed, facite hoc, quod feci. Quid fecit? Accepit panem, gratias egit, fregit, & consecrauit, consecratum sumendum dedit. Hoc ergo faciendi potestatem habet sacerdos.*

Commemoratio passionis Christi.

In meam commemorationem. *Quia non iterum moriturus est Christus, ex hoc mundo ad patrem discedens, præcepit hoc sacramentum sui corporis & sanguinis celebrari: quod facientes, memoramus dolores & crucem eius, cuius effusus sanguis facit satis pro omnibus. Quò fit, ut ipsum Christum in Missa offerentes, sacrificij crucis recordationem operemur.*

Similit

Similiter & calicem. *Eo modo calicem, quo & panem accepit: gratias egit, consecrauit & dedit sumendum Apostolis.*

Postquàm cœnauit. *Quasi dicat, inter cœnandum panem accepit, & consecrauit: At finita cœna, seu postquàm cœnauit, calicem accepit, & uinum in calice, seu poculo contentum, consecrauit in sanguinem suum.*

Hic calix, nouum testamentum est. *Integrã formam cõsecrandi calicem uoce tradiderat Corinthijs, cuius sensum hîc refert: Hoc contentũ in hoc calice, seu poculo, est meus sanguis, cuius effusione cõfirmatur nouũ testamentũ. Itaq; carnẽ & sanguinẽ Christi sumentes, nouum consequimur testamẽtum, quod est noua lex, quæ obedientẽ sibi tradit cœlestibus regnis. Nã & Moyses, accepto sanguine uituli in patena aspersit filios Israël dicens, Exodi 24. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus uobiscum, super cunctis sermonibus his. Hoc figura fuit testamẽti, quod Dominus nouũ appellauit per Prophetas, quo promittuntur cœlestia: ut illud uetus sit, in quo terrena promittebãtur, quod Moyses tradidit. Testamentũ ergo sanguine cõstitutũ est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typũ (ait Ambrosius) nos calicẽ mysticum sanguinis, ad tuitionẽ corporis, & animæ nostræ percipimus, quia sanguis Domini, sanguinẽ nostrũ redemit, id est, totũ hominẽ saluũ fecit. Legito* IX. *caput ad Hebræos, infrá.*

Hoc facite quotiescunque. *Præcepit Christus usum huius sacramenti: hactenus uerba sunt Christi, quæ Paulus sequenti textu explanat, maximè partem illã, In meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, id est, corpus meum, quod eo nomine uocat, quia sub specie panis est. Et calicem (supple, cõsecratum) bibetis, mortẽ Domini annũtiabitis. Atq; in his sacris perseuerandũ erit, donec ueniat ille, quem sumitis, secũdo suo aduẽtu, iudicaturus in maiestate sua uiuos & mortuos. Duraturũ enim est hoc iuge Eucharistiæ sacrificium, usq; ad diem iudicij generalis, post quem excellẽtiore modo & palàm illũ in gloria uidebimus, nõ amplius sub speciebus panis & uini, sed iam illius fruemur non solùm corpore, sed & diuinitate.*

Sacrificium eucharistiæ, usq; ad diem iudicij.

Itaque quicunque manducauerit. *Explanat Paulus uerba Christi, Accipite & manducate. Hîc palàm Paulus corpus consecratum panem uocat, non quòd sit adhuc panis, eo modo quo fuit: sed quòd sit panis uiuus, & uitam conferens ueram. Ex hoc textu, Theologi duplicem interpretati sunt manducãdi & bibendi modum, sacramentalem & spiritalem scilicet. Qui manducãt & bibunt (ut dicunt) sacramentaliter & spiritaliter, dicuntur à Paulo dignè sumere. Qui uerò solùm sacramentaliter sumunt, indignè accipiunt.*

Reus erit corporis. *Non dicit Paulus, tanquã corporis & sanguinis, sed corporis: ut agnoscamus etiam indignos, hoc est, immundos, & peccatum in se sentientes, sumere uerum* IESV *Christi corpus, non autẽ solùm signũ. Agnosce quàm grauis sit indignè sumẽtium culpa. Reus erit corporis & sanguinis: ac si dicat, non secus qui indigne sumpserit, sceleri erit obnoxius & obstrictus, q̃ si sanguinem ipsum Domini fuderit. Nam quẽadmodũ cùm tunc Iudæi transfixerũt: nõ ut biberent, transfixerũt, sed ut effunderẽt: ita qui indignè cõmunicat, nullũ inde fructũ cõsequitur, sed peccãs trãsfigit, & effundit: propterea iudiciũ sibi manducat, hoc est, obstrictus est æternæ pœnæ.*

Iudicium sibi manducare.

1. Corint. 13. b

Nõ dijudicãs tanquã promiscuo cibo utens

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit; non dijudicans

Ex indigna sumptione multa incõmoda.

corpus

corpus Domini. Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles,& dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicaremus,non utique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaq; fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum,inuicem expectate.Si quis esurit,domi māducet:ut non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cùm uenero,disponam.

Dijudicaremus,]examinaremus.

Iudicari à Domino.

In iudiciū] Ad cōdemnationē

Probare seipsum.

Probet autem. Ne indignè sumas,proba teipsum,tuam examina conscientiam. Caue de hoc tam sacro mysterio irreuerenter quicquam aut eloqui, aut sentire. Neminem tibi in iudicem proposuerim,præter teipsum.Si quid in legē admisisti, prius purgabis pœnitentia,& confessionis sacramento.

Et sic. Id est,non indignè sumes.Aut,Tua examinata conscientia, purgataq; uera discussione,licebit tibi tanta mysteria adire.Non festis modò profestisq; diebus,sed quouis tempore,quum purum te,& dignum compereris.

De pane illo.

Non dicit solùm de pane, sed addidit, ILLO: ut planè intelligas, non panem quem dedit Moyses, sed quem pater IESV Christi de Cœlo dat, uerum & uuum.

Pœna indignè sumentium Eucharistiam.

Qui enim manducat. Expressit indignè sumentium culpā, cùm dixit, Reus erit corporis & sanguinis. Nunc pœnam indignè sumenti debitam manifestat, damnationem scilicet æternam, si graue & mortale fuerit peccatum. Si uerò leuitate quadam commissum,& ueniale(ut dici solet)temporalem pœnam.

Non dijudicans corpus. Id est,Accedens ad hoc tam sacrū mysteriū,tanquā ad promiscuam,& indifferentem mensam,uescendi gratia panis, extinguendi'ue famē, non dijudicat corpus Domini, non dicit, non cogitat, quis ei seipsum exhibet.

Ideo inter uos multi infirmi. Ne uideatur Paulus solùm uerba dixisse, Reus erit corporis,&c.&, Iudicium sibi manducat, &c.opera & effectus peccatorū indignè sumentium ostēdit,cùm morbos & mortem hìc exprimit: atq; Corinthios testes aduocat:agnoscant ex pœnis, quas patiuntur, se indignè tantum mysterium celebrasse. His terrorem incutit, quemadmodum superiore capite de idolorum sacrificijs agēs,ueteres narrauit historias & plagas in eremo. Ideo ait, Quia non probati,aditis sacra illa mysteria,multi inter uos sunt uiribus destituti,alij longo morbo & febribus correpti,alij immatura morte præuenti. Quid,si quis ad senectam usq; incolumis indignè perseuerans tantum mysterium adierit? Hunc grauior pœna & manet, & expectat. Nisi Paulus has pœnas enumerasset ex indigna sumptione,credidissent Corinthij fuisse purè naturalia accidentia:sicut & à multis nūc perperam fit,qui has pœnas cœlo & influentijs cœlestibus adscribunt,imò aliqui,ipsi fortunæ.

Fructus cognitionis sui.

Quòd si nosmetipsos. Non ait,Si puniremus,si supplicium de nobis sumeremus:sed, Si dijudicaremus,hoc est, si nostra peccata cognosceremus,si condemnaremus nosipsos, liberaremur utiq; & ab huius, & futuri seculi supplicijs. Qui enim (ait Chrysostomus)seipsum condemnat,dupliciter Deum placat: & quòd peccata sua cognoscit,& quòd in posterum pigrior ad peccandum efficitur.

Dum iudicamur autem. Non dicit,Punimur,nō inquit,Pœnas damus: sed, Corripimur,& erudimur:ut ostendat has afflictiones (quibus hìc iudicari à Domino dicimur)admonitionis magis esse,quàm dānationis:medicinæ, quàm supplicij: correctionis

ctionis,quàm pœnæ. Neq; propter hoc tantùm,id est,ut admoneamur, & erudiamur, sed maius minitando supplicium,leue hoc præsens, & nō graues has afflictiones præsentes efficit,dicens,

Vt non cum hoc mundo. Gehennam & horrendum iudicium, necessariam & omnino futuram inquisitionem & supplicium ostendit:quod cùm apprehendimus, leuius has castigationes præsentes toleramus.

Vt non in iudicium. Id est, in uestri iacturam, & condemnationem conueniatis:ne quis intelligat eos iudices adire.

DICTIO.

VELAMEN capitis,hoc loco, non solùm intellige de pileo,uerum etiam de coma,quæ & ipsa caput tegit. Velamen capitis.

DETVRPO, id est,deformo,& dedecoro. Deturpo.

DECALVO, id est,ualde caluum & rasum facio,tondeo. Decaluo.

ANGELVS, commune uocabulum omnibus, qui mandata Dei perferunt, & uerbum eius annuntiant,siue spiritus illi cœlestes sint, siue Prophetæ aut Apostoli in terra.Malach.2.Agge.1.Lucæ 9.Matth.11.cap. Angelus.

COMA, capillitium:sed promissius,seu longius,& curatum:unde Comatulus. Coma, Comatulus.

ECCLESIA,est cœtus & concio: & dicitur consensus fidei, consensus animorum,consensus unius baptismatis,unius Dei.Ephes.4. Vna fides, unum baptisma, unus Deus.Vnde Christiani conciues appellantur.Ephes.2.Esaiæ 70. Atque sicut ciuitas, Ecclesia Dei est,sic ciuitas est consensus ciuium. Ecclesia.

SCISSVRA, est dissidium,sectio,schisma. Scissura.

HAERESIS, hoc loco,nō de dogmate, uel secta dicitur,sed de dissensione illa, quam de mensis habebant,priuata prandia exercentes in Ecclesia. Hæresis.

VT particula,hoc loco,Vt qui probati, &c.non causam, sed rei euentum, & finem dicit. Vt.

COENAM dominicam,aliquando dicimus sacrum illud mysterium corporis & sanguinis Domini: interdum uerò conuictum illum ad uenerandæ illius dominicæ cœnæ imitationem,quam Christus cum discipulis egit. Cœna dominica.

PANIS, pro omni genere ciborum usurpatur.dicitur aliquando corpus Christi, ut hoc loco:Et sic de pane illo edat,&c.Ioannis 6. Non Moyses dedit uobis hunc panē.Allegoricè pro uexatione & afflictione spiritus. Psal.76. Cibabis nos pane lacrymarum.Sunt & aliæ significantiæ tropicæ,quas passim in sacris offendes. Panis.

CALIX,poculū,& uas dicitur.Tropicè pro passione & afflictione: iuxta illud, Pater,si possibile est,transeat à me calix iste.Psal.115.Calicem salutaris accipiam. Calix.

DONEC, aliquando usq; ad rei euentū dicitur,ut hoc loco,Donec ueniat.Scriptura aliquando id,quod perpetuò durare debet,huiusmodi uerbis eloquitur.ut Matt. 5.Non exies inde,donec reddas nouissimum quadrantem. Donec.

HIS uerbis Dormire, & Requiescere, tropo sacræ Scripturæ mors naturalis significatur. 4.Reg.4.Psal.4. 1.Corinth.15.1.Thess.4.Act.7. Dormire. Requiescere.

Vtuaria corporis membra: ita uaria gratiarum dona.

CAP. XII.

Prout]Vtcūq; Euntes.]Sequētes,uel, adducti.

DE spiritualibus autem,nolo uos ignorare,fratres. Scitis autem,quoniam cùm Gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideo no- Marc.9.f

l tum

Spiritus sanctus.

tum uobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema IESV. Et nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto. Diuisiones uerò gratiarum sunt: idem autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt: idem autẽ Dominus. Et diuisiones operationum sunt: idem uerò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus, ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ, secũdum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum, in uno spiritu: alij operatio uirtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.

In spiritu] Per spiritum, & infrà.

Anathema Iesu.] Anathema Iesum. maledicit, & execratur Iesum.

Gratiarũ] Vel, donorum

Ministrationũ] Vel, ministeriorum

Vtilitatem.] Id quod confert, uel expedit.

Operatio uirtutum:] Efficaciæ potẽtiarũ:

Sermonum.] Vel, linguarũ.

Donorum distributio.

Spiritualia.

De spiritualibus autem. *Id est, de Spiritus sancti donis. Cùm cepissent Corinthij fieri Christiani, abunde recipiebãt Spiritum sanctum: non uisibiliter, sed sensibile quoddam indicium dabat operationis illius gratia. Et hic quidẽ Persarũ, ille Romanorum, Iudæorũ alius, alius alia quadã lingua loquebatur. Ex quo perspicuum erat exterius, spiritum in ipso esse, qui loqueretur. Neq; solùm hæc operabãtur, sed & alia plura. Etenim multi mortuos suscitabant, Dæmones expellebant, & donis alijs pollebant: Alij quidẽ minoribus, alij maioribus, ob id multæ inter illos obortæ sunt dissensiones. Nam qui maioribus pollebant donis, alios contemnebant, superbientes: Alij minoribus ornati, maioribus inuidebant. Erant & uaticinatores, prophetarum personas induentes, quos à ueris prophetis decernere docet, & dissidia omnia castigat.*

Scitis autem quoniam. *Reuocat illis in memoriam, quòd aliquando fuerint Gentes. Id cùm iam esse desierint, admonent, alijs moribus esse uiuendũ. Quia tempore idolorum, quidam uaticinabantur. Paulus hoc loco Vatem à Propheta discernit, ut ait Chrysostomus: ne quis Dæmonum delirijs hallucinaretur. Nam ante finẽ & Vates & Propheta cognoscebatur. Vatis propriũ est, mente cõmoueri & necessariò cõpelli, & trahi, tanquàm furijs percitum. Propheta autem non eiusmodi est, sed sobria mente, & modesta, & firma, quæ loquitur omnia, ut decet, nouit. Muta uocat, quia bruta, ligna, saxa, aut aliquid huiusmodi erant. Euntes, pro adducti, aut sequentes, positum est.*

Vates. Propheta.

Muta simulachra.

Dicit anathema Iesu. *Agnosces hominem spiritalem, qui omnia in nomine* IESV *loquitur, facit, aut operatur. Nemo huiusmodi dicit anathema* IESV: *id est, Nemo spiritalis maledicit, & execratur* IESVM, *eiusq; Euangelium.*

Professio christiana est à spiritu sancto.

Et nemo potest. *Nemo potest sentire, & uiua fide fateri,* IESVM *esse Dominum, nisi spiritu sancto doni fidei largitore motus, et impulsus. Professio Christiana, seu profiteri Christum esse Dominũ, est à Spiritu sancto. Huc pertinet, quod 1. Ioã. 4. scribitur, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est &c.*

Dona spiritus sancti.

Diuisiones uerò. *Dona gratias uocat Paulus, & omneis Spiritus sancti effectus: qui etsi diuersi & uarij sunt, uni tamen autori Spiritui sancto attribuẽdi ueniunt: & non diuersis, & uarijs: ut gentiles, qui eloquentiam Mercurio, sapientiam Mineruæ, nauigandi peritiam Neptuno, & huiusmodi somnia uana cogitantes adscribunt. Ipse Spiritus sanctus donum dicitur à patre & filio procedens, qui dona in nos*

Spiritus sanctus.

ex gra

ex gratuita sua bonitate diffundit: sicut Iohelis 2. prædictum est: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Hic spiritus unus, & multiplex est, Sapiẽtiæ 7. Vnus in substantia, æqualis patri & filio. Multiplex in donis, & gratijs. Obserua: Dona dicit, non Debitum: ne, qui plus accepisti, superbias: nec ue qui minus, inuideas, aut tibi debita existimes. Sed iure optimo age gratias Largitori Spiritui sancto, à quo tanquàm ab eodem fonte, tu & ille, hauritis.

Ministrationes.

Diuisiones ministrationum. *Alio nomine, dona illa appellat ministrationes. In Ecclesia, uaria sunt officia & ministeria, quibus uariæ sunt ministrandi gratiæ concessæ ab uno autore, qui Dominus est. Hunc ordinem Ecclesiæ Dei demirata est Regina Saba in domo Salomonis, huius nostræ ecclesiæ typo, 3. Reg. 10. Inter has ministrationes, sunt Apostolatus, Doctoratus, Iniunctio baptizandi, Eleemosynas colligendi, & huiusmodi. Sunt enim ministri Domini ad Ecclesiæ ædificationem. ob id dicit, Idem autem Dominus, cuius sunt ministri, ut suprà 8. cap. Nobis unus Dominus* IESVS *Christus, per quem omnia. Personam Spiritus sancti expresserat: hîc personã Filij explicat, statim explicaturus & Patris personam, ut hanc personarum trinitatem nobis Deum unum explicet, & omnium bonorum in nos autorem, indiuisaq; opera Trinitatis, in his quæ ad nos attinẽt: nempe operante uno, tres operari dicuntur. Vna est enim trium illarum personarum uoluntas, una & æqualis potestas & maiestas, quæ hìc à nobis potius adoranda, quàm inquirenda uenit.*

Trinitas cuius opera sunt indiuisa in his quæ ad nos sunt.

Et diuisiones operationum. *Alio nomine etiam dona exprimit, personam Patris (ut prædixi) explicans. Operationem hîc dicens, uim quandam intelligit, & efficaciam, qua Deus agit in nobis, non sine nobis: sed in nobis ad tollendum errorem corũ, qui causis secundis proprias actiones auferebant, quod Deus omnia operaretur.*

Vnicuiq; autem datur. *Et dona & operationes seu gratias (ut dicunt) gratis datas, uocat manifestationem Spiritus: ijs enim manifestatur Spiritus sanctus. Nominum sunt differentiæ: donum, operatio, & manifestatio: sed res eædem.*

Ad utilitatem. *Id est, ad id quod expedit, seu ad id quod confert, ut utilitati Ecclesiæ consulatur. Hæ gratiæ non solùm dantur, ut manifestent Spiritum sanctum inuisibiliter acceptum, sed ut conferant Christianismo. Hoc loco reprobantur, qui Psalmis, Prophetijs, & huiusmodi utuntur ad quædam uana.*

Sermo sapientiæ. *Non dicit, Sapiẽtiam solùm, sed sermonẽ, ut signum externũ, manifestatiuũ spiritus, ostendat. Sermo sapientiæ & scientiæ dicitur, uirtus promptè & expeditè, explicandi, & effandi, quæ de Deo arcana & recõdita cognoscuntur, tum in sapientia, tum in scientia. Paulus & Ioannes tonitrui filius, & pleriq; alij sermonẽ sapientiæ habuerũt. Sapiẽtia est de diuinis, ut principijs & regulis: Sciẽtia uerò, ex creaturis procedit ad diuina: hoc est, (ait Augustinus) Sapiẽtia est, per quam in se diuina cognoscimus, & contemplamur: Scientia, qua, per bonas actiones, ad Deum tendimus.*

Sermo sapientiæ.

Sapientia. Scientia.

Alteri fides in eodem spiritu. *Fidem non eam dicit, quæ est dogmatum: hoc est, credendorum (hæc enim omnibus Christianis communis est) sed signorum, & agendorum, de qua Marci 11. Christus, Si habueritis (inquit) fidem, sicut granum sinapis, & dixeritis huic monti, transi hinc, &c. Et Apostoli ad eam adhortabantur, dicentes Lucæ 17. adauge nobis fidem, ipsa enim mater signorum est. Fidem hîc intellige uiuam, & fiduciam in Christum.*

Fides mater signorum.

Gratia sanitatum. *Id est, dona sanationũ: seu uis, morbos sanandi, & curandi.*

Sanatio.

Virtutum. *Id est signorum & miraculorum. Qui habebat donum sanandi, curabat*

Virtutes.

rabat solùm: sed qui etiam operationes uirtutum, uim etiam puniẽdi & solo uerbo animaduertendi in peccatores habebat, ait Chrysosto. Quemadmodum Paulus Helymam excæcauit, Act. 13. Et Petrus Ananiam & Sapphiram sustulit.

Prophetia. **Alij prophetia.** Hoc dicebat Thessalonicensibus, Prophetias nolite negligere. Prophetiam dicit futurorum præcognitionem, ut Spiritu repletus (ait Ambrosius) dicat futura. Sumi etiam solet pro scripturarum cognitione infusa.

Discretio spirituum. **Alij discretio spirituum:** Id est, uis & facultas internoscẽdi, quis fidelium sit spiritalis, quis spiritu careat, quis propheta, qui'ue deceptor, quo spiritu quis loquatur, inuidentiæ, an charitatis.

Linguarum uarietas. **Alij genera linguarum.** Simplex intelligit uarijs linguis loquendi donum, distinctũ ab eo, quod est donum interpretandi linguas: multi sanè uarijs loquuntur linguis, à Spiritu sancto moti, qui non planè uocum significantias intelligunt, & quibus non est interpretandi facultas, ut sequẽti cap. 13. dicetur. Qui loquitur linguis, taceat in Ecclesia, si desit interpres. Agnosces ex eo loco donũ loquẽdi linguis, aliud esse à dono interpretandi. Magni apud Corinthios fiebat linguarum gratia (ait Chrysost.) Cui eò plurimùm confidebãt, quòd prius fuissent Apostolis tradita, ob idq; & alijs præstantior gratijs uidebatur, quum esset inferior. Nam doctrinæ gratia longè est excellentior. Et simplex uarijs linguis loquendi donũ, plurimùm antecedit linguarũ interpretatio. Ideo dicebat: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maximè qui laborant uerbo & doctrina. Et ad Timotheum scripsit: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: noli negligere gratiã, quæ in te est. Rectè linguarum uarietatem, Genera nuncupauit.

2. ad Timoth. 4. d

Hæc autem omnia operatur unus, atque idem spíritus, diuidens singulis prout uult. Sicut enim corpus

Membra uaria in uno corpore. unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamẽ corpus sunt: ita & CHRISTVS. Etenim in uno spíritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue

Metaphora corporis naturalis. Gentiles: siue serui, siue liberi: & omnes in uno spíritu potati sumus. Nam & corpus nõ est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodq; eorum in corpore, sicut uoluit. Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij. Sed multò magis quæ uidentur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora

In uno spíritu potati sumus.] unum spíritum hausimus.

Odoratus?] olfactus?

Eorum] singulatim

Infirmiora] imbecilliora

Ignobiliora] minus honesta

membra

Circũdamus:] exponimus: Nostra,] nostri, & infrà.

Schisma] dissidium

In idipsum] idem

Gloriatur] glorificatur, honorificatur

membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra, nullius egent: sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem: ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

Prout uult. Non ut ipsi uultis, sed ut ei libitum est, Spiritus dona largitur, & agit: ut qui Dominus est, & Deus. Neque alterius opera indiget, sed ipsemet operatur sicut & Pater & filius. Tu uerò quis es, cui Spiritus non placeant opera? Quid inuides fratri plus habenti, aut minus habentem contemnis? Hæc enim dona sunt, non debita. Cur sic agat, non alia quærenda ratio, quàm eius uoluntas & beneplacitum. Atque id nobis euidenti est argumẽto, Spiritum sanctum esse Deum. Solius enim Dei est, facere prout uult: cuius uoluntas rectè agentium regula, & index est.

Ita & Christus. Christus unum corpus habet mysticum, Ecclesiam scilicet ex uarijs membris. Quemadmodum corpore & capite homo unus efficitur: sic Ecclesiam ipsam & Christũ tanquàm pro corpore uno & capite ducens Apostolus, pro Ecclesia, Christũ constituit: qui, cùm Ecclesiæ caput sit, ab eo est Ecclesiæ inditum nomen.

In unum corpus. Christo incorporamur per baptismum, & fidem in illũ. In unum corpus: id est, ut unum corpus efficiamur: Neque sub diuersis spiritibus, sed uno eodemq; spiritu, & baptismo uno & eodem abluti. Christo incorporamur.

Vno spíritu potati. Potatus, cui datus est potus. Nobis missus & datus est spiritus sanctus. Omnes (ait Ambros.) unum spiritum potauimus, seu eundem spiritũ hausimus, & accepimus.

Nam & corpus non est. Ex cõparatione corporis naturalis, ad corpus Christi mysticum, docet unitatẽ seruandã, & schismata in Ecclesia (quæ est corpus Christi) uitanda: Vt sicut manus non inuidet oculo, insigniore officio, & superiore ornato, & oculus manũ inferiorem nõ contemnit, sed sibi inuicem seruiunt, & in unũ consentiũt: ita & in ecclesia, quæ est ex multis fidelibus, mutuus debet esse & amor, & cõsensus.

Si dixerit pes. Prosopopœia utitur Paulus, inducẽs membra ipsa loquentia, & perinde iurgantia inter se, ut arguat unum corpus esse, tametsi gratijs differamus. Obserua, pedem non facit cum oculis disceptationem inire, sed cum manu, quæ paulò se sit superior. Auditum introducit cum oculo contendere, ut ostendat his inuideri solere, non qui maximum in modum excellant, sed qui plusculum prouehuntur.

Nunc autem posuit Deus. Corinthios & superbos frænat, qui suis meritis, & proprijs operibus has gratias, et dona sibi adscribũt. Quãdo ita Deo beneplacitum est, & pro sua immensa prouidẽtia fecit pedem, infimas parteis: manũ, mediã: & oculum, arcẽ ipsam in corpore habere: quæ tamẽ inuicẽ non tumultuãtur. Ita & qui in Ecclesia humilior est, sua sit cõditione cõtentus: & qui sublimior, nil efferatur: cùm id diuino munere & dono acceperit, non propria uirtute. Hæc omnia prout uult Deus, mẽbris Ecclesiæ largitur, disponit, ordinat. Quis igitur es, qui diuinæ uolũtati & ordinationi aduersari uis? demitte superciliũ, & gratias age, pro acceptis à Deo beneficijs.

Membra infirmiora & necessariora.

Membra ignobiliora.

Membra inhonesta.

Quæ uidentur infirmiora. *Infirmiora & necessariora membra dicere uidetur Paulus Oculos, quibus plurimum curæ adhibendum est, quòd pusilli sint, & reliquis membris infirmiores: maximè tamen sunt necessarij. Ignobiliora, Pedes, ut postremos, & humi iacentes, quibus plurimum curæ adhibẽdum est, ut inoffensi, & tersi seruentur. Inhonesta, pudenda, seu quæ inferiora sunt nobis (ait Ambrosius) reuerentiam abundantiorem habent, seu honestiori tegumẽto uelantur. Sunt qui infirmiora putant, Ventrẽ, Hepar, & Splenẽ, quæ facilè læduntur, & magis necessaria, quàm sint oculi.*

Nullius egent. *Id est, Facies, Nasus, Oculi, & ea quæ in nobis patére solent, non habent opus eo honore addito.*

Temperauit corpus. *Deus contemperauit, seu simul moderatus est & miscuit membra, tẽperatura quadam, ut sibi mutuo sint auxilio, mutuus sit consensus, & non schisma, id est, diſsidium.*

Siue gloriatur unum membrum. *Id est, si unum membrum glorificatur, siue honore afficitur, cætera membra gestiunt, & congaudent, tantum abest, ut contristentur. Manifestum est, quia lætum est Caput, siue cætera membra, si Pedes fuerint accurati & sani. Sic debemus & nos alacres fieri, si fratrem aliquem uiderimus cultorẽ Dei, & auctũ honestate morum, hoc est, sanum esse consilio. Colligamus ex his, æquum esse, omnes nos debere esse eadẽ mente, & eadẽ sententia. Titus Liuius 2. lib. dec. 1. autor est, Menenium quendam Agrippam pari corporis & membrorum parabola grauissimos motus, inter Senatum & Plebem ortos, composuisse. Copiosissimè eadem exponitur à Dionysio Halicarnasæo lib. antiquitatum 6.*

Christi corpus. Ecclesia. Ephes. 4. c

De membro.] ex parte, id est, aliqua pars mẽbrorum.

Virtutes,] potestates, & infra.

Opitulationes,] subsidia.

Aemulamini autẽ] Sectemini uerò dona potiora.

Vos autem estis corpus Christi, & mẽbra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes uirtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem uiam uobis demonstro.

Vos autem estis. *Si corpus nostrum seditiosum esse nõ decet, quãtò minus corpus Christi, quod estis? non quidem totum, sed membra ex membro, seu ex parte: ut intelligamus Corinthios esse tanquàm membrũ, et ab alio pendére, mutua cõnexione. Nõ erant Corinthij omnia membra mystici corporis Christi, sed aliqua pars, unita quidẽ mutua cõnexione cũ reliqua parte, seu reliquis fidelibus. Quidam legũt, Membra ex parte: quòd Corinthij nondum omnes essent membra Christi, sed aliqua ex parte.*

Apostoli. Episcopi.

Primùm apostolos. *Apostolos hic prælocauit (ait Chrysostomus) ut qui omnia in se donorũ genera haberent. Ad hos spectat uniuersalis ecclesiæ regimen, non solùm uerbo & actis, sed etiam scriptura. Quò fit, ut scripta ab Apostolis, & ab eis probata,*

probata, autoritatem sacræ Scripturæ habeant. Hi sunt Episcopi, confirmante Petro istud, & inter cætera de Iuda, dicente, Et episcopatum eius accipiat alter. Dicuntur Legati IESV *Christi, 2. Corinth. 5.*

Legati Iesu Christi.

Secundò Prophetas. *Apostolos, seu episcopos tanquàm bonorum omnium duces præposuit: deinde Prophetas subiecit: non illos ueteris testamenti, qui usque ad Ioannem Baptistam fuerunt: sed eos dicit, qui post Christi aduentum, futura prædicerent. Summa largitate donum Prophetiæ peruasit, & unaquæque ecclesia iam multos habebat prophetantes, ut quatuor filias Philippi discipuli & Euangelistæ, Act. 21. Vt Agabum, qui Pauli uincula prædixit, & famem quæ facta est sub Claudio. Act. 11. Vt illos ipsos Corinthios, de quibus inquit, Prophetæ autem duo aut tres loquantur. Sed Timotheo scribens, Ne neglexeris, inquit, quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam. Adeoq; plures tum erant, quàm ueteri lege. Ambrosius Prophetas dicit, & futura dicentes, & scripturas reuelantes.*

Prophetæ noui testamenti.

Tertiò Doctores. *Post Prophetam, Doctorem locauit: quod illud quidem totum est muneris diuini: hoc, & laboris humani, ait Chrysostomus, Nam & ex suis multa Doctor affert, congruant modò Scripturæ. Quæ ab Apostolis & Prophetis tradita sunt, interpretatur Doctor.*

Doctores.

Deinde uirtutes. *Id est, potentiæ, seu qui morbo affectos sanitati restituebant, & aduersarijs inferebant supplicia, uerbo q; solo in blasphemos animaduertebant. Ideo uirtutes sanandi gratijs præposuit, quæ bonam duntaxat reddebant ualetudinem. His tamen præfertur Doctor, qui eloquentia, & alijs uitæ actionibus, cæteros instruit.*

Virtutes.

Opitulationes. *Id est, subsidia. Quæ Imbecillos & ægrotos amplecti, suscipere, & de his curam habere, & gubernare. Maximum est diuinæ beneficẽtiæ signum, in rebus spiritualibus gubernatorem, æconomum, & hortatorem esse. Quidam interpretantur Gubernationes, ministerium, quo aliqui gubernandis temporalibus bonis, in cõmunem Ecclesiæ utilitatem oblatis, ut Diaconi Hierosolymis destinati erant.*

Opitulationes.

Genera linguarum. *Variarum linguarum cognitionem, & pronuntiationem: ut, prænotauimus, hoc postremo loco linguarũ donum posuit, ut coërceret Corinthios, qui in eiusmodi linguarum uarietate nimium & insolescerent, & superbirent.*

Linguarum genera.

Aemulamini autem. *Id est, ad ea nitamini dona Spiritus, quæ sunt eximia, & potiora, seu quæ magis cõducunt ad utilitatem publicam. Obserua, nõ dicit, Maiora, sed Meliora, hoc est, potiora, & magis utilia, non ambitus accuseris. Cùm Aemulamini dicit, studium exigit, & maiorem quandam in comparandis spiritalibus cupiditatem.*

Aemulari.

Excellentiorem uiam. *Viam se dicit illis ostendere planiorẽ, qua itur ad cœlum, quæ meritum collocat apud Deum, Charitatem scilicet. Quæ dicta sunt, non merita, sed Ecclesiæ officia ad Gentilium confusionem, & Dei honorificentiã protestandam.*

CONCILIATIO.

Prima.

NON coheret hæc Pauli sententia, Nemo dicere potest Dominum IESVM, nisi in spiritu, cum Luca 4. cap. Exibant autem dæmonia a multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei. RESPONDET Chrysostomus: Dæmones uerberati & coacti, non sponte illa pronuntiabant. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, dicit Apostolum posuisse uerbum, quod est, DICIT, ut significet uoluntatem, atque intellectum dicẽtis. Verè Christianus & animo & uoce IESVM fatetur Dominum & Deum, isq; est Spiritus sancti effectus. Christus autẽ generaliter posuit uerbum, DICIT, cum ait, Non omnis qui dicit, Domine, Domine, &c. Videtur enim dicere,

Dicere quid est. *cere, etiam ille qui nec uult, nec intelligit quod dicit: sed ille propriè dicit, qui uoluntatem & mentem suam sono uocis enuntiat. Hæc Augustinus.*

Secunda. QVID hìc Paulus multos enumerat Prophetas in ecclesijs, cùm Christus dixerit, legem & prophetas usq; ad Ioannem durasse? CHRISTVS de Prophetis aduentum suum prænuntiantibus, Paulus uerò de ijs, qui futura prænuntiant, est loquutus.

DICTIO.

Charisma. SCHISMA, sectio, diuisidium: Charisma donum & donatio gratuita, opitulatio, subsidium est & subuentio.

Charitatis descriptio. CAP. XIII.

Charitas. SI linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperũ, omneis facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.

Cibos] Alimoniam
Ita ut ardeam:] Comburar:

Si linguis hominum. *Quanquàm benignissimè & liberalissimè Christiani ditati sint donis præclarissimis, perpauci tamen inueniuntur, qui illis rectè & piè utantur, sese demittentes, & per ea alijs inseruiẽtes, ut est natura Charitatis & dilectionis: sed multi, qui nomen sibi & rem quærũt, primas in omnibus ambiunt, ac præstare alijs laborant. Huius laudis studiosos Paulus hìc taxat, & pronuntiat eos nihil planè esse, quando abest Charitas, etiam si adhuc multò celsiorem haberent cognitionem, & dona longè ampliora. At quoniam de dono linguarum maximè gloriabantur Corinthij, ab illis incipit: Si linguis hominum loquar, & angelorum: hoc est, si adeò feliciter & scitè docerem, & prædicarem, ut nemò hominum uel angelorum magis scitè aut felicius, ut uerba elegantissimè & dulcissimè sonarent: essem autem absq; charitate, hoc est, famam & laudem, non solam salutem proximorum in eo, uel spectarem uel quærerem: essem uelut æs tinniens: hoc est, possem fortè per hæc aliquid alios docere, tinnitu uerbi Dei aliorum aures ferire: sed coram deo, omnino nihil essem. Cùm dixit, Et angelorum:*

Lingua angelorum. *nõ id quidem, quòd angeli linguas habeãt, sed ut exprimeret melius quiddam, & præstantius, quod humanas excederet linguas. Linguam angelorum dicens, non carneum instrumentum: sed beata spirituum inter se colloquia, more nostro loquens linguam uocauit. Sicut alibi dicens:*

Philip. 2.b *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. Non equidem genua, ossa'ue angelis & spiritibus tribuit: sed hæc pronuntians, eminentem adorationem pro humano captu declarat. Lingua angelorum, dici potest potentia quædam intelligendi, qua inuicem diuina communicant sensa, cui nomen inditum est ex nostri organi similitudine ad promenda uerba. Charitatem, de qua*

Charitas. Matth. 22.b *hìc Paulus loquitur, Theologi intelligunt dilectionem, quæ diuidit & separat filios regni, à filijs perditionis. Hanc uocat Christus in Euangelio, Vestem nuptialem, qua induti conuiuæ (ait Augustinus) securi discumbunt.*

Prophetia, Et si habuero prophetiam. *Id est, si gratiam uel futura prædicendi, uel script*

scripturas intelligendi habuero, & absit charitas, uerè nihil prodest: ad Dei enim gloriam prophetatur. Non nobis Domine, (ait Dauid) non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Huiusmodi prophetantes in sacris reperies. Nam & Balaham prophetauit, cùm propheta non esset, (ait Ambrosius) sed Ariolus. Et Caiphas prophetauit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdotalis. Et Saul prophetauit, cùm iam inobedientiæ causa, spiritu malo fuisset repletus.

Pſal. 113 Numeri 24 Ioan. 11.f 1. Reg. 10.c

Et nouerim mysteria omnia. *Nosse mysteria, est Scripturæ reconditos atq; allegoricos sensus eruere. Vt Paulus Galat. 4. per Saram & Agar, duo testamenta: per Isaac & Ismaël, duos populos docet significatos. Item ut Christus seipsum per serpentem æneum asseruit significatum, Ioan. 3. huius generis sunt cognoscere: quomodo Dauid, Salomon & alij, Christi typum gesserunt. Sic ergo spiritualem aliquã doctrinam, sub historia & rebus externis cognoscere, uocat Paulus, Nosse mysteria. Iudæ nihil profuit fuisse cum Apostolis, & didicisse mysteria, cùm charitatis inimicus & hostis, tradidit Saluatorem. Et propheta Ezechiel cap. 28. Diabolum mysteria cœlestia scire ostendit, quando increpata uoce, in paradiso illum fuisse, & pretiosos lapides habuisse testatur. Hæc nihil illi profuerunt: quia charitatis immemor, in superbiam prosiliit.*

Nosse mysteria.

Et si habeam omnem scientiam. *Scientiam uocat, nosse quid facto opus sit in rebus istis externis, quibus uti deceat, quibus non: siue hæc humanitus fuerit acquisita, siue diuinitus infusa. Scribis & Pharisæis nihil profuit scientia, qui charitatem sua inuidia suffoderunt.*

Scientia.

Et si habuero omnem fidem. *Fidem hìc dicit donum, superiore capite expressum. Hæc est fides illa magna, qua etiam montes transferuntur, grano sinapis in Euangelio comparata, non ob sui exilitatem, sed uim & acrimoniam: qualis est in modico sinapis grano. Licet maximum sit transferre montes, id tamen nullius momenti, si absit Charitas.*

Fides. Matth. 17.c Lucæ 17.c

Et si distribuero. *Papè hyperbolen (scribit Chrysostomus) Nã & hæc ipsa noua cũ amplificatione proponit. Neq; enim si pauperibus alteram facultatum mearum, duas'ue, aut treis (inquit) dedero partes, sed si uniuersas dedero: imò & si tradidero corpus meum, non dixit, ut moriar, sed quod omnium est uisum grauissimum, ut uiuens ardeam, & uiuus comburar, haud magnum ex ea re erit lucrum, si fratrem negligam.*

Aemulatur] Inuidet,
Non agit perperam,] Charitas non est procax, uel nõ adulatur, aut ostẽtat sese,
Ambitiosa,] Agit inhoneste, uel, nõ est fastidiosa: nihil sibi indecorum putat, quãtumuis humile officiũ.
Euacuabũtur:] Abolebuntur: & infrà.

Euacuauí] Aboleui

Charitas patiens est, benigna est: Charitas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati: omnia suffert, omnia credit, omnia superat, omnia sustinet: Charitas nũquàm excidit, siue prophetiæ euacuabuntur: siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem uenerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus. Quando autem factus sum uir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum

Paruulus. Vir.

in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum, est Charitas. Maior autem horum,] Maxima ex his,

Charitas patiens.

Charitas patiēs est. *Membra & species Charitatis describit. In primis Charitas reddit hominem longanimem & patientem, benignum & tolerāter ferentem eum qui iniuria affecerit. Aut cùm dicitur, Benigna est: pro quo Ambrosius legit, Iucunda est: significatur comitas, ac suauitis morum, quæ opponitur asperitati ac difficultati seu morositati. Vera pietas nescit supercilium, simulata sanctitas asperitate morum grauis est. Benignitas Latinis plerunque ad beneficentiam pertinet. Sic enim à bono dicitur Benignus, ut à malo Malignus.*

Benignitas.

Aemulari.

Non æmulatur. *Non inuidet: Non enim liuore inuidia'ue ringitur ex alienis donis, cùm sua largitur.*

Perperam.

Non agit perperam. *Non agit contumeliosè, petulanter, inconstanter, leuiter. Videtur uox Perperam, à Perperis fratribus esse confecta, qui Cecropes dicti sunt, quorum procacitas & improbitas, etiam fabulis est nobilitata. Perperam agere dicitur, qui data opera secus agit, quàm oportet.*

Ambitio.

Non est ambitiosa. *Non est fratrum contemptrix. Nemo illi sordet: nullus ab ea spernitur.*

Non quærere quæ sua sunt.

Non quærit quæ sua sunt. *Omnia sua profundit, omnia proximis consecrat, ut illorum utilitatem, famam, dignitatem, uitam, & salutem promoueat.*

Non irritari.

Non irritatur. *Bilem illi nunquàm moueris qualibet uel iniuria, uel ingratitudine: mansuetissimè omnia perfert, neque se ulla re commoueri sustinet.*

Non cogitare malum.

Non cogitat malum. *Non imputat cuiquam malum, nec malum cogitat de quoquam. Non liuore tenetur ad uindictam, uel ut superior euadat.*

Non gaudet super iniquitate. *Nil prorsus lætatur, cùm iniuria cuiquam, uel malum infertur: sed congaudet ueritati.*

Omnia credere.

Omnia credit. *Simplex res est Charitas, credit fiditq; facilè omnibus, cunctos sui similes existimat simplices & rectos, nihil doli suspicatur.*

Omnia sperat, omnia sustinet. *De omnibus semper meliora sperat, quamlibet mali quidem sint. Cogitat continuò, ac dicit, Speranda sunt meliora: aut qui credit, sperat: & qui sperat, sustinet: hoc est, durat in tempus, ut promissa appareant.*

Charitas non excidit.

Charitas nunquàm excidit. *Charitas nunquàm cessat, ubiq; prodest, ubiq; est usui. Nunquàm diligentibus Deum intermoritura est, æternùm perseuerat, etiam in uita futura, sed reliqua bona abolebuntur. Siquidem in uita futura quilibet Deum apertè conspiciet, non erunt illhic, qui prophetent, aut linguis loquantur, ad reuelanda Dei mysteria. Erit nanque Deus omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. Hîc Paulus excursum facit uitæ præsentis, ad futuram. Quæ hîc obscurè cognoscimus, illhic nuda & aperta erunt omnia. Non erit opus prædicatione, dono linguarum, & huiusmodi. Apertum & euidens erit Euangelium, quod hîc fide amplectimur.*

Ex parte cognoscere.

Ex parte enim cognoscimus. *Id est, nostra cognitio imperfecta est, quia constat fide, non aperta, & euidente cognitione. Ita & prophetia nostra inabsoluta est, & obscura, quanquàm utraque & cognitio & prophetia nihil minus indicent, quam Angeli uident, nimirum eundem Deum: sed, ut dictum est, obscurius, & imperfectius atq;*

atque illi uident. Quare non uanum est, quod in prouerbio est, Senesco semper multa addiscens. Et quod dicit Seneca in epistola ad Lucilium: Tandiu discas, quandiu nescias, aut, ut dicitur, quandiu uiuas.

Cùm autem uenerit; *Id est, cum euaserimus in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ephes. 4. Auferetur obscura cognitio. Lege infrà adnotatum in illud, In uirum perfectum. Ephes. 4.*

Cùm essem paruulus. *Eleganti, & familiari similitudine probat, quod dixerat, per interualla increscere scientiam, eamq; nō absolui, nisi imperfectio morte semel exuatur. Vt ætas auctibus & interuallis crescit, ita & scientia, donec assurgat ad plenam intelligentiam. Senes obliuiscimur rerum puerilium: imò quod oblectamēto erat, molestiam parit. Cùm in Christo uirilem, & plenam induerimus ætatem, quæ huius uitæ corruptibilia & imperfecta, derelicta & abolita erunt.*

Videmus nunc. *Fides, ut speculum & ænigma est: in speculo enim non est ipsa facies, sed faciei imago: ita in fide non est ipsa æternæ diuinitatis facies, sed imago quædam eius, per uerbum repræsentata. Ita Aenigma aliud significat, quàm uerba præ se ferant. Reddunt itaque hæc obscuram cognitionem. Videmus quidem Deum trinum & unum, non clarè, sed per speculum: hoc est, per creditas similitudines quasdam horum inferiorum, quibus ad illa superna ferimur: idq; fit in ænigmate, hoc est obscurè.* Fides ut ænigma.

Tunc autem facie ad faciem. *Non equidem quòd facies quædam Deo sit, (ait Chrysostomus) sed ut ex eo ostendat notionem quandam manifestiorem, & magis patentem futuram: hoc est, uidebimus ipsam Dei essentiam, 1. Ioannis 3. cap. Videbimus eum, sicuti est.* Facie ad faciē.

Nunc cognosco ex parte. *Ex parte cognosco, quia in ænigmate, & nō plenè, seu nō facie ad faciem uideo, & cognosco rem ipsam. Tunc autē, id est cùm hūc spiritum, & hanc animam efflauero, siue ex hoc corpore emigrauerit anima, cognoscam sicut & cognitus sum: id est contemplabor, & uidebo ea, quæ sacræ literæ me docuerunt: atque ijs fruar, quibus me aliquando fruiturum speraui, dum hic uiuerem. Cognitus sum, dicitur pro eo, quod est, doctus sum.*

Maior autem horum. *Inter hæc, quæ præscripsimus, summum tenet locum Charitas.*

CONCILIATIO.

PAVLVS hîc enarrans claram illam futuram uisionem, quæ erit facie ad faciem, & hanc quam hîc habemus obscuram, aduersatur Patriarchæ Iacob dicenti Genes. 32. Vidi Dominum facie ad faciem. NON eam, quā nunc in cœlis uisionē clarā, nudā, & apertā, sed obscurā in uiro luctāte habuit Iacob. Excellentiā autē illius apparitionis tā familiaris expressurus, hac loquēdi formula est usus, Vidi Dominū facie ad faciē.

DICTIO.

EX PARTE: Id est, imperfectē.

CYMBALVM, Instrumentum musicum, quod in sacris matris Deorum cum tympanis habebatur, ob perpetuum strepitum, sonitum, & tinnitum. Cymbalum.

AENIGMA, obscura allegoria, uel quæstio obscura, quæ difficilè intelligitur, nisi aperiatur: ut illud Iudicum 14. De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo. Aenigma.

PERPERAM: Id est, peruersè. Perperam.

MAIOR autem horum est Charitas: pro, Maxima ex his Charitas: aut, Maior his est Charitas. Quanquā & Latini ad exemplū Græcorum aliquoties comparatiuū

usurpant

usurpant pro superlatiuo: ut illud Catulli, Hesperе qui cœlo luces iucundior ignis. Et Quintus Curtius, Duo maiora omnium nauigia, dixit. Et Græci nonnunquam comparatiuis, superlatiuorum uice abutuntur.

Linguæ sine interprete non prosunt. CAP. XIIII.

Charitas. Prophetia. Loqui lingua.

SEctamini Charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loqitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit: Spiritu autem loquitur mysteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat. Volo autem omneis uos loqui linguis: magis autem prophetare. Nã maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.

Ecclesiam] congregationem

Studium bene merendi. Sectari.

Sectamini charitatem. *Omni conatu uult Paulus, nos eniti ad bene merendum. Vocat enim studium bene merendi, charitatem. Non dixit, Sequamini: sed, Sectamini. Nam qui sectatur aliquid, non solùm amat quod persequitur, sed ad illud toto conatu contendit, non antè desistens, quàm persequendo consequatur: quod quidem si per se non potest, per eum qui se præcedit, fugienti incumbit, proximum quenque flagitando, horrando, retinere & seruare sibi comprehensum uelit, dum consequatur.*

Aemulamini spiritualia. *Ne existimetis me idcirco Charitatem adeò extulisse, ut Spiritus dona extinxisse uiderer: Dico, Aemulamini spiritualia dona, præcipuè munus prophetandi adipiscamini. Dona hæc spiritualia uocat, quòd afflatu Spiritus dentur, aliquoties etiam malis: inter quæ tamẽ primum locum tribuit prophetiæ, quam hoc loco uocat interpretationem diuinæ Scripturæ.*

Dona cur spiritualia dicãtur. Prophetia.

Loqui lingua.

Qui enim loquitur lingua. *Qui peregrina, & incognita lingua loquitur, ut pronuntians canonicas orationes, & easdem non intelligens, non ad hominum ædificationem loquitur, seu homines non alloquitur: sed Deum in spiritu, in cuius laudem hæc pronuntiat. Nemo enim audit: id est, intelligit, & cognoscit peregrinam linguam, & illius uocis significantiam.*

Linguæ donũ. Spiritus, uox.

Spiritu autem loquitur mysteria. *Nolim existimes superuacaneum esse, quòd lingua loquatur: per hũc Spiritus sanctus loquitur magnalia Dei. Obserua. Qui dono linguarum solo donabatur, neque seipsum intelligebat, neque ab alijs intelligebatur, nisi fuissent interpretes: sed accepto dono linguæ, mouebatur à Spiritu sancto, ad loquendũ magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat ei eloqui: huius lingua nõ solùm mouebatur ad pronũtianda uerba, sed & ipse affectus miro ardore ad Deum, Spiritu sancto ductabatur. Beatus Chrysostomus legit, Spiritu, non Spiritus: ut dicatur à Spiritu motus, hæc mysteria Dei pronuntiare. Aut Spiritu datiuus erit, id est Spiritui: ut respondeat illi quod præcessit, Nõ hominibus loquitur, sed Deo. Beatus Ambrosius, Spiritu auferendi casu legit: atque Spiritum accipere uidetur pro uoce, cùm adscribit, Spiritu autem loquitur, non sensu: quia ignorat quod dicit.*

Nam

Nam qui prophetat. *Prophetia utilior est, præstantior est dono linguarum. Siquidem prophetia à Spiritu est, instabiles & labentes ædificat, segniores hortatur & excitat, pusillanimes consolatur, audientibus uniuersis utilitatem impertitur, & toti Ecclesiæ prodest. Lingua autem loquens, nõ omneis, sed seipsum ædificat: id est, uni sibi prodest. Quantum igitur priuato publicum differt, tantum prophetia linguis.* Prophetiæ uis.

Volo autem. *Ne per inuidiam linguis detrahere uideretur (nam hoc dono multi pollebant) eam suspicionem correcturus, Placet (inquit) loquamini omnes linguis, magis uerò ut prophetetis. Maius & minus rerum est non contrariarum, sed excellentium. Ex quo liquet, donum nõ reprehendi, sed illos ad præstantiora uocari. Non solùm uolo (ait) omneis loqui linguis, sed etiam prophetare: & hoc magis, quàm illud.*

Nisi interpretetur. *Interpretatio est gratia Spiritus, quam prophetiæ nõ posponit, ut quæ multis & Ecclesiæ utilis est. Obscurioribus enim interpretatis, quæ lingua explicantur, ædificatur Ecclesia. Hæc ædificatio fructus est interpretationis, quem non habet simplex linguæ donum.* Interpretatio.

Tamen] quin etiam

Manifestum] significantem

Vtputa, Iuerbi gratia, Linguarũ] uocum

Virtutem] uim

Cui loquar,] qui loquitur,

Aemulatores] sectatores

Abundetis.] excellatis.

Nunc autẽ, fratres, si uenero ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Tamen quæ sine anima sunt uocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Et enim si incertã uocẽ det tuba, quis parabit se ad bellũ? Ita & uos per linguam nisi manifestũ sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes. Tam multa, utputa, genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine uoce est. Si ergo nesciero uirtutẽ uocis, ero ei, cui loquar, barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus. Sic & uos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abũdetis. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Cæterùm si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet AMEN, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter nõ ędificatur. Gratias ago Deo meo, quòd omnium uestrum linguis loquor. Sed in Ecclesia uolo quinque uerba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quàm decem millia uerborum in lingua.

Orare.

Cęterum] alioqui

Benedixeris] id est, laudes & celebres Deũ

Idiotæ,] Indocti,

Omniũ uestrũ] magis quàm omnes uos

Sensu meo] mẽte mea

Benedicere.

Nunc autem, fratres. *Nisi dixero quod facilè clareq; à uobis percipi possit, sed linguarum munere præditũ esse me tantùm ostendã, nullum ex his, quæ nõ intelligitis, fructum facientes, abibitis credo. Nam quæ utilitas esse ex uoce non intellecta potest?*

Hoc

Hoc confirmat ex metaphora tubæ & citharæ, quæ non rhythmo, nõ harmonia debita, sed confusè, simpliciterq; sonans, & inspirata, neminem afficit audientem. Cùm dicit, Siue in reuelatione: id est, nisi ea tradiderim, quæ solẽt explicari, qui dono reuelationis pollent: aut in scientia, qualia proferre debent, qui diuina mysteria aperiunt Auditoribus: aut in prophetia, quando de præteritis, deq; præsentibus atq; futuris rebus disserit quispiã: aut in doctrina, id est, in specie quadam sermonis uim instruendi habentis, quũ de uirtute uel dogmatibus oritur disputatio, uel ad Audientiũ utilitatem fit instructio.

In aëra loqui. **In aëra loquens:** *Id est, frustra, & in uanum.*

Vtputa. **Vtputa genera linguarum.** *Vtputa, id est, uerbi gratia. Hac formula nimirũ utimur, cùm exemplum fingimus, aut ponimus. Tot sunt genera uocum in hoc mundo, & nullum horũ genus est aphonum, id est, uoce carens siue mutum, hoc est proprias habens significantias, ut intelligantur: quas nisi intellexero, ero, cui loquar, barbarus: nec intelligã, nec intelligar. Dicet aliquis, si simplex lingua Mortalibus nihil erat profutura, quare conferebatur? Respondeo, Vt illi cõducat, qui eam acceperit. Aut qui munus interpretãdi nõ habeat, eũ adhibẽs q habet, suũ munus per illius, utile multis reddat.*

Sic & uos, quoniam. *Quoniam ad spiritus dona anhelatis, agite, non solùm ut potiora possideatis: sed etiam cum abundantia habeatis, modò ad communem utilitatem possideatis.*

Et ideo qui loquitur. *Modum exprimit, quo id donum in communem Ecclesiæ utilitatem cedat. Postulet non linguæ solùm, sed interpretationis etiam donum, ut prodesse omnibus queat.*

Orans lingua. **Nam si orem lingua,** *Si puro linguæ & non interpretationis dono, supplicationẽ pronũtio, ut assolent Latini homines Græcè cantare, oblectati sono uerborũ, nescientes tamen quid uerba significent. Spiritus meus: id est, uox mea, aut gratia agitans linguam, uocem formandi gratia, orat: uocalis est oratio. Mens autẽ mea est sine fructu: id est, Intellectus meus, nõ intelligens orationis uoces, & earũ significationes, nihil utilitatis habet, seu nõ pascitur sensu & intelligentia orationis. Scopus tamen & intentio huius orãtis, plurimũ sic orandi prodest. Quinetiã fit plerunq;, ut plus fructus cõmunis (qui est lumen Dei, ad ea quæ sunt propriæ salutis) percipiat huiusmodi orantis mens ex feruore spiritus in Deũ, q̃ percipiat orans Theologus, sciens & cognoscẽs abstrusos huius orationis & psalmi sensus omneis. Multũ enim utilitatis affert pia illa intentio, seruiendi Deo, laudandi Deũ, reuerendi eum, ac diligendi: ut ait sacra facultas Theologiæ Parisiensis, Titulo 19. in Determinationibus suis. Non dicit Paulus, spiritus orat: sed, spiritus meus: ut uocalem sonum, & non Spiritum sanctum exprimeret.*

Quid ergo est? *Id est, quid maiorem poterit afferre utilitatem, quid'ue à Deo est magis efflagitandum?*

Orabo spiritu, orabo & mente. *Efflagitandum est, oremus nõ solùm spiritu & uoce, sed etiam mente: id est, meditatione orationis sensum concipientes. Itemq; psallam non modò spiritu seu uoce, sed & mente: hoc est, psalmi decantati meditatione, concipiam quid oratione significatur. Non dicit Paulus, malũ esse psallere, aut orare uoce, absq; orationis cognitione: sed melius esse & uoce & meditatione orare, cognito orationis sensu. Aut orabo spiritu, orabo & mente, oratione interna, spiritus feruore motus.*

Cæterùm si benedixeris. *Hîc loquitur Paulus de publicè orante. Si Deum laudaueris aliena & peregrina lingua, ex dono Spiritus, corã laico benedictionis tuæ significantiã non cognoscente, non aderit, qui responsurus sit tibi, Amen, finem orationis*

nis facienti. Seu, non erit qui tuæ benedictioni testimonium perhibeat, uel consensum. Laicus. *Quoniam quid dicas, nescit laicus, qui nullo gradu ecclesiastico fungitur: aut, si benedixeris spiritu, id est, uoce tantùm non intellecta ab assidentibus.*

Nam tu quidem bene. *Laudat quidem lingua loquentem, quòd Deo loquatur: pluris tamen facit, si & hac oratione assidentes ædificauerit.*

Paulus omniũ linguis loquutus. **Quòd omnium uestrum lingua.** *Ne Paulus uideretur Corinthijs donũ linguæ contemptui habere, dicit, se omnium loqui lingua.*

Sed in Ecclesia uolo. *Volo, pro Malo, positum. Et, Sensu meo, id est, mente: ut mens intelligat & cognoscat quæ dicuntur, eademq; interpretari possit. Quinq;, positum est pro paucissimis: sicut Decem millia, pro plurimis. Malo, ait Paulus, perpauca ad profectum loqui, quàm multa, quæ nulli proficiant. Quidam quærunt, Quæ sunt illa quinq; uerba, à quibus ecõtrariò, quæ sint decem millia, est quærendum. Sacra Theologiæ facultas Parisiensis, in quadam censura de cantu Ecclesiæ tractans, ait, Scribens Paulus, in Ecclesia uolo quinq; uerba sensu meo loqui, quàm decem millia uerborũ in lingua: De concionibus, seu sermonibus, qui habentur ad populum, tractat: in quibus, inutilis est copia uerborum non intellectorum: non de cantibus ecclesiasticis, quorum alia est ratio. Vide Censuram illam, titulo 19. Propositione 6.*

Pueri malitia. Esaiæ 28.c

Fratres, nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote, sensibus autẽ perfecti estote. In lege enim scriptum est, Quoniam in alijs linguis, & alijs loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. Si ergo cõueniat uniuersa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, non ne dicent, quòd insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, uel idiota: conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd uerè Deus in uobis sit. Quid ergo est, fratres? Cùm conuenitis, unusquisq; uestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cęteri dijudicẽt. Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.

Idiotę] indocti

Conuincitur] coarguitur

Psalmum] uel, canticum

Apocalypsim] reuelationem

Secũdũ duos,] fiat per binos, Vt multum] ad summum

Per partes,] uicissim.

Malitia pueri. Perfectus sensu.

Sed malitia paruuli. *Illi in malitia pueraſcunt, qui nihil mali cuiquam ingerunt, nec aliter se habent, quàm pueri ipsi, qui nemini nocent. Ille perfectus est sensu, qui*

qui discernit, quæ sunt ex gratia, aut præstantiora, aut magis utilia: qui nō modo nulli nocet, sed prodest quàm plurimis: neq; solùm nequitiam fugit, sed nequitiā ipsam insectatur. O Corinthij (ait Paulus) si uerè discernitis, & iudicatis, ex testimonio Esa. 28. cap. facilè agnoscetis prophetiam commodiorem lingua, seu simplici dono linguæ. Hebræi infideles linguis, & non admodum prophetia donati sunt: sed facti fideles prophetis abundauerunt. Est ergo prophetia linguis præstantior. In lege enim, ait Paulus: hoc est, in uetere testamento, Esaiæ 28. scriptum est, Quia in alijs linguis, (id est, in his qui sunt diuersarum linguarum) & labijs alijs, (id est, diuersis modis proferendi) loquar populo huic: (id est, Hebræo: Varijs enim linguis inter diuersilingues loquebantur Apostoli) & nec sic exaudient me: (id est, non obedient mihi) dicit Dominus. Seu hoc signum dabo, ut per sanctos meos inusitato sermone loquar, & nec sic eloquentem intelligent. Itaq; ò Corinthij agnoscite, quòd linguæ sunt in signum, & miraculum datæ infidelibus, id est, non credentibus. Prophetia autem est fidelibus in ædificationem. Propterea Hebræis à Christo & fide discedentibus ablata est prophetia, remanētibus linguis. Fideles non indigent signis, cùm iam fidem tutentur, & seruent. Aut dicito in hūc sensum: Lingua est infidelibus in signum: hoc est, ad infideles duntaxat perterrendos accommodata. Prophetia uerò ut fidelibus, ita & infidelibus utilis est: utpote quæ illos infidelitatis arguat, tametsi minus in signum his tradita fuisse dicatur.

Ab infidelibus recedit prophetia.

Si ergo conueniat. Ostendit iacturam & damnum ex lingua, si absit interpres: uidelicet idiotas, seu laicos, id est, nullo ordine ecclesiastico fungētes, dicturos, sic lingua loquentes insanire: hoc est, dementes esse, quales erant, qui maledictis Apostolos incessebant, dicētes uino madere, & ebrios esse: quum hi, quibus mens sanior esset, longè aliter sentirent, magnalia Dei demirantes.

Laici. Insanire.

Quid ergo est, fratres? Hieronymus hunc locum sic exponit: Quid ergo est faciendum? aut quid diffiniemus esse tenendum?

Psalmus.

Psalmum habet. Canticum, aut uim uel edendi, uel canendi psalmi. Quidam sic interpretatur: Cùm conuenitis, quisq; uestrum psalmum intelligit.

Doctrina. Apocalypsis.

Doctrinam. Vim & docendi, & exhortandi.

Apocalypsim. Reuelationem, seu donum prophetiæ, aut reuelationis occultorum & mysteriorum.

Omnia ad ædificationem. Nihil sit in uobis, quod non uos alterutrum ædificet.

Siue lingua quis. Non uult Paulus plureis in eodem cœtu prophetare, & simul loquentes interpretari: ait enim, Siue quis loquatur lingua: subaudi, fiat ad ædificationem: sed ita, ut singulis conuentibus bini duntaxat loquantur, aut ad summum tres: sed ita ut non simul loquantur omnes, sed uicißim sileant, & loquantur. Quòd si nō adest interpres, is qui lingua loquitur, taceat, & apud se loquatur, & Deo: hoc est, (ait Ambrosius) intra se tacitè oret, aut loquatur Deo, qui audit muta omnia. In Ecclesia enim ille debet loqui, qui omnibus prosit. Ex his docemur, Quemadmodum Paulus loquentem lingua, seu solo linguæ dono donatum, uult loqui sibi & Deo, atque in hoc Deum commendari. Ita & Sacrificorum orationes canonicas (quorum significationes nō cognoscit) recta intentione iuxta Ecclesiæ & intentionem & institutionē, ad Dei laudem, gloriam, & honorem, ad gratias super acceptis beneficijs, & muneribus persoluendas, ad obtinenda à Deo, quæ uitæ præsenti conducant, & futuræ, pronuntiantem, commendare debemus: huiusq; intētionem & operam magnopere gratā esse Deo constant

Intentio Sacrifici lingua loquentis.

constanter pronuntiandum est. Nam si cor hominis Deus maximè requirit, quid magis gratū illi esse poterit (ait sacra facultas Parisiensis, loco suprà adducto) quàm quòd homo pio affectu, ipsum laudare, reuereri, amare, appretiari elaboret, ac libēter laudibus eius adsistat? Nulla profectò uerborum intelligentia cum hac pia intentione potest conferri, quam habere solent etiam simplices, rudes, & ineruditi. Hactenus sacra facultas. Cùm dicitur, Per parteis: intellige, Vicißim: aut, ut Ambrosius legit, Particulatim.

Sacra facultas.

Prophetæ autem duo. Dicunt non simul, sed uicißim, & cæteri discernant, discutiant ue dicta, ne profitēs se prophetam, fallat, aut fallatur. Erat decernēdi, & iudicādi gratia, qua Vates tum ueri, tum falsi dignoscerētur: eoq; duobus, uel tribus prophetandi munus demādauit, ut & ordo seruetur, & in ea turba prophetæ nō lateant.

Quòd si alij reuelatum. Ad modestiam, & humilitatem hortatur. Sine contētione, & uicißim audiant: Vt prophetante aliquo, si Spiritus sanctus quidpiā alteri reuelauerit melius, prior taceat, & non queratur, interceptum esse suum sermonem. Nam si maluisset Spiritus priorem loqui, haudquaquam alterum ad loquendum excitasset.

Per singulos] Singulatim Exhortentur.] Cōsolationem accipiant. Dissensionis Deus,] confusionis autor.

Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, & omnes exhortentur. Et spiritus prophetarum, prophetis subiecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut & in omnibus ecclesijs sanctorum doceo. Mulieres in ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem uolunt discere, domi uiros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia. An à uobis uerbum Dei processit? aut in uos solos peruenit? Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo uobis, quòd Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. Omnia autem honestè & secundum ordinem fiant in uobis.

1. Timoth. 2. d

Genes. 3. c

Ignorabitur.] Vel, ignorat.

Honeste] Vel, decenter

Potestis enim omnes. Consolatur eos, dicens: Nulli intercluſa est illa gratia, sed in omneis diffundi potest, & singulatim prophetare poteritis, ut Ecclesia omnis instruatur, & solamen ad uirtutem à prophetante accipiat.

Et spiritus prophetarum. Quidam falsò existimabāt, ueros prophetas, quū cœpissent loqui, non posse à cœptis desistere: quasi uerò essent, ueluti illi bacchātes Vates, olim furiosi, perciti per uim, & coactè à Dæmonibus tracti. Horum errorē tollens Paulus, ait: Spiritus prophetarū (id est, spiritualis gratia prophetādi) subiecta est prophetis: seu, est in potestate prophetarum: ut cùm uelint, utantur, aut abstineant, prout Ecclesiæ cēducere uiderint. Noli igitur cōtendere tu, qui prior loquebaris, nec factiones exercere, fingens te neque tacere, neq; alijs prophetandi locum dare posse. Silentiū enim tibi præsidenti indicit Spiritus sanctus, cùm alteri quidpiam melius reuelauit.

Mulieres in Ecclesijs. Postquàm tumultum, quem linguæ, & prophetiæ ambitio pepererat, composuit: agnoscēs iam mulierē dicacitatem, & tumultuariam loquacitatem

quacitatem prophetantibus obesse, pergit ordine quodam strepitum illum muliebrem emendare, intempestiuam earum libertatem excidendo: & rectè quidem. Nam si donis præditos, & Spiritu instinctos loqui quomodocunque, & quotiescunque uolunt, non sinit: multò minus, has temere, frustraq; nugari patietur. Magna itaque cum autoritate nugas illarum compescit, legeq; adducta Genesis 3. cap. Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tui, munitus, ipsis ora consuit, ne publicè in Ecclesijs docent, propheten-

Mulierib⁹ præfectura quouis iure negatur.

tent. Imò (ait) ne loquantur sermone publico, quò præsides quædam uiderẽtur: his enim præfectura quouis iure negatur.

An à uobis uerbum Dei. Respondet his, qui de præscripta mulierum conticentia in Ecclesijs, contradicerent. Aliæ Ecclesiæ non sinunt mulieres in conuentibus suis loqui: Vos'ne doctores estis aliorum, à quibus Euangelium exijt: an non magis

Acquiescendũ quæ cæteris sunt cõprobata.

discipuli, qui obedire, non cõtendere, debeatis? Aut in uos solos peruenit, id est, omniũ primi fideles estis & soli, seu solis uobis prædicatum est, & soli sapitis? Oportet igitur & uos his acquiescere, quæ cæteris comprobata sunt.

Si quis autem ignorat. Ignorabitur & à nobis, & à Domino dicente eis,

Lucæ 13.c

qui se in eius nomine prophetasse dicebant, Nescio uos. Chrysostomus legit, Si quis autem ignorat, ignoret: perinde ac si inquiat Paulus: functus sum meo officio, dixi nanq; quod erat dicendum, pareat modò qui uelit. Aut, Si quis ignorat: id est, si quis nolit hæc

Apocal. 22

scire: ignoret, id est, nesciat suo periculo. Hac figurà dictum est & illud, Qui sordet, sordescat adhuc.

DICTIO.

Prophetare.

PROPHETARE *uarijs modis Scriptura utitur. Primò, tum pro præteritarum quàm futurarum rerum enarratione. Ad hunc loquendi modum & Moyses quidem propheta fuit, cùm de mundi creatione, & aliorum operum Dei testificabatur, & docebat, Gene. 5. Secundò Prophetare, est futura prædicere, ut omnes illi prophetare dicebantur, quorũ unus de Christi natiuitate, alter de eius doctrina, tertius de eius passione, quartus de eius regno prænuntiaret, & loqueretur. In summa, Omnes quotquot de eo tanquàm de filio Dei, totius mundi redemptore uaticinabantur. Tertiò prophetare inter eius alias significationes, est prophetiam enucleare, & Psalmos, & uerba Dei canere, Spiritu sancto motore & doctore, quemadmodum legis Asaph, Idythum, Heman, prophetasse confessionem & laudem Domino in cithara, qui erant cãtores à Dauide, iussu Dei instituti. ut 1. Paralip. 25. Et Heliseus ad Psalterium prophetat. Quartò, Prophetare idem est, quod prædicare, & prophetiam exponere, ut hoc capite, &* Act. 13. *Erant autem in Ecclesia Prophetæ & Doctores.*

ORARE spiritu, est spiritu, siue halitu, ac uerbis solùm orare: At, Orare mente, est ipso animo precari, & orationis mentem aperire.

Prophetia.

PROPHETIA *est expositio, siue interpretatio scripturæ, uel reuelatio, nõ futurorũ tantùm, sed quoruncũq;, maximè scripturæ, & donũ interpretãdi sacras literas.*

Loqui linguis.

LOQVI *linguis, est textum scripturæ, seu Psalmos, seu Prophetias, seu legem Dei, seu preces, alia atq; alia lingua pronuntiare. Qui hoc simplici dono pollet, uocum (quas pronuntiat) significationes non intelligit.*

Barbarum. peregrinum.

VETERES *Barbarum uocabant, quicquid erat peregrinum: deinde uox deflexa est ad uocis & sermonis absurditatẽ. Offendit enim sermo peregrinus imperitos, etiam si concinnior sit nostrate lingua. Postremò cœpit accommodari & ad mores feros, atque asperos.*

IDIOTA,

IDIOTA, Græca uox est, quæ significat & priuatum, id est, non fungentem aliquo Magistratu, & illiteratum: hoc loco plebeium, & indoctum significare potest.

Resurrectio mortuorum futura. CAP. XV.

Euangeliũ prædicatũ à Paulo Galat. 1.b

Qua ratione] Quo pacto

NOtum autem uobis facio, fratres, Euangelium quod prædicaui uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim uobis si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim uobis in primis quod & accepi, quòd Christus

Esaiæ 53.b Ioñæ 1.a Oseæ 6.a Ioan. 20.c

mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum scripturas: & quia uisus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde uisus est plusquàm quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usq; adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde uisus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissimè autem omnium,

Paulo uisus Christus. Act. 9.a Ephes. 3.b

tanquàm abortiuo, uisus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus uocari Apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei, sum id, quod sum: & gratia eius in

Vacua] Inanis

me, uacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Siue

Ergo] Igitur

enim ego, siue illi: sic prædicauimus, & sic credidistis. Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis: quomodo quidam dicunt in uobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio

Christus primꝰ resurrexit, & oẽs per ipsum resurgent.

mortuorum non est; neq; Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra. Inuenimur autem & falsi te-

Aduersus Deum,] De Deo,

stes Dei: quoniam testimoniũ diximus aduersus Deũ, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit: uana est fides uestra, adhuc enim estis in peccatis uestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac uita tantùm, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc

Colos. 1.c Apoc. 1.b 1. Thess. 4.d

autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorũ. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur; unusquisque autem in suo ordine. Primitiæ

Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. Eius] Ipsius

Resurrectio fidei caput.

Notum uobis facio. Explicato seorsim de spiritualibus tractatu, ad eam, quæ omniũ maximè necessaria est, resurrectionis disputationem ex abrupto cum affectu uehementi sese conuertit, excitans auditores, benevolos simul & attentos reddit. Resurrectio, nostræ fidei caput est, & principiũ. Nam si resurrectio tollatur, & illud tollitur, Christum ipsum resurrexisse. Sic fides euertitur. Corinthi erant qui sua philosophia superbi, resurrectionem futuram nolebant agnoscere. Hoc peruersum dogma magno studio Paulus euertit, muniens suos nõ rationibus, sed gestis iam rebus, & ab ipsis iamdudum receptis, persuasisq; : ut si repugnaturi sint, iam nõ Paulo, sed sibijpsis repugnant. Notum uobis facio (inquit) fratres, Euangelium quod prædicaui uobis, nihil uobis noui uel peregrinum, & quod non receperitis, annuntio, & ad memoriam redigo.

Quod accepistis. Non solùm audiuistis, sed operibus & miraculis accepistis, quæ uobis annuntiaui.

In quo & statis, per quod. His loquitur, qui firmi erant in fide traditionis.

Quia mortui resurgẽt. Promiscuis tamen sermonẽ dirigit: ut & hi, qui in fide fixi sunt, gaudeant: & qui nutant, corripi se doleant, & corrigantur. Per quod Euangelium (quod est uirtus Dei in salutem omni credenti) saluamini: si modò tenetis, qua ratione, & qualiter Euangelium uobis prædicauerim. Quia mortui omnes resurgent: nisi frustra credidistis: hoc est, nisi in uanum sortiti estis nomen Christianum. Omnes enim uis Christianitatis, in resurrectionis dogmate ipso sita est. Hæc, Si tenetis, nisi frustra credidistis: dura sunt uerba, & aspera, & tamen amice dicta, & suauiter: ut uideant Corinthij, quàm paterno animo erga ipsos animatus & effusus sit.

Tradidi enim uobis. Hoc non est meum inuentum, aut commentum aliquod meum: quod uobis tradidi, est Euangelium, & doctrina ab ipso IESV Christo salutis autore tradita, eaq; in primis annuntiata: utpote quæ sit totius fidei fundamentum. Et quemadmodum acceptum illud dogma credo, & teneo: ita & uos tenere debetis, & credere, & eò constantius, quia iam acceperitis.

Secundum scripturas. Non otiosè dictum est à Paulo, Secundum scripturas: Quoniam resurrectio Christi à mortuis (quòd supra Naturæ leges sit & iura) difficilius cæteris nostræ redemptionis mysterijs, & tardius recepta, atque persuasa fuit mentibus humanis. Vnde & discipuli post multas manifestationes Christi a mortuis suscitati, ipsis factas, post multa itidẽ argumẽta, signa, & indicia, quibus præbuit seipsam illis uiuum, adhuc subdubitarunt de illius resurrectione, ut iam in cœlum ascensurus Christus, exprobrauerit illis incredulitatem illorum, & duritiam cordis ad credendum.

Marci ultimo. Act. 17

Marci ultimo. Athenienses item Act. 17. audita resurrectione mortuorum à beato Paulo, cùm stans in medio Areopagi, uerba uitæ & salutis æternæ ipsis annuntiaret, irriserunt eum. Itaque ut omnis tollatur occasio ambiguitatis, dicit Paulus, secundum scripturas: significans, Christi resurrectionem in scripturis prænuntiatam esse, ut in Psalmis & Euangelijs, & eo modo, quo prædicta est à scripturis, eam esse completam. Ita & Christum mortuum dicit, non pro suis, (quippe qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius) sed pro nostris peccatis. Idq; factum est, non casu, aut fortuna, sed id ita prænuntiarant Scripturæ sacræ Exod. 12. Isai. 53. Daniel. 9. Zachar. 3. & 13. & Psal. 21. Cùm itaque Scripturis sanctis indubitatò credendum sit, absque ulla hæsitatione

tatione & Christum pro nobis uoluntariè mortuum, & tertia die à mortuis resurrexisse credendum est, constanterq; profitendum.

Quidam autem dormierunt. Mortẽ, somnum, & dormitionẽ dicit. Quẽadmodum enim qui dormiunt, á somno surgent: ita qui mortui sunt, à morte resurgent.

Visus est Iacobo. Hic Iacobus à multis dicitur non frater Ioannis, sed qui frater Domini est dictus, & Hierosolymæ Ecclesiæ præfuit, Alphæi filius. Non meminit hîc Paulus mulierum, quibus apparuit Christus: quòd harum testimonium sit frigidum, & ad testimonium non satis idoneum. Propter tamen sexus imbecillitatem (ait Chrysostomus) gratiam Saluatoris resurgentis sensit mulier. Deinde, ordinis hoc loco, non temporis particula.

Mulierũ testimonio noluit Paulus uti.

Visus est & mihi. Dicet aliquis: Cur seipsum Paulus resurrectionis dominicæ testem producit, deinceps & sua errata commemorat? Nempe ut fides ei maior adhibeatur. Non enim parcet alienis commissis, qui sua expromit. Abortiuum fœtum se appellat: id est, hominem proiectitium, cõtemptum, & nullius propemodum frugis, uel dignitatis. Subiungit uerba, quibus seipsum explicat: Ego enim sum minimus Apostolorum. Dicunt nonnulli abortiuum ultimum mulieris partum. At quia Christo iam in cœlos eius carne recepto Apostolatum recepit, abortiuum, hoc est, ultimò natum & factũ Apostolum sese dicit.

Vacua non fuit. Non fuit inanis, sterilis, & infrugifera.

Sed abundantius illis. Abundantius aut diutius, (ut quidam ait) aut qui cùm potestatem cibos accipiendi haberet, sicut & alij, non accepit. Factus est ijs, qui sine lege sunt, tanquam sine lege. Et quòd ad Gentes missus sit, & orbis partẽ maximã oberrauit, maiore gratia præditum fuisse intelligũt. Si enim plus laborauit, fuit maiore gratia donatus. Plus laborum insumpsit, quàm quisquam alius Apostolorũ, dum uidelicet ab Hierusalem in circumiacẽtibus regionibus per uniuersam propemodũ Arabiã, Syriam, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam, Asiam, Macedoniam, & Achaiam ad Illyricũ usq; omnia prædicatione Euangelica repleuit. At de nullo Apostolorum maiora leguntur. Non abs re uocatur doctor gentium, quæ in totum dispersæ sunt orbem, & maiorẽ orbis partem quam sit Iudæa, cui potissimum designati erant Apostoli. At ne quispiam existimaret Paulum hæc omnia suis uiribus adscripsisse: subiungit, Non ego autẽ, sed gratia Dei: Nõ ego sum is, qui hoc feci, sed gratia potius Dei, quæ mihi adfuit: ut intelligamus, totum hoc Deo ferri acceptum. Sunt qui interpretantur, Abundantius illis: id est, copiosius quidẽ, quàm omnes illi pseudapostoli, laborauit: ac si diceret, Tametsi multa fecerint, & sciant etiam gloriari, tamen omnes in uniuersum non tantum fecerunt, quantum ego solus, & unicus, ac minimus Apostolorum. Nam clarissimum est, Paulum nihil uelle detrahere ueris Apostolis, in quorũ numerũ sese adiungit: sed in pseudapostolos his uerbis inuehitur, qui ipsum prorsus nihili pendebant.

Siue enim ego. Siue ego maiores labores prædicando insumpserim, siue illi: tamen quod ad Euangelij prædicationem hanc spectat, unum omnes sentimus, Mortuum scilicet Christũ tertia die resurrexisse. Eaq; summa est fidei, quam sic prædicauimus, & nobis sic prædicantibus credidistis. Non noua uobis nunc nuntio: iam enim aliquando hæc accepistis, accepta credidistis, uera esse dixistis, & certiora, quæ per me prædicata sunt non scorsum, sed in propatulo, & in præsentia. Dixit, Credidistis: & non, Creditis: quia instabiles erant, & nutabundi.

Quomodo quidam. Ait, Quidam in uobis: ne uideatur Corinthios uni-

uersos uituperare.

Adhuc estis in peccatis. *Christus resurrexit propter iustificationem nostrã, & traditus est propter delicta nostra. Si ergo non resurrexit Christus, iustificationem nõ estis consequuti, in peccatis uestris adhuc estis. Sed existimatis uos fuisse Christi sanguine ab omni crimine liberatos, & à morte peccati suscitatos cum illo, qui resurrexit propter uos. Est ergo uel cæcis ipsis apertum, resurrectionem mortuorum esse.*

Si in hac uita tantùm. *Si futuræ uitæ spes non esset, uideremur uel ipsis incredulis miserabiliores, qui hac uita etiam lætiore quàm nos fruuntur. Vt quid enim* Opera quibus merces debita.
ieiunia, uigiliæ, munda uita, iustitia, misericordia, & propter Christum mors, si pro his nulla merces erit in futuro?

Primitiæ dormientium. *Christus primitiæ, quia primus ad immortalitatem resurrexit. Cùm præcesserit ille præuius, necesse est, ut & subsequentes se habeat, utputa qui sibi uiua fide adhærent.*

Vnusquisque autem suo ordine. *Dixerat, Omnes per Christum uiuificabuntur: sicut homo Adam omnibus mortem induxit: ita fit, ut per hominem Christum* Resurrectionis ordo.
uiuificentur, seu à morte resurrecturi sint, omnes & pij & impij. Seruato tamen ordine, Pij ad gloriam, & lucem: Impij ad pœnam, & tenebras. Ordo non temporis est, ut dicantur Pij prius resurgere, postea Impij: futura enim resurrectio in momento fiet. Sed hìc dicitur ordo dignitatis, & meriti.

Primitiæ, Christus. *Prior surrexit, & tempore, & dignitate, ut nobis spes sit resurrectionis. Deinde resurgent omnes qui sunt Christi, posteriores tempore & dignitate, nempe qui carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. Deinde finis: id est, consummata omnium resurrectio. Tunc finem hæc omnia acceptura sunt, ut iam non uiuatur uita corporis & uoluptatis, ut fingunt Iudæi & Hagareni: sed uita æterna fruentur electi, & pœna æterna affligentur reprobi.*

Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omneis inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat, Omnia subiecta sunt ei: sine dubio, præter eum qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitantur omni hora? Quotidie morior propter uestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo IESV Domino nostro. Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Epheſi: quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras

Euacuauerit] aboleuerit

Ponat] posuerit

Eius] suos

Nouissime] nouissima

Sine dubio, præter] uel, palam est excipiendum

Propter uestrã gloriam,] per nostrã gloriationem,

enim

enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos, colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reuerentiam uobis loquor.

Reuerentiam] pudorem

Cùm tradiderit regnum Deo & Patri. *Id est, cùm Christus, electorum Ecclesiam sanguine suo redemptam, ab omni perturbatione & afflictione liberam, & à Dæmonum insidijs & insultibus tutam patri tradiderit. Cùm enim generalis resurrectio fuerit, nullos à Dæmonibus & aduersarijs insultus sentiet Ecclesia, quæ tota in Deũ rapietur. Sic tamen tradet Ecclesiã patri, ut sibi nõ illã adimat, sed ipse unus Deus cum patre & Spiritu sancto regnabit. Aut Christus tradet regnum Deo & patri, cùm ostendet Ecclesiæ, non se esse ex quo omnia, sed per quem omnia sunt: ait Ambrosius.*

Cùm euacuauerit. *Cùm antiquauerit, & eneruauerit omnem Dæmonum potestatem, & tyrannidem, quam exercent hìc aduersus electos & Ecclesiam, cõsummata erit omnium resurrectio. Necesse est tamen interim Christum ducem & imperatorem suæ Ecclesiæ esse, illiusq; curam gerere, donec, seu quoadusque, tyrannos Dæmones omnino sustulerit, & eneruauerit. Nam electos propter carnis fragilitatem labi, & uinci frequenter contingit. Obserua: euacuatis peccatis, euacuabuntur à nobis omnes contrariæ potestates: Virtus enim earum, nostra peccata sunt.*

Vis potestatũ peccata nostra.

Oportet autem illum regnare. *Occupatio est. Dices fortasse, Quare ilico post resurrectionem suam Christus non posuit inimicos sub pedes, ubi iam omnium rerum factus est dominus, potuitq; omnia pedibus suis subijcere? Respondet Paulus: Quando ita placitum est Deo, & sacræ literæ ita prodiderunt, quid rogas? quasi uerò putaueris id Christi honori derogare. Sacris literis memoriæ proditum est, Christum regnare, & dominari debere unà cum mundano magistratu & regno spirituali sua administratione. Psalm. 110. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Hoc mirum in modum nos consolatur, salutis'que nostræ rationem habet, quòd non ilico inimicos pleno & consummato supplicio affecerit ante mille annos, siue ante finem seculi: sed pœnam distulit, usque dum nos quoque aduenissemus. Nam non omnes adhuc nati sunt, qui ad eius regnum pertinent. In hoc itaque illi regnandum est, ut filios Dei congreget. Quare regnum suum antè prorsus implere debet, nec prius inimicos abolere, & absumere exitio, quàm omnes, quibus immortalitatem desiderauit, adduxerit. Deinde omnia simul tollet, inimicos trucidaturus. Interim permittit uerbum suum prædicari, & regit Christianitatem spiritualibus officijs prædicandi, sacramenta porrigendi cum fide & spiritu in medio inimicorum nos prementium, contra quos & eorum uim ac iniurias nos tuetur, & retinet hac certissima consolatione, Fore, ut illo die ipsos pedibus suis prorsus subiecturus sit: quod facere iam cœpit, & quotidie certè facit. Quis non uidet prædicatione Euangelij omnes sectas spiritaliter dissipatas esse, diabolum fugatum, tyrannos de solio suo deturbatos, mundi furorem & insaniam depressam, mortis uim atque robur ademptum. Oportet ergo gloriam Christi innotescere prius toti orbi, ut omnes filij Dei dispersi ex omni terra colligantur, impietas quoque seipsam in omnibus Diaboli membris prodet, & tandem uincet dominus IESVS, uindicans & suum & sanctorum suorum sanguinem de manu impiorum, quos & in die illo triumphantium more calcabit.*

Diabolus cur peccatum dicitur.

Nouissimè autem. Destructio mortis, est resurrectio mortuorum. Diabolus in Apocalypsi Peccatum & Mors appellatur, quia autor est peccati & mortis.

Omnia enim subiecit. Omnium potestatem Pater dedit Filio, ut homini, non ut Deo: quia æqualis est suo patri, ut subijcere sibi posit omnia. Nondum enim plenè diabolicas potestates sibi subiecit: permittens ad exercitationem Electorum sibi reluctari, donec regnum sibi demandatum patri tradiderit.

Tunc & ipse filius. Christus secundum humanitatem, etsi nunc sit subiectus, quia tamen nunc non omnes apertè cognoscunt hanc subiectionem, tunc manifestabitur reuera patri subiectus, & obediens, cuius uoluntatem impleuerit, quum Ecclesiam suã, seu regnum suum, ab omni Dæmonum impetu, & tyrannide liberauerit. Vel ita (ait Petrus Longobardus in hunc locum) ut agat de Christo secundum diuinitatem. Cùm subiecta fuerint illi omnia: id est, cùm omnes adorauerint Christum ut Deum: Tunc & ipse subiectus filius erit illi, qui subiecit sibi omnia: id est, Tunc Christus se Deum ostendet, sed de Deo, ut unius principij summa, & ineffabilis autoritas maneat. Ita ostẽdet se Deũ de Deo, ut tamen sit unus Deus in omnibus: id est, in confessione omnium, ex quo omnia sunt. Aut sic, Vt sit Deus omnia in omnibus: id est, omnem ac plenã in omnia subiectionem habens: uel, ut sit in omnibus, supple Electis: omnia, id est, pro rebus omnibus erit, & solus in illis regnabit. Aut: Cum illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse filius (in membris scilicet suis) subijcietur ei, qui illi subiecit omnia. Hoc est, deuictis, & subiectis in uniuersum hostibus, tunc sancti Dei, in quibus uiuit filius purissimè ac felicissimè, regem ac Dominum suum agnoscent, obseruabunt, ac laudabunt. Subiectio illa liberrimũ erit sanctorum regnum: Erit enim Deus omnibus electis omnia: id est, omnium desideriorum expletio, plena merces, atq; abundantissima felicitas. Hic sensus planior est, magisq; mihi uidetur arridere, quam superior.

Christ⁹ omnia in omnibus.

Baptizari.

Quid facient, qui bapti. Baptizari, tropo sacræ Scripturæ interdum est, supplicium pati. Mar. 10. Calicem quidem quem ego bibo, bibetis, & baptismo quo baptizor, baptizabimini. Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coartor. Quid facient, qui baptizantur, id est, supplicia & afflictiones patiuntur: pro mortuis, id est, pro asserta mortuorũ resurrectione, & qui pro illius articuli fidei defensione, nõ dubitarunt subire martyrium uiri sancti. Quidam aiunt, in primitiua Ecclesia quosdam fuisse, qui baptizabantur uice illorum, qui è uiuis non baptizati discesserant: existimãtes, nõ resurrecturos, nisi in illorum gratiam baptisma susciperẽt. Illorum fidem de resurrectione futura cõmendat Paulus, nõ autem factum & errorem de baptismo repetito. Alioqui si resurrectio mortuorum non est futura, illi qui baptizantur pro mortuis: id est, uice eorũ qui mortui sunt: Vt qui baptizantur pro illis? Vtique uideretur uana eorum fides.

Quotidie morior. Quomodo hoc fit? nimirum quòd mortem semper secum circunferat, quodq; citra intermissionẽ in ijs uersetur angustijs, ut mortem impensius sentiat, quàm uitam. Assiduè uersabatur in certamine, in quo, mors & uita, peccatum & iustitia, bona & mala conscientia, gaudium & tristitia, spes & metus, fides & incredulitas mutuò luctabantur.

Si secundum hominem. Videtur mihi legendus textus, Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi: quid mihi prodest? Si secundum hominem: id est, secundum humanum sensum, sub quem non cadit cognitio futuræ resurrectionis, seu ut caro iam soluta reformetur ad uitam. Aut, Secundum hominem: id est, propter hominum gloriam, & non ob spem futuræ resurrectionis & retributionis. Pugnaui ad bestias Ephesi: (solebant enim olim damnati bestijs obijci, exemplo sunt Daniel, & plerique alij, quorum mentio celebris est in Historia) quid mihi prodest? Quasi dicat, nihil. Sed pugnaui, non secundum hominem: hoc est, non humana ratione, & uirtute, sed diuina: certus de resurrectione futura, nihil ueritus illas bestias, quibus expositus fui. Græci interpretes, quorum est Theophylactus, detorquent hoc ad tumultum ab aurifice Demetrio concitatum, ob Ephesiam Dianam, Act. 19.

Paulus bestijs expositus.

Manducemus. Vox est diffidentium & desperantium de promissis Dei. Hoc autem dictum ab Esaia cap. 22. desumptum est, uulgò illorum dementiam increpãte, qui nullam asserunt resurrectionem.

Nolite seduci. Arguit Corinthios, qui ad resurrectionem diffitendam, ab alijs fuerunt decepti, frequenti malorum colloquio.

Euigilate. Expergiscimini à peccato, ut iusti sitis, & nolite peccare. Nam ex huiusmodi peccãdi licẽtia, uestra hæc de resurrectione oritur incredulitas. Qui enim malis & peccatis obduruerunt, nullam esse existimant, tormentorũ formidine, resurrectionẽ.

Ignorantiam enim Dei. Qui nullam dicunt futuram resurrectionem, Dei ignoratione tenentur, Dei potentiam non agnoscunt. Hæc ad reuerẽtiam uobis loquor: id est, non ut infensus, aut hostis incesserem contumelijs, sed pudore afficerem: ut correctos uos & uerecundia quadam adfectos, ad ueritatis notionem traducerem.

Quomodo resurgũt mortui.

Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore uenient? Insipiens tu, quod seminas non uiuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas: sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autẽ dat illi corpus, sicut uult: & unicuique seminũ proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed alia hominum, alia pecorum, alia autem uolucrum, alia piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria, sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarũ. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione: surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: surget in gloria. Seminatur in infirmitate: surget in uirtute. Seminatur corpus animale: surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & corpus spirituale. sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam uiuentem: nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni. Et qualis cœlestis, tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus

Vt puta] Exempli gratia

Claritas] Vel, gloria, & infrà

Ignobilitate:] Ignominia:

Virtute.] Potentia.

Gene. 1. b Adam duplex.

Primus & secũdus homo.

temus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Ecce mysterium uobis dico: Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis, peccatum est: uirtus uerò peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum IESVM Christum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor uester non est inanis in Domino.

Omnes quidē] Non oēs quidē dormiem⁹: oēs tamen immutabimur.

Osee 13.d Hebr.2.d

Est mors &c.] Tu⁹ mors aculeꝰ? ubi tua inferne uictoria? Virtus] Potentia.

Peccatum uictoria.

1.Ioan.5.a

Insipiēs tu, quod seminas. *Hoc pronomine Tu, emphasim exprimit. Si quod tu seminas, prouenit longè præclarius, multò id uberius efficiet Deus in resurrectione, cuius ille est propriè autor. Exemplo grani docet, non prius resurrecturum corpus ad immortalitatis fructum, nisi prius in terra mortuum fuerit: sicut ad frugem granum euadere nequit, non antè mortuum. Si ergo (ait Ambrosius) nudum granum seminatur, ut Dei nutu quodam modo elementorum ministerio uestitum resurgat, multa secum habēs incrementa utilitatis humanæ: cur non credibile sit, Dei uirtute mortuum posse resurgere, meliorata tantùm substantia non numero multiplicatum. Obserua: Quidam hæretici dixerunt, non idem illud corpus, quod fuerat, suscitari: id enim aiunt per Apostolum significatum, cùm dixit, Et quod seminas, non corpus quod futurū est seminas. Certè Paulus nihil aliud docere nititur, quàm quod non resurgit tale, quale sepultum & seminatum est. Hoc significauit, nō tale seminas, quale futurum est: nam subiungit Paulus: Deus autem dat illi corpus sicut uult. Et ne quis nouum, uel alienum corpus intelligeret, addit: Et unicuique seminum proprium corpus. Non ait, aliud: sed, suum cuique datur corpus. Corpus ergo quod sepelitur, seminis loco est: ex eo idem enascitur corpus, licet speciosius: nudum enim, & corruptione plenum illud erat, dum sepeliretur: at in resurrectione clarificatum & locupletatum est.*

Non omnis caro, eadem caro. *Etsi omnium generabilium & corruptibilium eadem sit materia, non tamen rationalium & irrationalium eadem est caro: id est, non est eiusdem dignitatis. Si inter genera carnis, discrimen reperitur, iuxta animantium differentiam: quid mireris, si in resurrectione mortuorum, non eadem in omnibus offendatur gloria? Quemadmodum inter corpora cœlestia, Solem, Lunam, & Stellas, alia alijs clariora sunt: ita cùm resurgent iusti, alij alijs splendidiores apparebunt, pro diuersis meritis diuersa præmia dabuntur: iuxta sententiam Saluatoris, In domo patris mei, mansiones multæ sunt.*

Seminatur

Seminatur in corruptione. *Nō hìc agit de naturali semine, sed de corpore nostro, semini cōparato. Seminatur, id est, moritur in modum seminis morientis, ut fructum afferat: non in modum bruti morientis, quod moriens omnino extinguitur. Cùm autè moritur corpus nostrū, non omnino sibi moritur, sed moritur in modū seminis morientis: quod ita moritur, ut sibi laudabiliorem uitam acquirat. Sic corpora nostra seminantur, seu moriuntur ad uitam meliorem. Cùm ait, In corruptione: declarat rē seminatam, id est, corpus nostrum, corruptione plenū, seu corruptibile: quod cùm seritur, moritur, uelut semē. Seminatur in corruptione: id est, corpus nostrū corruptibile moritur, & resurget incorruptibile, moritur ignominijs plenum, resurget gloriosum, &c. Aut, Seminatur: id est, demandatur terræ corpus: In corruptione, id est, ut corrumpatur, & surget incorruptibile. Similiter sepelitur corpus ignobile, & resurget gloriosum.*

Seminari.

Brutū moriens omnino extinguitur.

Seminatur corpus animale. *Ab animali potentia, quæ est uegetatiua, & sensitiua (qua hìc dum uiuimus, indigemus) nūcupatur animale, in quod anima ipsa imperium habet, & gubernationē. Spirituale autem, quod Spiritus sancti opera abūde utitur, ab eodemq; gubernatur, hic Spiritus non assiduè in nobis operatur: quia nobis peccantibus abscedit statim, & auolat. Tunc autē cùm resurgemus, perpetuò idē iustis & electis aderit. Vel simpliciter Spirituale, dicit incorruptū, quale in aërem deferri possit, & locum non occupare, in modum Spirituum, iuxta dotes sibi resurgenti concessas.*

Animalis potentia.

Spiritalis.

In animam uiuentem. *Primus homo Adam erat in animam uiuentem effectus: hoc est, uiuebat sibi, sicut & unusquisq; sibi uiuit: hoc est, corpus habet animæ uiribus gubernatum. Nouissimus uerò Adam, id est Christus, est in Spiritū uiuificantem. Dominus enim IESVS Christus secundum suam substantiam Diuinam, seu Diuinitatem, æqualis est Spiritui sancto, quē hoc modo habebat, quo & propriā carnem uiuificabat, & nobis per eum incorruptionem largitus est. Quò fit, ut uitæ huius corruptibilis pignora in priore Adam ceperimus: futuræ uerò uitæ immortalis, incorruptibilis, & huiusmodi, in Christo, qui est uia, ueritas, & uita. Eloquutionis idioma satis agnitū. Factus est in animam uiuentem: pro eo quod est, Factus est anima uiuens. Quemadmodum illud dicitur, Esto mihi in Deum protectorem.*

Primus Adam.

Secundus Adam.

Psal.30.

Sed non prius quod spirituale est. *Est quidam rerum ordo in his, ut non prius spirituale, quàm animale. Sed prius animale & imperfectum quod tollitur, & resurgit spiritale & perfectum. Quemadmodum uides primum Adam animalē in animā uiuentem: posteà agnoscis secundum Adam cœlestē in animam uiuificantē. Ab hoc cœlestes, & spiritales dicimur: ab illo uerò terreni, & animales. Cœlestis, dicitur (ait Ambrosius) quia non humanæ fragilitatis ritu, sed diuinæ maiestatis nutu & cōceptus est, & enixus. Nam usqueadeò naturā nostri habuit, ut secundus Adam dicatur, & homo.*

Sicut portauimus imaginem. *Gestauimus imaginem terreni Adæ peccando & moriendo, gestabimus imaginem posterioris innocenter uiuendo. Aut peccator imaginem Adæ portat, iustus uerò imaginē Christi. Ergo (ait Ambrosius) sicut portauimus ueterem hominem ante baptismum: ita & post baptismum, portemus nouum.*

Omnes quidem resurgemus. *Omnes morie mur, & resurgemus: Sed non omnes immutabimur: nō omnes consequemur gloriā. Soli electi ad immortalitatis commodum immutati, & diuinæ gloriæ comitatu ditati erūt, in peccato suo & miseria permanentibus impijs. Vocat Paulus, ut infrà, mutationem ad gloriam illam cœlestem & statum gloriosum, immutationē. Et qui hinc ad illam gloriam mutantur, & transeunt, Immutari dicuntur. Hæc est illa Immutatio perfecta, de qua loquutus est Iob, Expecto donec*

Immutatio. Iob 14.c

donec ueniat immutatio mea. Reprobi mutabuntur quidem cùm resurgent, & immortales, & incorrupti: sed illa est imperfecta, & secundum quid, ut dicunt, mutatio.

Mortui resurgent. *Obserua: Cùm de reprobis est loquutus, tertia persona est*
Psal. 113. *usus, Mortui, id est, reprobi & peccatores (ut in Psalmo, Non mortui laudabũt te Domine) resurgent incorrupti. Et nos immutabimur: id est, electi immutabuntur ad gloriam. Aut tum boni tum mali ad immortalitatem corporis resurgẽt. Nos uerò, id est, electi, immutabimur: quia de miseria ad gloriam transibimus.*

Absorpta est mors. *In Christo uictore absorpta est mors, qui mortem occidit resurgendo, & uictor apparuit.*

Vbi est mors uictoria tua? *Ex persona iustorum loquitur, insultando morti. O mors, ubi est tua gloria, seu potentia & uictoria, qua totum genus humanum tibi*
Stimulus mortis peccatum. *subigebas? O mors, ubi est stimulus tuus, seu peccatum, quo ad mortẽ impulsus est homo? Hoc declarat dicens, Stimulus autem mortis, peccatum. Sagitta mortis (ait Ambrosius) peccatum, per quod animæ iugulantur.*

Virtus uerò peccati. *Occasione enim accepta per legem, quæ docet, & per eam cognoscimus, peccatum fit maius & grauius.*

Deo autem gratias. *Non nostro, sed* IESV *Christi beneficio collata est nobis uictoria: ille certauit, illius certaminis fructum consequimur per eius immensam clementiam. Gratias agamus.*

Labor uester non est inanis. *Quasi dicat: Olim à uobis uirtus ipsa negligebatur, quia resurrecturos uos minimè credebatis, eoq; laborem uanũ ducebatis. Nũc uerò pro certo habetis, resurrectionem futuram: credentes, uestros labores nequaquã fore inaneis, quos in Dominum, & in nomine eius operati fueritis.*

CONCILIATIO.

Prima. HAEC *inuicẽ pugnare uidentur, quæ Paulus hoc capite pronuntiat: Ego sum minimus Apostolorum: Et, Abundantius omnibus his laboraui.* RESPONDEO. *Paulus sequutus Præceptoris sui* IESV *Christi doctrinam (Matthæi 20. cap. Quicunque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: Et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus) ea humilitate floruit, ut statim pronũtiauerit se abundãtius illis laborasse, non sibi, sed gratiæ* IESV *Christi adscribens laborem. Non autẽ ego (ait) sed gratia Dei quæ mecum est. Hac humilitate usq; adeò ualuit, ut euangelizauerit imperuestigabiles* IESV *Christi diuitias, & docuerit dispensationẽ mysteriorum Dei, absconditam à seculis in Deo, qui creauit omnia.*

Secunda. QVOMODO *cohærere uideãtur, quod hìc Paulus dicit, In Christo omnes uiuificabuntur: & quæ Ioannis 5. scribuntur: Filius quos uult uiuificat.* NIHIL
Mors duplex. *pugnantiæ est, si obseruaueris, duplicem esse mortem. Est quædam mors carnis, quæ fit, cùm exhalamus animam. Est alia mors, quæ est fidei uiuæ, quando in impietate submergimur, ut Deum non curemus, & ueniam non deprecemur. Salutis mors est, quando æternis tenebris mancipamur, quæ dicitur mors æterna. Ita est quædam uiuificatio,*
Resurrectio duplex. *quæ dicitur, Carnis resurrectio: de qua loquitur Christus in Ioanne, Veniet hora, in qua omnes, qui in monumẽtis sunt, audient uocẽ filij Dei, & procedent, qui bona fecerũt, in resurrectionẽ uitæ: qui uerò mala egerũt, in resurrectionem iudicij. Similiter & Paulus in hoc toto capite loquitur de uiuificatione, quæ fiet in consummatione seculi,*
Viuificatio. *quãdo uniuersi ad Iudiciũ resurgemus. Est quædam uiuificatio, quæ est excitatio ad uitam mortalem, ut, cùm uerbo excitati sunt mortui, ad uitam priorem. De hac loquitur Christus*

Christus Ioannis 5. Sicut pater suscitat mortuos, & c. id est, filius: quia eandem potẽtiam habet cum patre, excitat defunctos ad uitam priorẽ quos uoluerit, non minori potentia & uirtute, quàm pater. Id quod in Lazaro excitando, Ioannis 11. in filia Archisynagogi, Marci 5. In filio uiduæ, Lucæ 7. satis commonstrauit. Est & alia uiuificatio, quæ fit, quando excitantur impij ab impietate, & credunt in IESVM *Christum.*

QVID *hìc Paulus dicit, quòd Christus regnum patri traditurus est: cùm scriptura* Tertia. *passim testetur, Christum perpetuò regem mansurum, & eius regni finem nullum futurum.* RESPONDENDVM: *Paulum hìc loqui de regno Christi, quod in terris iam per fidem administrat, in quo per uerbũ suum regnat, non apertis rebus, sed perinde ut solem per nubes densas lucentem conspicimus, nubibus autem decedentibus, aut uento discussis, cùm lumen, tum solem uidemus. Ita hoc loco, regnum Christi præsens est Ecclesia, in qua nunc per fidem uidemus: sed cùm finis aderit, ablatæ erunt nubes, & quotquot fuerunt, sunt, & erunt electi, per Christum, & in Christo fruentur Deo, & summa pace & tranquillitate donabuntur. Et id est, quod hìc Paulus dicit, Christum traditurum Deo regnum. Transferet Christus occultum in apertum.*

PAVLVS *constanter hìc pronuntiat, Omnes quidem resurgemus. Quum tamen* Quarta. *nõ ignorauerit dictum Dauidis, Non resurgunt impij in iudicio.* NON *loquitur propheta primo psalmo de resurrectione nouissima, quæ fiet in consummatione seculi, ubi Christus* IESVS *cum hortatu. & uoce Archãgeli, ac tuba Dei descẽdet de cœlo, & apparebit in gloria Maiestatis suæ, iudicaturus uiuos & mortuos. Tum enim omnes, cum pij, tum impij, resurgent ad iudiciũ, ut reportet unusquisq; prout gesßit in corpore, siue bonũ, siue malum, 2. Corinth. 5. Et de hac resurrectione copiosè hoc capite Paulus disserit, constanter pronuntians, Quòd omnes resurgemus. Dauid uerò confert hoc loco pium cum impio, & commendans uirtutes iustorum, ait, Et fõlium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur. Mox uerò pulchra antithesi, impij mala recen-* Resurrectio impiorum in iudicio. *sens, subdit: Non sic impij, non sic: id est, non prosperabuntur in omnibus uijs suis, uelut pij, qui in lege Domini meditantur die ac nocte: sed tanquã puluis, quem proijcit uentus à facie terræ. Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum: id est, non perdurabunt in sanctorum Ecclesia, dispergẽtur uelut paleæ leuissimæ: quia in impietate sua submersi, uero iudicio carent: quo perpetuò etiam carebunt, dum Christum, & eius sponsam Ecclesiam, non sequuntur: nolunt sua in concilio piorum damnari, & ubi audiunt se condemnari uerbo Domini, furiunt, insaniunt, nolunt audire sanam doctrinã, dicunt suum spiritũ sibi esse satis. Sed toto cœlo errant, quum si spiritum Dei haberent, non à piorum concilio, in quo Spiritus sanctus residet, discederent. Non enim dissensionis est Deus. Aut si uis ad extremum iudicium uersum illum Dauidis* 1. Corint. 14. *referre, sic interpretare: Non resurgent impij in iudicio & iustitia, uelut pij: sed in iniquitate sua resurgent: neque in concilio iustorum, sed condemnatorum corona & cœtu, cum quibus ibunt in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.*

DICTIO.

MORS *in Scriptura somnus ferè uocatur: hinc mors piorum, & Christianorũ so-* Mors. *mnus appellatur, quippe qui non gustant mortem æternam, ut Ioan. 8. Si quis sermonem meum seruauerit mortem non gustabit in æternum. & Ioan. 11. Qui credit in me, non morietur in æternum. Videre mortem & corruptionẽ, Hebraismus est in scriptura, pro* Videre mortẽ. *mori, & corrumpi: Non uidere mortem: pro, non mori, ut Luc. 2. & Ioannis 8. Quo fer tè Scriptura utitur, ad ostendendam diuinam uirtutem, cui omnia uiuũt, & nihil perit*

aut

aut corrumpitur: Sed nobis perimus, & nobis morimur, & corrumpimur.

CRAS *moriemur: prouerbium est Laconicum. uide Chiliades Erasmi.*

CORRVMPVNT *bonos mores colloquia praua. Senarius est Menandri poëtæ comici, ait Hieronymus.*

Mysterium. MYSTERIVM *significat aliquid secretum, quoc remotum est ab oculis atque absconditum, præcipue uerò in uerbis, ut cùm dicitur, quod obscurum est, & intellectu difficile, solemus dicere, Hoc mysterium est. Verè Euangelium, imò ipse Christus mysterium Dei est: Euangelium enim prædicat, quæ à ratione humana & sensu remota sunt, adeò ut totus orbis nequeat ea capere, neq; à quoquam, nisi fideli. 1. Corinth. 2. Prædicamus sapientiam Dei in mysterio absconditam. Hæc Dei mysteria sunt: Christum natũ esse ex uirgine, passum, & resurrexisse, cœlos ascẽdisse, & ad dexteram patris sedere.*

Caro. Sanguis, CARO *& sanguis, in sacra scriptura interdum pro hominibus, ut Galat. 1. & 2. Non acquieui carni & sanguini. Aliquando pro sensu humano, aut uiribus hominis. Vt Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Potest pro affectibus & concupiscentijs nostris accipi, ut hoc loco, qui affectus & concupiscentias sequuti fuerint, regnum Dei non possidebunt. Interdum caro significat proximum, ut 2. Regum 5. & Esaiæ 58. Carnem tuam ne despexeris.*

IN ICTV *oculi. Diuus Hieronymus ad Minerium indicat, utrunque inueniri* ῥιπὴ, *id est, ictus: &* ῥοπὴ, *id est, motus. Prius translatum est ab ictu teli, seu fulminis. Secundum à motu lancis, seu libræ.*

Meminit Paulus collectæ: & pollicetur reditum, multos nominatim salutans. CAP. XVI.

Collectæ in pauperes sanctos. DE collectis autem, quę fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite. Per unam sabbathi unusquisque uestrum apud se seponat, recondens quod ei beneplacuerit: ut non cùm uenero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præsens fuero quos probaueritis per Epistolas, hos mittam, perferre gratiam uestram in Hierusalem. Quòd si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad uos, cùm Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud uos autem forsitan manebo, uel etiam hyemabo: ut uos me deducatis, quocunque iero. Nolo enim uos modò in transitu uidere: spero enim me aliquantulum temporis manere apud uos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi, usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi. Si autem uenerit Timotheus, uidete, ut sine timore sit apud uos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat. Deducite autem illum in pace, ut ueniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.

Collectis] collationibus

Beneplacuerit] cõmodum fuerit: Gratiam] munificentiam. Dignum] operæpretium

Timotheũ cõmẽdat Paulus.

Euidens,] efficax,

Sicut

Sicut ordinaui. *Non ait, Hortatus sum, uel dedi consiliũ: sed, ordinaui, quod est maioris potestatis: ut intelligamus uel regium decere imperiũ, eleemosynam impartiri.*

Per unam sabbathi. *Per unam sabbathi, dominicum diem intelligit, ait Chrysosto. Hoc est, primam sabbathi, uel primum hebdomadæ diem.*

Recondens. *Id est, thesaurizans. Quod ei placuerit, addidit, ne quem forte, cuius tenues essent fortunæ, puderet muneris parum magnifici. Recordat ergo apud seipsum quisq;, adeoq; cumulet, auctumq; deinceps, & cumulatum deferat. Ad eos hic sermo habetur, qui ex iustis laboribus sua quærunt, non illis qui usuras exigunt, has restituant: Neq; militibus hic sermo dirigitur, qui inuadunt alios, & gaudent alienis calamitatibus. Ex his enim profectò nihil dignatur Dominus accipere.*

Ostium enim mihi. *Video mihi accessum ampliſsimum, ad complureis suscipiendæ fidei gratia paratos: sed multi sunt aduersarij. Hoc dicens, indicat magnam eum Diabolo luctam, qui alios concitat, ut aduersentur, quando potestate pristina sentit se spoliatum. Aut ut intelligas, spem fructus esse uberem, cùm ait, Ostium magnum mihi apertum est, sed aduersarij multi: id est, sed non sine negotio, ob eos, qui conarentur impedire. Ostium apertum esse, metaphora prouerbiali pro eo dixit, quod est, occasionem, & uelut ansam subministratam esse.*

Ei uacuum fuerit, opportunitatẽ erit nactus.

De Apollo autem fratre, uobis notum facio, quoniam multùm rogaui eum, ut ueniret ad uos cum fratribus: & utique non fuit uoluntas eius, ut nunc ueniret. Veniet autem cùm ei uacuum fuerit. Vigilate, state in fide, uiriliter agite, & confortamini: omnia uestra in Charitate fiant. Obsecro autem uos, fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium Sanctorum ordinauerunt seipsos: ut & uos subditi sitis eiusmodi, & omni cooperanti & laborãti. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati & Achaici, quoniam id quod uobis deerat, ipsi suppleuerũt: refecerunt enim & meum spiritum, & uestrum. Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. Salutant uos omnes Ecclesiæ Asiæ. Salutant uos in Domino multùm Aquila, & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor. Salutant uos omnes fratres. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutatio, mea manu Pauli. Si quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, sit anathema: MARAN ATHA. Gratia Domini nostri IESVS Christi uobiscum. Charitas mea cum omnibus uobis in Christo IESV. Amen.

Apollo.

Stephanæ familia.

Osculum.

In præsentia] de aduentu Vobis] mihi uestri Refecerunt] refocillauerunt

Maranatha. id est, Dominus noster uenit.

De Apollo fratre. *Apollos frater erat Timothei: eruditior ille, & natu Timotheo maior fuisse uidetur. Vt ne dicant, Cur nobis illum uirum non misit, sed pro*

Apollos frater Timothei.

illo

illo iuuenem? Placat illos dicens: Rogaui illum, ueniret ad uos, & utique non fuit uoluntas eius: id est, uoluntas Dei non erat, ut ueniret.

State in fide. *Siue illi ueniant, siue negotijs Ecclesiasticis impediti aliò diuertant, uos interim state in fide: & non in sapientia illa peregrina, aduersus insidias malè persuadentium.*

Omnia uestra in charitate. *Si Charitas uestro cordi fixa fuisset, nunquam quisquam dixisset, Ego sum Apollo. Ego sum Pauli. Sub prophano iudice nemo quisquam litigasset, imò prorsus ne litigasset quidem: Vxorem patris nunquam illa duxisset: Nunquam tenuiores illos contempsissent: Sectas nunquam introduxissent: Donis nunquam sublati fuissent, si Charitatis uis locum ullum tenuisset.*

Primitiæ. **Primitiæ.** *Primitias uocat, uel quia primi in Achaïa, id est, Græcia crediderant: uel, quòd cum fide uitam optimam uelut fructibus quibusdam declararent, & egregiè qualibet in re sese darent. Primitias enim cæteris rebus, quarũ primitiæ sunt, selectiores esse oportet, quale testimonium illis hoc loco Paulus dedit.*

Vt & uos subditi sitis. *Id est, morem gerite, grati estote illi familiæ Stephanæ, non solùm illi, sed & bene meritis & laborãtibus grati estote. Coadiuuemini mutuò, tum facultatum impensis, tum corporis administratione communicetis. Erit enim propositum hoc, quo se in sanctorum ministerium ordinauerunt, leuius, si uestræ suppetiæ coniungantur, beneficentiæq; uis perueniat ad plureis.*

Cognoscite qui eiusmodi sunt. *Id est, in honore eos habetote, siue honorate, cognoscentes eorum studium, uel laborem.*

Si quis non amat Dominum. *Si quis membra sua facit meretricis, sacrificauerit idolo, fratrem oderit, nomina ab hominibus sibi imposuerit, Ego Cephæ, ego Apollo, &c. Resurrectionem non crediderit, sit anathema, sit segregatus & sepositus à Domino & Ecclesia.* MARAN ATHA: *id est, Dominus uenit: quasi dicat, Venit enim Dominus uindex illius.*

Charitas mea. *Significat Paulus, ac si diceret, omnibus me uobis per charitatẽ subijcio, seruiturus per dilectionem cuilibet indigenti opera mea. Aut dici potest: Precor, ut quem ad modum ego uos Christiano affectu diligo, ita uos inuicem syncerè diligatis, ea charitate, qua nos conglutinauit Christus* IESVS, *Amen.*

CONCILIATIO.

QVOD *Christus Luc. 10. dicit, Neminem per uiam salutaueritis: aduersatur Paulo dicenti hoc cap. Salutate uos in osculo sancto.* CHRISTVS *hoc loco non uetuit Apostolis, ne quenquam perpetuò salutarent: sed hoc uoluit, ne uocationem desererent, aut commissum munus interrumperent. Seruiendũ est fratribus, sed post Deum. Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius: Matth. 6. Salutandi sunt fratres, exequuto Dei imperio: cuius habes exemplum apud eundem Lucam, capite præcedente. Nam cùm quidam uoluisset sepelire patrem, & posteà sequi Christum, dixit illi* IESVS: *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: Tu autem uade, & annuntia regnũ Dei. Et alter ait, Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare ijs, qui domi sunt, Ait ad illum* IESVS, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Ita hic, quando uult, neminem salutent per uiam: uult, prædicatores negotium suum prosequi, & nullo impedimento remorari negotium Euangelij. Quasi dicat, Ecce ego mitto uos ad prædicandum, non ad salutandum, docẽdi prouinciam uobis committo, non salutandi. Pergite igitur, docete Israëlem. Postea ubi negotium*

gotium Euangelij exequuti fueritis, salutandi erit locus, uocationi uestræ nunc inseruite. Sic Helisæus seruo suo eundem salutandi affectum prohibuit, dum ad excitandum filium Sunamitidis mittit. 4. Reg. 4. Primùm potiora exequenda, deinde licebit ad alia quoque se accingere. Apostoli crebras salutationes intermiscent suis epistolis, ne putes Christianis non licere, salutare amicos.

DICTIO.

ANATHEMA. *hac uoce Paulus extremum exitium significare solet, quod Hebræi uocant heræm.*

MARAN ATHA. *Duæ dictiones: magis Syrum est, quàm Hebræum: tametsi ex confinio utrarũq; linguarum aliquid & Hæbræum sonat, & interpretatum est, Dominus noster uenit. Sic Hieronymus & Ambrosius transferunt.*

Missa fuit hæc prior, è Philippis per Stephanam & Fortunatum, & Achaicum & Timotheum.

Quidam scribunt hanc epistolam non è Philippis sed Epheso missam, quòd hoc capite ultimo Asiaticarum meminerit ecclesiarum.

POSTERIOR AD CORINTHIOS EPISTOLA.

Posterior hæc Epistola, cùm ferè tota nihil aliud sit, quàm apostolatus Pauli apologia: contristatos tamen & emendatos Corinthios consolatur: eosdem suo exemplo ad persequutiones patienter ferendas, cohortans.

LOCI INSIGNES.

1 Differit de utilitate Crucis, certitudine Euãgelij, & fructu seuerioris suæ increpationis, in priore epistola factæ, de absoluẽdo fornicario, consensu Ecclesiæ petito. Cap. I. II. & VII.
2 De prærogatiua & efficacia ministerij noui testamenti, præ ministerio Moysi. Cap. III.
3 De lucro, & uera tolerantia aduersitatum, quæ pro ueritate Christi perferuntur, & potestate Ministris Ecclesiæ à Christo data & communicata. Caput IIII. & V.
4 De uero studio religionis, & cauenda contagione malorum: deq; salutari tristitia & pœnitentia, ob peccata. Cap. VI. & VII.
5 De subsidio pauperum in Palestina. Cap. VIII. & IX.
6 De pseudapostolis, de potentia spirituali & multimoda probatione apostolatus Pauli. Cap. X. IX. & XII.
7 De seueritate exercenda in eos, qui, cùm peccauerunt, negligunt pœnitentiam. Cap. XIII.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS II.

Deus suorum liberator & consolator. CAP. I.

PAVLVS Apostolus IESV Christi per uoluntatem Dei, & Timotheus frater Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui sunt in uniuersa Achaia, Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat & cõsolatio nostra. Siue autem tribulamur, pro uestra exhortatione & salute: siue consolamur, pro uestra consolatione: siue exhortamur, pro uestra exhortatione et salute, quę operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur: & spes nostra firma est pro uobis, scientes quòd sicut socij passionum estis, sic eritis & cõsolationis. Non enim uolumus ignorare uos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniã supra modum grauati sumus supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere. Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de tãtis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & uobis in oratione pro nobis: ut ex multarum personis facierum, eius, quæ in nobis est donationis, per multos, gratiæ agantur pro nobis.

Gratiarũ actio. Ephes. 1.a 1. Petri 1.a

Cõsolator Deus in tribulationibus.

Exhortationẽ, qua exhortamur] Consolatione qua consolamur

Passiones] Afflictiones

Vestra exhortatione] Vestri consolatione

Afflictus Paulus in Asia.

Tæderet nos etiam uiuere.] Vel, desperauerimus etiam de uita.

Fidendum in Deo.

Responsum] Sententiam

Orationes.

Multarũ psonis, &c.] Multis psonis pro dono in nos collato.

Et Timotheus frater. *Erat Timotheus Paulo inferior, sed Charitas omnis conglutinat. Fratrem dicit, partim illi hac re dignitatem & autoritatem (ut Corinthijs sit reuerendus & obseruandus) concilians, partim suam declarans modestiam. Non dixit Paulus & Timotheus: Quia (ait Ambrosius) non ambo Apostoli.*

Timotheus Paulo inferior.

Pater

Pater misericordiarũ. *Est Deus solus suapte natura miseriæ expers, non autem creatura, quæ miserijs, qualis qualis fuerit, subiecta est, ut docet Paulus Rom. 8. Vanitati creatura sub. &c. Fit igitur, ut misericordia Dei, creatura omnis indigeat. Reuera tantum misericordiæ nobis præstitit, ut ab ipsis portis mortis nos reduxerit: Ex his colligamus, unicam esse misericordiam, plures autem quibus opus est misericordia.*

Deus suapte natura misericors

Qui consolatur nos. *Sinit quidem nos Deus affligi, sed dum affligimur, nos consolatur, & nostram auget patientiam. Laudemus Deum, ut Deum omnis consolationis: hoc est, eximiè in omnibus aduersis consolantem. Solet Deus suos cruce explorare & probare, igneq; afflictionis rubiginem carnis excoquere. Gestiant ergo, & gaudio magno ducantur sancti, dum in disciplina hac, & ludo, siue schola Dei exercentur ad uitam atque innocentiam. De hac re Paulus Roma. 5. & 8. cap. & Hebræ. 12.*

Vt possimus consolari eos. *Apostolorum & prædicatorum munus explicat, quorum maximè interest, ne desides & otiosi uiuant, sed solatio refecti, ac respiratione refocillati, afflictos consolentur, unguant, corroborent, atque erigant. Quidam sic interpretantur: Nostri consolatio, & aliorum est consolatio. Aliter: Consolatio, qua Deus nos consolatur, nobis uires suppeditat, ut possimus oppressis, & afflictis solatio esse.*

Qua exhortamur: *Id est, consolamur à Deo, uerbum passiuè accipitur.*

Abundant passiones. *Quas pro Christo toleramus passiones, suas reputat. Nempe, Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Quò magis affluxerint nobis passiones, tantò maior, & abundantior erit & consolatio, ut & Petrus est de carcere liberatus, & ipse Paulus uisione Domini & uoce confirmatus in templo.*

Electorum passiones sunt Christi.

Spes nostra firma est. *Etiam si innumerabiles molestias patimini, tamen confidimus futurum, ut ne in uestris quidem persequutionibus deijciamini: tantum abest, ut metuamus, ne perturbemini his afflictionibus, quas patimur.*

Quæ facta est in Asia. *Vltimo capite prioris epistolæ dixit, Permanebo autem Ephesi, usque ad Pentecosten, Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi, in ciuitate Epheso. Hunc locum interpretantur de ea seditione, quã Demetrius aduersus Paulus Ephesi excitauit, Act. cap. 19.*

Vt tæderet nos. *Hoc appellat Dauid portas inferorum, ac dolores, & umbram mortis. Ac si dicat, Periculum sustinuimus, ut ne expectaremus quidem nos amplius uicturos.*

Responsum mortis. *Ipsæ angustiæ & afflictiones adeò uehementes, talem uocem per me afflictum edebant, Omnino morior, instat uitæ finis, mors fores pulsat. Ob oculos enim mortem prospectabant Apostoli à fidei aduersarijs obiectam, & comminatam, imò ipsa pericula nihil aliud, quam ipsam mortem sperabant. Erat Paulus tantis obrutus molestijs, perinde atque solent esse infirmi à medicis morti adiudicati, de quorum uita desperatur.*

Vt ex multarum. *Apud Ambrosium legitur, In multorum facie: ut intelligamus, gratias publicitus agendas, de donis ipsi Paulo collatis, cuius reditus sperabatur ad Corinthios. Paulus hoc loco ait, se fuisse Dei clementia saluum redditum, moxq; & Corinthiorum precibus, acceptam salutem adscribit. Eripuit nos (inquit) à periculis Deus: eruptursq; est, uobis precantibus Deum pro me: ut quæ in me collata est gratia per multos: id est, per uos: plurimum enim pro me estis orantes, in quorum gratiã eripior, ut ex multarum personis facierum, gratiæ habeantur: hoc est, à uobis nostra causa*

grates uarijs modis tum priuatim,tum publicè dicãtur.Errant ergo turpiter,qui eccle-
siæ,& publicas illas supplicationes contemnunt,plus fiduciæ centurionũ, & equorum
multitudini adscribentes,quàm ijs,quorũ arma sunt preces & lacrymæ ad Deũ. Sunt
& insani pleriq;,qui neq; Deũ,neq; ecclesiæ preces agnoscunt:sed ordine præpostero
omnia tribuunt fato.Tametsi bono nostro,nostráq; opera nõ indigeat Deus, est tamen
illi placitum,& gratum,cum eo precibus agamus,ut in fiducia rogantes exaudiamur.

Nam gloria nostra hæc est,testimonium conscientiæ nostræ,quòd in simplicitate cordis, & syncerítate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo:abundantius autem ad uos. Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ legistis, & cognoscitis.Spero autem quòd usque in finem cognoscetis:sicut & cognouistis nos ex parte, quòd gloria uestra sumus, sicut & uos nostra, in die Domini nostri IESV Christi. Et hac confidentia uolui prius uenire ad uos,ut secundam gratiam haberetis, & per uos trãsire in Macedoniam: & iterum à Macedonia, uenire ad uos:& à uobis, deduci in Iudæam. Cùm ergo hoc uoluissem, nunquid leuitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud uos,non est in illo Est,& Non:sed est in illo EST.Dei enim filius IESVS Christus, qui in uobis per nos prædicatus est per me & Syluanum & Timotheũ, non fuit in illo Est & Non:sed EST in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo EST. Ideo & per ipsum AMEN, Deo ad gloriam nostram. Qui autem cõfirmat nos uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus:qui & signauit nos: & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens uobis, non ueni ultrà Corinthum:non quia dominamur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij uestri. Nam fide statis.

Syncerítas Pauli in prædicando Euangelio.

Gloria Pauli.

Cur Paulus nõ redierit Corinthum.

Confirmatio. Vnctio. Signum. Spiritus sanctꝰ.

Gloria.] Gloriatio

Ad uos.] Erga uos.

Legistis,] Legitis,

Secundam gratiã haberetis,] Vel, geminam apud uos intrẽ gratiam,

Voluissem,] In animo uersarẽ, Est & non?] Quod est etiã, etiam, & quod non,non?

In illo est, ideo & per] Per ipsum sũt etiã, & per Nostram.] Per nos.

Pignus] Vel, arram

Nõ ueni ultra] Vel, nondum ueni

Testimonium conscientiæ. *Gloria,id est,gloriatio. Prior consolatio,inquit,ex Deo est,hæc uerò ex conscientiæ puritate: & hanc gloriationem uocat, fiduciam habens ob conscientiam cuiusuis labis exortem. Ac si dicat: Non ob aliquod facinus hæc passus sum:conscientia siquidem teste,certus sum, quòd in simplicitate, & non in sapientia carnali,id est,dolositate,& astutia.*

Abundantius apud uos. *Quandoquidem & signa,& miracula apud Corinthios edidit,& uitam irreprehensibilem exhibuit, quæ & scriptis & prædicationi responderet,quã(ait)sperat ab ipsis usq; in finem cognoscendã simplicẽ,& syncerã.*

Non

Non enim alia scribimus. *Ea se dicit Paulus scribere,quæ non solùm literis cernerent,sed & operibus eius manifesta haberent.*

Quod gloria uestra. *Diem,suo more,uocat iudicium.Quamuis uulgi iudicio, non est mihi causa gloriandi de uobis,aut uobis de me, tamen apud Christum est, quod gloriemur utriq; de alteris.Agnouistis iam olim qualis sim,Agnoui & ego uos.*

Dies pro iudicio.

Vt secundam gratiam habeatis: *Id est,ut duplam gratiam habeatis:alteram per epistolam,alteram ob præsentiam.Porrò gratiam hîc appellat gaudium.*

Vt sit apud me Est,& Non? *Quæ cogito,id est,delibero, non secundũ carnem & leuitatem humanam statuo,ut sit apud me Est,& Non: id est, promissionis inconstantia. Quòd enim promisi me ad uos uenturum,& non ueni:promisi quidẽ quantum ad me attinebat.At quia nõ sum meus,sed ipsius Spiritus,à quo gubernor,& eius dominio sum subditus,aliò,quàm ad uos,motus & impulsus sum. Dices, An ex Spiritu promiserat? Minimè, ait Chrysostomus: Non enim omnia Paulo erant cognita, quæ euentura forent,uel profutura. Et quid miraris,si non omnia futura nouit Paulus,cùm in deprecationibus frequenter ignorauerit,quod expediret: uelut illud,Quid oremus, quemadmodum oportet,nescimus. Vbi igitur ignorauit? Cùm postulat,ut à tentationibus liberetur,dicens, Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ,qui me colaphiset. Propter quod & ter Dominum rogaui: Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus mea,seu potentia mea,in infirmitate,seu imbecillitate perficitur. Vides,ut non nouerit petere quæ conducebant: unde nec accepit, quanquam sæpenumero postulasset.hæc Chrysostomus.*

Fidelis sermo. *Occupatio est, diluens quod tacitè obiecturi erant. Si nulla (dicent) tuis inest dictis firmitas, quandoquidem promiseras te uenturum, nihil postmodum egisse deprehenderis:uerendum est ne hic tuus sermo,seu hæc tua prædicatio huiusmodi sit,uidelicet Est & Non: hoc est,nihil habeat firmitatis. Respondet: Erat mei iuris profectionem ad uos polliceri:sed me mea fefellit opinio.Prædicatio uerò, Dei est opus. Est autem Deus fidelis: id est,ueridicus,& neminem fallens. Fit igitur,ut sermo eius nihil inconstantiæ & infirmitatis habeat. Non solùm hoc habet prædicatio, sed & promissiones Dei,cuiusmodi sunt mortuorum resurrectio,adoptio filiorum,& futuri deniq; spes seculi, & huiusmodi multa continent in se EST, & AMEN. Hoc est, firmitatem præ se ferunt,& futura confirmant. Chrysostomus uidetur sentire, hunc locum hoc modo explicandum:Quòd distuli promissum reditum,non est mutatæ sententiæ:uolebam enim tum,& adhuc uolo:sed quod in animo uoluo,non sic uoluo iuxta carnem,hoc est iuxta uoluntatem hominum, qui in rebus gerendis animo suo obsequuntur, ut sit apud me Est,Est: &,Non,Non: id est,ut quicquid uelim faciam,& quicquid nolim uitem. Imò subditus sum spiritui Dei, per quem aliquando uetor facere quod uolo, & iubeor facere quod nolebam. Per hunc igitur stetit, quò minus uenerim. Sed tamen quanquam in hac parte frustratus est uos sermo meus, tamen in prædicatione Euangelij uos non fefelli,sed auxiliãte Deo,firmum est,& indubitatum,quicquid docui. Adeuerte cùm dicit,Est,Est: &,Non,Non: sentit agendi quod uelis libertatem.Quum dicit,Est & Non:significat lubricam fidem,hoc est falsitatem.Quum dicit,Non, significat frustratam spem,ac uanam pollicitationem.Quum dicit,Etiam,siue Est,significat inuiolabilem ueritatem.*

Liberum arbitrium.

Pignus spiritus. *Pignus spiritus, dicit dona Spiritus sancti, quæ sunt arrabo, siue arra,quæ fidem faciat totius promissi præstandi: Metaphora tracta ab ijs,qui in-*

Pignus spiritus.

strumenta obsignant,& annulis signatorijs fidem dant,& sese obstringunt ad id,quod obsignant.

I estem Deum. *In animam meam: id est,in iudicium animæ meæ. Necesse erat iuraret, æmulorum linguas comprimendi gratia, ut excusationi paulò pòst pronuntiandæ adhiberetur fides.*

Parcens uobis. *Auditum est mihi (inquit)quosdam apud uos stupro inquinatos esse,eoq; uenire nolui,ne uos contristarem. Si quidem necesse fuisset,si adfuissem,examinare,negotium persequi,& punire,atque à multis pœnam exigere. Itaque satius duxi abesse,dareq; pœnitentiæ locũ,quàm si præsens persequutus fuissem,ac magis exacerbassem malum. Vsus uerbo parcendi,ne uideatur imperiosus,subiungit: Non quòd dominamur fidei uestræ. Non dixit,Vobis: sed,Fidei uestræ: quia uoluntaria esse debet. Sed quia magis nobis ex animo est, cooperari gaudio uestro, quippe qui statis in fide, id est, firmi estis,potestisq; imbecillos refocillare,& deuios in uiam reducere. Aut cùm dicit,Non quia dominamur fidei uestræ.ac si diceret,Tantum abest,ut fidei prætextu dominium in uos ambiam,ut me propter religionem magis seruum esse agnoscam. Nolite ergo audire illos pseudapostolos, qui dicunt,me prætextu prædicationis affectare,ut uobis imperem,& tandem uos tyrannide opprimam.*

CONCILIATIO.

Prima. ADVERSATVR *hoc loco Paulus dicens,Ita ut tæderet nos etiam uiuere,beato Iacobo 1.cap.dicenti, Omne gaudium existimate, fratres,cùm in uarias tentationes incideritis. Nemo est, qui non fugerit tentationem,ut huiusmodi, & in eius natura cognitam: non autem oderit, si finem & fructum prospexerit,aut ex illius tolerantia,aut expugnatione. Matth.5. Beati,qui persequutionem patiuntur propter Iustitiam,quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

PAVLVS *dicens, Et hac confidentia uolui prius uenire ad uos, &c.diuersum pollicitus est in Epistola priore,cap.ultimo. Veniam autem ad uos,cùm Macedoniam pertransiero,nam Macedoniam pertransibo.*

ABSIT,*ut Apostolus (ait Chrysost.)sibi pugnantia loquatur. Nam hæc contraria sunt (ut uidetur)his,quæ scripserat,nõ his quæ uolebat. Eoq; non hic dixit,Scripsi me uenturum ad uos per Macedoniam: sed,uolebam. Nam etsi hoc non scripsissem,attamen illud conabar, ac uolebam: & priusquam uenirem ad uos, tantum aberat, ut promissis uellem deesse,ut & has literas præuenire uoluerim.*

DICTIO.

Achaia. ACHAIA *ampla Græciæ regio est,cuius Corinthus ipsa,metropolis est.*

Misericordia. MISERICORDIA *Hebraico tropo pro beneficio, uel, quod uulgò dicunt, amicitia. Hanc misericordiam facias mecum,hoc mihi beneficij præstes. Sic misericordia Dei est,quãdo Deus infundit nobis gratiam,ac benefacit: & misericors donum,seu misericordiæ donum,cùm ipse nobis ignoscit,donat.*

Tæderet uitæ. TAEDERET *uitæ: hoc est,ut desperaremus de uita: impersonale est.*

Conscientia. CONSCIENTIAM, *uitam dicere Paulo moris est,ut hoc cap.& 2.ad Tim.1. & alibi de uitæ munditia dixisse intelligi potest. Est Conscientia cauteriata,ut 1.ad Timoth.4. id est,ui formata,& uelut naturaliter malæ intentionis,nota huius adulterinæ intentionis stulto zelo impressa. Est conscientia tortoris loco: unde Esaiæ ultimo,uermis,ac tinea dicitur: insuper,ignis æternus: neq; alia grauior contingit erinnys.*

IN *ipso Amen. In,pro Per,usurpatur.*

AMEN

AMEN *uox Hebraica est,quæ eum habet usum,ut per eam confirmemus,quæ antè dicta sunt. Tres enim uoces sunt, quibus precantur rebus suis felicitatem ac successum: Selach,id est,semper: Schalom,id est,pax: Amen,id est,fiat.* Amen. Selach. Schalom.

Tristitiam Paulus adimit sua consolatione.

CAP. II.

De Corinthio Ecclesiæ cõsensu ejecto,q restituẽdus receptus est. Lacrymæ Pauli.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia uenirem ad uos. Si enim ego contristo uos: & quis est qui me lætificet,nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi uobis,ut non cùm uenero,tristitiã super tristitiã habeam, de quibus oportuerat me gaudere; confidens in omnibus uobis,quia meum gaudium, omnium uestrũ est. Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi uobis per multas lacrymas: non ut contristemini, sed ut sciatis, quam Charitatem habeam abundantius in uobis. Si quis autem contristauit me; non me cõtristauit,sed ex parte,ut non onerem omneis uos. Sufficit illi,qui eiusmodi est, obiurgatio hæc,quæ fit à pluribus: ita ut è contrario magis donetis & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Propter quod obsecro uos,ut confirmetis in illum Charitatem.

Confidens in oĩbus uobis.] fiduciam hanc habẽs erga uos omneis,

Onerẽ]grauẽ Donetis & consolemini,] condonare debeatis & cõsolari, Vt cõfirmetis] efficite ut in illum ualeat charitas.

Ne iterum. *Quod ait iterum,indicat illum iam fuisse ab illis contristatum.*

Quòd si ego contristo uos. *Lætabatur Paulus,uidens correptos à se,& ob id,mœstos ad meliora conuerti. Nullus, inquit, me perinde lætificat, atq; ille,qui meis uerbis,dum contristatur,ad meliora conuertitur,dum me uidet iratum.*

Excõmunicatio nõ solùm pœnitentia,sed & absolutio necessaria.

Si quis autem contristauit. *Conciliare uult fornicarium illum, pœnitentia ductum,Corinthijs. Quia quidã est,qui me contristauit,quem superiore epistola reprehendi,non me solum contristauit, sed & uos ex parte,id est sanctos peccato illius contristatos. Vt non onerem uos omneis: id est,ut non uos omneis illius delicto consensisse dicam. Sufficit illi obiurgatio,&c. Huic parcens,non meminit peccati, hunc uult pœnitentem recipi,quem quia non solus,sed Corinthiorum Ecclesia damnauerat,ut priore epistola dixit: Congregatis uobis,& meo spiritu,iudicaui huiusmodi hominem tradere Satanæ. Et ideo uult illum pariter ab illis absolui,dicẽs: Cui autem aliquid donastis,& ego. Agnosce hoc loco non otiosum esse uerbum Donandi: ut planè non satis sit quempiam excommunicatum pœnituisse,nisi ab Ecclesia receptus absoluatur, & absolutus declaretur. A pluribus autem dixit,pro eo quod est,ab ecclesia.*

Propter quod obsecro uos ut. *hoc est, Efficite, & date operam,ut autoritatem habeat charitas erga illum.*

Experimẽtum uestrum,] probationẽ uestri.

Ideo enim & scripsi uobis,ut cognoscam experimentum uestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod dona-

ui,si quid donaui, propter uos, in persona Christi, ut non circumueniamur à Satana. Non enim ignoramus cogitationes eius. Cùm uenissem autẽ Troadem, propter euangelium Christi,& ostium mihi apertum esset in Domino: non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum: sed ualefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo IESV, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt,& in ijs qui pereunt. Alijs quidem odor mortis, in mortem: alijs autem odor uitæ, in uitã. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus (sicut plurimi) adulterantes uerbum Dei, sed ex syncerttate, sicut ex Deo coram Deo, in Christo loquimur.

Persona] uel, conspectu
Circumueniamur] occupemur, usurpemur
In domino:] per Dominum:
Titus.
Valefaciens] dimissis
Nos] per nos
Odor uitæ & mortis.
Adulterantes] cauponantes
Cauponari uerbum Dei.
Sicut] seduelut

Ideo enim & scripsi. *Hoc referri potest tam ad priorem, quàm posteriorẽ epistolam, ac si diceret: Cùm scriberem ad uos, fornicarium illum Satanæ traderetis: id quidem in eum finem non scripsi, ut miser ille plecteretur: sed ut experirer quàm essetis morigeri, & mandatis nostris obsequentes.*

In persona Christi. *Id est, uice Christi, ut infrà cap. 5.* Vt non Satanæ operæ *circumueniamur, & occupemur, qui gregem nostrum minuit, & sub pietatis specie perdit, in desperationem alliciens, si duriorem illi fornicario pœnitentiam adiecerimus. Non enim illius cogitationes ignoramus: hoc est, uafritiem eius, dolositatem, molitiones, malitiam, sub pietatis imagine factos incursus.*

Ostium esset mihi. *Id est, Auditorum paratiores animos inuenissem ope & auxilio Domini.*

Triũphat nos Deus.

Triumphat nos. *Triumphant alij pro terrenis rebus, his decertando. Sed Deus nos triumphare facit in Christo* IESV: *id est, cùm* IESVM *filium Dei prædicamus, quem solum gloriæ ducimus. Absit enim mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi. Ambrosius, Triumphat nos, facit nos uictores, uincente perfidiam fide. Atq; quod alijs uidetur esse ignominiæ, nimirum undiq; eijci propter Christum, hoc nobis uidetur esse summi honoris, imò assidua trophæa erigit aduersus Diabolum. Huius triumphi fundamentum subiungit Paulus dicens, in Christo* IESV, *id est, propter Christum & ob Euangelij prædicationem.*

Odorem notitiæ suæ. *Metaphoram adducit, ab odoris fragrantia sumptam. Sicut qui portant unguenta, sic omnibus, inquit, sumus manifesti, Dei notitiam, appellans unguentum pretiosum. Non dixit notitiam, sed odorem notitiæ. Quod prius dixit,* Videmus nunc per Speculum in ænigmate: *hîc idem dicit odorem. Qui persensit odorem, scit quidem unguentum alicubi positum esse: cæterùm cuiusmodi naturæ, non item nouit, ait Chrysostomus, nisi prius ipsum uidere cõtingat. Sic & nos, Deum quidem esse scimus: at quid sit secundum substantiam, nondum scimus. Sciemus autem quando quod ex parte est, euacuatum fuerit, uisuri illum sicuti est. Interim sumus tanquam regale suffumigatorium, siue thuribulum, quocunq; accesserimus cœlesti fragrantes*

benecuol

benevolẽtia. Etiam siue quis saluus fiat, siue quis pereat, manet Euangelium propriam habens uirtutem: non aliter quàm mel, quamuis amarum sit agrotantibus, natura tamen dulce est. Euangelium non facit, ut illi pereant. Vult enim Deus omneis homines saluos fieri, &c. *Sed illorum amentia. Etiam si cùm prædicamus, aliqui pereant, sua malitia, non nostra culpa pereunt. Nos tamẽ manemus, & perseueramus hoc esse, quod sumus, nimirum bonus odor Christi. Quòd autem ipsi offendunt, & in Euangelium impingunt, id fit uitio impingentium. Nam idem Sol ceram liquefacit, & lutum indurat: Idq; subiecti magis, quàm sua natura. Flos unus & idem est, sed mel ex ipso colligit apis, uenenum aranea. Ignis aurum reddit fulgentius, & sentes exurit. Lux unà & eadem est, molesta tamen est quorundam oculis, quorundã gratissima. Ita & lux Euangelij, quam noctuæ, tenebriones, & Antichristi præambulones exosam habent: aquilæ, & filij lucis expetunt.* 2. Timoth. 2.

Et ad hæc quis tam idoneus. *Annuntiare, quæ sunt* IESV *Christi, res est uehementer ardua, & quæ non queat à quibusuis præstari. Solùm ab ijs, quibus à Deo datur. Imbecilli & nihili sumus, nisi præstò sit Dei potentia: ad eum nanq; & solum, non ad nos spectat rerum omnium summa. Hoc dicto sirit Pseudapostolos, qui gloriabantur, quasi ex sese attulerint Euangelium. Hîc uerò hoc nomine ait se gloriari, quòd existimet, illhic nihil esse ipsius, sed Gratiæ Dei. Nam si non sumus idonei, gratiæ est, quod geritur.*

Adulterantes. *Id est, corrumpentes, & falsificantes.*

DICTIO.

TROAS, *adis, ciuitas est, quæ prius Troia appellabatur. Est & regio, quam Ptolemæus minorem Phrygiam appellat: adiacet Hellesponto.* Troas.

ODOREM *constat figurato sermone famam & celebritatem nominis significare, ut hoc loco,* Nos bonus odor Christi sumus. Odor *suauitatis in thymiamate orationem humilem piorum significat: ut intelligi solet in Apocal. 8. cap. Item, Euangelium uocat Paulus hoc capite, bonum odorem.* Odor.

Litera occidit, Spiritus uiuificat. CAP. III.

INcipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut nũquid egemus (sicut quidam) cõmendatitijs epistolis ad uos, aut ex uobis? Epistola nostra uos estis, scripta in cordibus uestris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciã autem talẽ habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficiẽtia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ, sed Spiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem uiuificat. Quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut nõ possent intendere filij Israël in faciem Moysi, propter glo-

Scitur.] Intelligitur.
Manifestati] Dũ declaratis
Corinthij epistola Pauli erant.
Carnalibus.] Carneis.
Hebr. 4. d
Litera.

riam uultus eius quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Euacuatur] Aboletur: & infrà.

Incipimus iterum. *Occupatio est, diluens suspicionem, qua quis fortasse contradicturus est Paulo, magnifica de se pronuntianti. Non enim sumus &c. Sed ex syncerítate, sicut ex Deo corã Deo, in Christo loquimur. Quid istud Paule? Hæc de teipso dicis, ac teipsum laudibus uebis? Non hoc uolumus, ait, nimirum ut nosmetipsos ostentemus, ac nosipsos efferamus: sed adeò non egemus commendatitijs epistolis, neque id quæritamus, ut quidam Pseudapostoli gloriæ & uanæ laudis cupidi.*

Commendatitijs. *Commendatitijs ad uos: hoc est, quæ ab alijs profectæ, commendent nos uobis: aut à uobis profectæ, commendent nos alijs.*

Epistola nostra uos. *Epistolam suam uocat, non quam scripserit, sed qua cõmendetur. Studium curandæ salutis illorum argumentum erat & epistolæ uice. Quod epistolæ, inquit, in meam commendationem egissent & laudem, id ipsi per uos agitis: hæc scripta est in cordibus nostris: id est, uos cordi inscriptos habemus. Quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus: id est, quocunq; proficiscimur, uos circunferimus cordi nostro inscriptos, uestras uirtutes omnibus propalantes, & celebrantes.*

Manifestati: *Id est, dum manifestatis uos esse epistolam: aut, dum manifestamini quòd estis epistola Christi: seu quòd Christus menti uestræ inscriptus est, cuius legem cordibus uestris inscriptam portatis.*

Ministrata à nobis. *Quemadmodum Moses lapides ac tabulas celte adornauit, sic nos apparauimus animos uestros, non re quapiã materiali, sed Spiritu Dei uiui, quem in uobis, illo largiente, insculpsimus, non in lapideis, ut olim lex, sed in carneis mentis uestræ tabulis. Hæc ministrauimus, non nostro merito fidentes, qui nos inidoneos ministros agnoscimus, sed Christo, cui acceptum totum fero. Tantum enim abest, ut quicquã nobis adscribamus, cùm ne sufficientes quidem simus cogitare aliquid à nobis, quali ex nobis. Sed uirtus nostra, & uigor omnis, ex Deo reuera proficiscitur: Ipse nanq; nos idoneos reddidit, & aptiores effecit ad rei huius diuinæ, & noui testamenti administrationem.*

Non litera, sed spiritu. *Moysi literæ duntaxat creditæ sunt, quæ occidunt, dum transgressores capitaliter puniunt: Sed Apostolis & Christo fidentibus Spiritus ipse concessus. Non enim spiritualibus quibusdam & diuinis tantùm Apostolorum nitebatur doctrina, sed simul ac manus imposuissent, & Spiritum largiebantur. Intellige nouum testamentum, Spiritum: uetus, Literam. At Apostoli delecti sunt, ut Spiritum administrarent, non ceremonias legis tantùm, ac præcepta legis, quæ, suo more, literam uocat Paulus.*

Vetus lex, scilicet litera. Noua lex, Spiritus.

Litera occidit. *Docuit Euangelium non lapideis, sed carneis tabulis: non atramento, sed spiritu inscriptum. Nunc prorsus illos excitans, ait, Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Quid hoc est? In lege, qui peccatum habet, punitur: hîc autem qui peccata habet, accedens baptizatur, & fit iustus. Iustus autem factus, uiuit liberatus à morte peccati. Lex si præhenderit homicidam, tollit è uiuis. Gratia si acceperit homicidã, illuminat, ac uiuificat. Quid hoc? Imò colligentem ligna Sabbatho lex lapidauit: hoc est, litera occidit. Lex è uiuo reddit mortuum quem capit: Euangelium uerò è mortuo facit uiuum. Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Non dixit, Puniam uos: sed, Reficiam. Aduerte, Non solùm Spiritus uiuificat, uerum etiam*

Lex uet⁹ quãtum ab Euãgelio differat.

alijs præstat id faciendi potestatem. Accipite (inquit ille) Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Litera sine Spiritu prorsus uana, & inutilis est, mortem pariens.

Quòd si ministratio mortis. *Quia oculis corporeis non potuit Paulus nouæ legis excellentiam ostendere, illius eminentiam ex collatione ad ueterem exhibet, dicens: Quòd si lex uetus mortis ministra, fuit in gloria, quomodo non magis administratio Spiritus erit in gloria? Lex quippe uetus sensibilem quandã nacta est gloriam, Moysi scilicet faciem fulgentiorem: & hanc quidẽ uacuam & inanem fãctam, iam desitam & otiosam, & quæ finem iam ceperit. Noua uerò eam uidelicet, quæ mente concipitur, & perpetuò duratura est. Deformata: id est, formata, aut insculpta. Non enim hoc loco præpositio D E, adauget, sicut nec in uerbis Deambulo, & Deosculor.*

Abundat] Excellit

Claruit] Glorificatum fuit

Per gloriã est:] Fuit in gloria:

Fiducia] Libertate

Vtimur:] Vel, utamur:

Facie] Vel, finẽ

Obtusi] Obcæcati

Non reuelatũ] Nec tollitur

Conuersi fuerint] Cõuersus fuerit

Speculãtes.] id est, ueluti speculum exprimentes, uel referentes,

Claritate ī claritatẽ,] Gloria in gloriam,

Nam si ministratio damnationis, in gloria est: multò magis abundat ministeriũ Iustitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod euacuatur, per gloriã est: multò magis quod manet, in gloria est. Habẽtes igitur talẽ spem, multa fiducia utimur: & non sicut Moyses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intẽderent filij Israël in faciẽ eius, quod euacuatur; sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem, id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet nõ reuelatum (quoniam in Christo euacuatur) sed usque in hodiernũ diem, cùm legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. Cùm autẽ conuersi fuerint ad Dominum, auferetur uelamen. Dominus autem Spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos uerò omnes, reuelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

Euangelium.

Velamẽ Moysi. Exodi 34 d

Obcæcati Iudæi.

Spiritus Deus. Ioan. 4. c

Nam si ministratio damna. *Ministratio damnationis: id est, Lex, quæ condemnabat transgressorem, si gloriosa fuit, multò gloriosior esse debet Lex Euangelica iustificationis nostræ administratrix.*

Ministratio damnationis.

Nam nec glorificatum est: *Id est, Quod tam glorificabatur, accedente gloria Euangelij, perdidit gloriam: & ideo addidit, In hac parte: id est, in comparatione propter excellentem gloriam noui Testamenti, quod manet & perdurat. Lex uerò Moysi antiquatur, seu euacuatur, & extinguitur.*

Multa fiducia utimur. *Designat Paulus, habito Euangelio, apertam, non uelatam loquendi libertatem, quum quis palàm eloquitur quod sentit.*

Et non sicut Moyses. *Dicit Moysi faciem fuisse obtectam: nec aspici, donec id quod erat abolendum, coruscante Euangelio, euanesceret, & sic licebat intueri faciem Moysi. Sed non poterat crassus ille populus perspicere, quòd lex illa finẽ esset habitura. Hic textus eclipsim patitur, subaudiẽdum enim est aliquid, & non facimus sicut*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Moyses,qui ponebat,&c. Possumus enim intendere oculos in hanc gloriam, qua circundamur,licet multò maior sit illa.

Vt non intenderent. *Aspicere poterant, sed fixis oculis & diu inhærentibus non poterant. Intendunt,qui defigunt oculos,& immotis oculis intuentur,quemadmodum solent amantes, & qui attentè audiunt loquentem. Non intenderent in faciem:id est,in spiritualem legis cognitionem.*

Quod euacuatur. *Id est,eius qui euacuatur,uel aboletur: ut referas ad Moysen moriturum. Moyses mortalis erat:Christus,ut Deus,immortalis:Moysi lex ad tempus erat instituta,Christi lex finem nescit. Aliter: Eius quod euacuatur:id est,non intenderent in legem euacuandam, & abolendam. Tametsi lex non aboletur propriè, sed figuræ cedunt ueritati.*

Moyses,Lex. **Cùm legitur Moyses:** *Id est,Lex.*

Vbi conuersus fuerit ad Dominum. *Vides hoc uelamen non fuisse uultus Mosaici, sed Iudaici aspectus. Neq; id factum est,quò celaretur gloria Moysi: sed ne illi eam conspicerent:non enim erant capaces. Si conuertantur ad Dominum,tolletur uelamen. Atq; hic est modus, quo reducantur Israëlitæ ad Dominum, cùm à lege defecerint,& ad Euangelium se contulerint.*

Dominus autem,Spiritus est. *Græcis additur articulus, Dominus, Spiritus ille est, nempe legis. Quasi Moyses fuerit caro, utpote mortalis, & imbecillis,& crassus iuxta typum quem gerit. Christus Spiritus largitor, & spiritualis ut efficax & immortalis.*

Nos uerò omnes. *Nullum apud nos fideles & Christianos est uelamen. Nẽpe nos,ut speculum sumus:qui claritate excepta,& splendorem à nobis remittimus,alijs uidendum & intuendum,& per abundantẽ Dei gloriam in nos transfusam transformamur in eandem cum illo imaginem,seu ad eius imaginem & similitudinem accedimus, 1.Ioan.3. Cùm apparuerit,tunc similes ei erimus. Transformamur inquam,tanquam à Domini Spiritu: id est,ab ipso spiritu nos transformante,ut confirmes simus imaginis*

Tanquam. *filij Dei.Obserua:Tanquam,hîc non sonat similitudinem,sed congruẽtiam,Tanquam spiritu Domini:ut intelligas eximiam,dignamq;,quam conferat Domini Spiritus.Simi lis locus est apud Ioannem 1.cap.Gloriam quasi unigeniti à patre &c.*

CONCILIATIO.

Prima. Lex,litera. Lex spiritualis. PAVLVS *hîc uocat legem,Literam,non Spiritum:quam tamen ad Rom.6.dicit spiritualẽ:Scimus quoniam lex spiritualis est.* RESPONDEO:*Lex eò spiritualis dicta est,quòd à Spiritu concessa & prodita sit:sed quia non ut noua Spiritum conferebat,à Paulo Litera nuncupata est.Non enim Spiritum attulit Moyses,sed literas.*

Secunda. QVID *hîc Paulus dicit legem destrui? Si enim quod destruitur, per gloriam est, &c.Cùm Romanorum 3.cap.pronuntiet,Legem destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.*

NON *est idem quod dixit,Legẽ destruimus:&,Lex destruitur. Paulus dicit,se nõ legem destruere.Nam etsi destruitur, lex per eam,quæ supereminet,gloriã,& nõ per Paulum,neq; per alium quempiã Sanctorum destruitur. Propterea dicebat Dominus: non ueni soluere legem,sed adimplere. Nullus ergo Sanctorum,imò nec ipse Dominus*

Legis uelamen ablatum. *destruit legem.Sed ablatum est uelamẽ legis per Christum,& quod latebat,apparuit: ablata est umbra,manet Veritas. Id unum hoc loco persuadet Paulus,gloriã legis temporalem,& pertranseuntem à gloria æterna & permanente destrui,& superari.*

DICT

DICTIO.

SPECVLANTES, *à speculo, non specula ductum est:ut intelligas, Dei gloriam à purgatis animis seu speculo excipi,& reddi.* Speculantes.

VVLTVS *nonnunquàm pro honore, & autoritate, ut Esaiæ 3. cap. Auferet omnem honorabilem uultum.Sæpe etiam in Sacris,accipitur pro indignatione.* Vultus.

Deus per uasa fictilia,manifestat suam gloriam. CAP. IIII.

Deficim⁹:]uel, degeneramus, aut, segnescimus: Abdicamus occulta] Reiectmus occultamenta Adulterantes] Dolo tractãtes

IDeo habentes hanc ministrationem, iuxta quod misericordiam consecuti sumus,non deficimus: sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes uerbum Dei: sed in manifestatione ueritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt, est opertum,in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium,ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus,sed IESVM Christum Dominum nostrum:nos autem,seruos uestros, per IESVM. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationẽ scientiæ claritatis Dei, in facie Christi IESV. Habemus autem thesaurũ istum in uasis fictilibus: ut sublimitas sit uirtutis Dei,& non ex nobis.

Purè Euangelium prædicat Paulus.

Euangelium quare quibusdã incognitũ.

Prædicare Christum.

Scientiæ claritatis]cognitionis gloriæ Sublimitas sit uirtutis] uirtutis eminẽtia sit. Cognitio Euãgelij à Deo.

Ideo habentes. *Cùm magna me auditis de Apostolorum dignitate prædicare, nolite pensare,id nostræ,sed diuinæ potestati & uirtuti adscribendum. Nos enim duntaxat Euangelij ministerio fungimur, factumq; est diuina clementia, ut non defecerimus:hoc est,nullis afflictionibus & malis succubuerimus.*

Sed abdicamus. *Pseudapostoli facie adumbrata,& subdola,omnia factitabãt, fumos obijcientes discipulis. Quemadmodum & hodie Iudæi factitant mysteria Talmudica & Cabalistica.Hi,acceptis muneribus,nil se accepisse à fidelibus simulabant, ut sanctimonia imbuti uiderentur.Cùm tamen essent impuriores.Paulus ait,hæc occulta dedecoris propulsemus à nobis,& abdicemus,nec talia committamus,quæ postmodum manifesta cùm fiunt,ignominiam afferunt perpetranti.*

Non ambulantes. *Cedunt namque ad dedecus,quæ uersutè & dolosè gerũtur.*

Neque adulterantes uerbum Dei. *Non solùm uitam simplicem, & cuiusuis doli expertem,ducamus:sed etiam sermo noster argutijs uacet, non simus falsificantes uerbum Dei.*

Ad omnem conscientiam. *Non more Pseudoapostolorum,religionem palàm simulemus,clàm mundo & carni seruientes:Sed quales sumus,tales Deo & hominibus appareamus.*

Quod si etiam opertum est. *Occupatio est:fortassis obiecturus est quispiam, Quid isthuc est Paule? modò prædicabas, nos facie reuelata, prospicere Euangelium,*

& glor

& gloriam Domini contemplari. Credentibus(inquit) & fidelibus est apertum: at non item infidelibus, non Euangelij culpa, sed ipsorum qui fide carent. Clarè nanque & his si crederent, Christi gloria & uis omnis Euangelica pateret.

Manichęorum error.

Hylæ Manichæorū Deus.

Deus huius seculi. *Hoc est, in quibus Deus excæcauit (id est, cæcos esse permisit) mentes infidelium huius seculi: ut intelligamus, Deum uerum ultorem scelerum, excæcare mentes infidelium huius seculi. Hanc lectionem plerisq; placuisse nostrorũ, testis est August. lib. aduersus Faustum 21. cap. 2. Quòd Manichæi duos Deos facerent, alterum ucrum, alterum unde scaterent mala, quem Hylem uocabant. At idem aliquãtò pòst negat absurdum uideri debere, si Diabolus dicatur Deus huius seculi. Quemadmodum & illud dictum est Paulo, Quorum Deus uenter est. Item illud in Psalmo, Dij gentium Dæmonia. Intelligere possumus Deum huius seculi, Satânam: quèadmodum sentit Cyrillus. Nec te moueat, quòd illi tribuatur uocabulum Dei. Nõ est enim simpliciter Deus, Diabolus: sed illis est Deus, qui illum anteponunt Christo. Velut auaris pecunia, siue mammona, Deus est. Certè Ambrosius nõ ueretur interpretari, Diabolum huius seculi, Deus malorum. Nota in diuinis literis, triplici differentia inuenitur nomen Dei, ac Domini: iuxta naturam ac ueritatem, solus Deus dicitur Deus, ac Dominus: iuxta adoptionem, Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes: Et iuxta opinionem, 1. Corinth. 8. Nam etsi sunt qui dicantur Dij in cœlo siue in terra. Non absurdum uidebitur Deum huius seculi dici, sicut & Deum terræ & cœli, Abraham & Iacob, cùm sit Deus omnium.*

Deus seculi. Diabolus quibus est Deus?

Deus uerus, dij per adoptionẽ, dij iuxta opinionem.

Vt. Vt non fulgeat. *Particula VT, cuentum rei, non causam dicit. Sensus est, Ne illucesceret, illis derelictis & obcæcatis, illustratio Euãgelij, hoc est prædicationis gloriæ Christi. Aut, ne illucesceret illis lux Euangelij, quæ est lux Christi.*

Quoniam Deus, qui dixit. *Sicut Deus dixit, seu iussit, cùm tenebræ essent super terram, Fiat lux, & facta est: ita ipse illuxit nobis prius per IESVM Christum, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei: id est, ut claram & gloriosam Dei patris cognitionem illucescere aliis faceremus, in facie & uultu IESV Christi, qui est imago Dei patris. Alludit ad Moysi faciem uelamine opertam, cùm in Christi facie clarè refulserit gloria Dei patris, uelut in imagine absolutissima, & expressa patris substantia. Aut, in facie, id est, in persona, seu uice Christi prædicaremus cognitionem Dei, sicut sequenti capite, pro Christo legatione fungimur. Aut, Illuxit nobis in facie Christi: id est, per Christũ Deum patrem agnouimus, & eundem prædicamus, & uobis annuntiamus. Dicentes Christo in Ioanne, Pater, ego te clarificaui super terram, & manifestaui nomen tuum hominibus.*

Ioan. 12.

Habemus autem thesaurum. *Diuina est potentia, quòd tam multa præclara de ineffabili gloria Dei, tanquàm Thesauris, contineat fictile uasculum, seu corpus hoc mortale: ut non nostris meritis tantam dignitatem tribuamus, sed eminenti potentiæ, ac uirtuti Dei, qui fragili uasculo, tantum thesaurum credere dignatus est, ut eminentia Virtutis, seu potentia eius emineat, & appareat per homines prædicatores. Thesaurum sacramentum significauit Dei, in Christo.*

Afflictiones. In omnibus tribulationẽ patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortificationem IESV Christi in corpore nostro circunferen-

Mortificatio Christi.

Angustiamur:] anxij reddimur:

Aporiamur,] laboramꝰ, uel, tædio uincimur, aut, cõristamur supra.

modum. cunferentes, ut & uita IESV manifestetur In corporibus nostris. Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter IESVM, ut & uita IESV manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, uita autem in uobis. Habẽtes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod loquutus sum: & nos credimus, ptopter quod & loquimur: scientes, quoniã qui suscitauit IESVM, & nos cum IESV suscitabit, & constituet uobiscum. Omnia enim propter uos: ut gratia abuudans, per multos tn gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Propter quod, non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporalia sunt. Quæ autem non uidentur, æterna sunt.

Cum Iesu] per Iesum

Per multos] pluribus gratias agentibus, Abundet] exuberet

Id eũ &c.] Nã momentanea leuitas afflictionis nostrę supra mirè modum æternũ pondus glorię parit nobis, dum nõ spectamus ea quæ uidentur, &c.

Temporalia] temporaria

Psal. 115.a

Internus. Externus homo.

Semper mortificationem. *Sancti uariis mortibus, & afflictionibus, propter Euangelium, quotidie obnoxij erant. Qui, quia Christo commoriebantur, & Christo consurgebant, atque credentes qui hæc spectarent, propter spem & fidem quam in Christum habebant, uegetiores fiebant: ita ut manifestaretur in illis Christus resurrexisse, seu uita IESV appareret in afflictis, quos quotidie ab his periculis & afflictionibus criperet Dominus IESVS. Hunc locum explicat Paulus loco sequenti. Consueuit enim enodare Apostolus, quod obscurè pronũtiauit. Propter hoc enim, inquit, tradimur: hoc est, mortificationem circunferimus, ut uirtus uitæ illius appareat, non permittentis carnem mortalem à multitudine malorum tanta patientem uinci.*

Clauis scripturæ.

Ergo mors in nobis. *Nos morimur, & afflictiones uarias ob Euangelij defensionem patimur, ut uos per religionem & fidem hanc acceptam, meliorem & æternam uitam uiuatis.*

Habentes autem. *Eodem præsidio, quo Dauid in afflictionibus seruatus est, & nos seruamur: spiritu quo loquutus est, et nos loquimur. Credidit ille, propter quod & loquutus est. Credidimus cum illo in Christũ, & resurrectionẽ eius, propter quod confidẽter loquimur, & prædicamus, scientes nos fore resurrectionis illius participes.*

Omnia enim propter uos. *Vestri ob gratiam uniuersa sunt condita: quin & ipsa resurrectio uestri ob gratiã & utilitatem fiet. Quò fit, ut cùm exuberante Dei gratia in uos, abundet etiam necesse est multorum officium, in agendis gratijs ad gloriam Dei.*

Propter quod, non deficimus. *Cùm spectata habemus Dei potẽtiam, & clementiam, qui nos à malis eripit, non segnescimus, non defatigamur. Quidam per futurum explicat, non credamus malis, hortantis est sermo. Quandoquidem exterior homo*

mo

mo:id est,corpus,cùm cæditur & affligitur, corrumpi solet. Sed interior:id est, spiritus ipse,et anima innouatur,bene sperãdo,& fidẽdo plurimũ in Christũ, q dat ut agnoscamus temporarias,& momentaneas istas afflictiones perituras: idcirco toleratu leuiores,quando ad exiguum temporis inferuntur: nobis tamen parituras excellentißimam æternamq;,ac solidam gloriam & pondus:hoc est,magnitudinem ingentem gloriæ.

DICTIO.

Aporior, Aporia. APORIOR,cõuitior,& quasi pauper abijcior. unde Aporia,id est penuria,& indigentia. Est Scripturæ usus,ut humiliare uocet abijcere,deprimere,& in nihilũ redigere:quomodo & mulieris humiliatio ad libellum repudij pertinet Deut. 21. Quare & Christiani in plerisque Scripturæ locis,pauperes afflicti,humiliati uocantur.

Mortificatio. MORTIFICATIO non tantùm humana quædam coërcendi diligentia, aut externi cruciatus,sed quando uerus metus Dei absterret nos à peccãdo,ita ut uerè perhorrescat cor,metu diuini iudicij & Dei amore:ut uitet peccatum. Sic perculsum cor, infirmitatem suam agnoscit,& opem à Deo implorat. Talis mortificatio, opus est Spiritus sancti:Rom.8.& Galat.5.

Hîc exulamus:in cœlo autem patria nostra est.

CAP. V.

Domus terrestris. Corpus spirituale. SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram,quę de cœlo est, superindui cupientes, si tamen uestiti & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati:

Apocaly.16.c

Cohũctatio spiritus & carnis.

Grauati:] onerati:

eo quòd nolumus expoliari, sed superuestiri:ut absorbeatur quod mortale est, à uita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum,Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur semper, & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: (per

Efficit]parauit

Pignus]uel,arrabonem

Audentes]confidentes

Fides. fidem enim ambulamus,& non per speciem) audemus autem,& bonam uoluntatem habemus, magis peregrinari à corpore,& præsentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus,siue absentes,siue præsentes, placere illi.

Bonam uolũtatem habemus.] probamus,

Propria corporis, prout] ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod facit,

Roma.14.b Omneis enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit,siue bonum,siue malum.

Terrestris domus. Terrestris domus nostra. *Multi terrestrem domum, quæ in terris his dicitur,accepêre. Ego uerò asseuerauerim,corpus hoc nostrum dici.*

In hoc ingemiscim. *In hoc: id est, propter hanc tantam gloriam æternã. Ingemiscimus:id est,multo desyderio laboramus, cupientes habitationem nostram, quæ de cœlo est,superindui:hoc est,nos donari immortalitate & incorruptibilitate: ut hoc corpus nostrum conformetur Christi corpori, societate immortalitatis. Si tamen uestiti & non*

& non nudi,fide & opere pietatis inueniamur: aut si corpus exuentes, Christum induisse reperiamur. Quicunq; enim in Christo baptizantur,Christum induunt. Dici potest,in hoc (supple,corpore) ingemiscimus,&c.

Nam & qui sumus. *Qui sumus in hoc caduco & fictili corpore: scimus quidẽ ineffabilẽ esse animi erga corpus affectũ, horumq; unionem naturali quodã appetitu indissolubilem. Nõ propterea ingemiscimus,quòd è corpore simpliciter sit abeundum: sed quia uolumus superuestiri,& corruptionis uacui esse,ut corruptio illa & mortalitas,non autẽ corpus à uita illa æterna cõsumatur,absorbeatur,& pereat. Nec corporis gratia solũ grauamur, sed quia corruptibile sit,molestè ferimus. Deus enim efficit: id est,creauit,& parauit nos,in hoc ipsum:id est,in hũc finẽ,ut immortales & incorruptibiles essemus. Et dedit nobis pignus spiritus:id est,ipsum spiritũ,ut sciamus quia tẽplum sui spiritus perire non patitur. Aut quia eruẽs nos à peccato,(à quo oritur corruptio) spiritũ nobis contulit,qui incorruptionẽ efficit,manens arrabo futuræ immortalitatis & gloriæ: si in finem usq; Christo adhærentes,solicitè perseuerauerimus.*

Pignus spiritus.

Audentes igitur. *Audentes ergo: id est,confidẽtes,& intrepidi,neq; insidias, neq; afflictiones perhorrescamus. Scientes,& non ignari,quòd in hoc seculo peregrinamur à Domino: id est,illum modicè nouimus,nempe per fidem & ænigmaticam cognitionem,non autem per speciem,id est,non facie ad faciem illius ullam habemus cognitionem. Cùm itaq; hoc pacto hæc se habeant,confidenter optamus,& ualde desyderamus,imò sic animati sumus,ut malimus peregrinari à corpore: (id est,abesse à corpore) quò liceat adesse Deo.& alibi dicit:Cupio dissolui,& esse cum Christo.*

Peregrinari à Domino.

Philip.1.

Et ideo contendimus. *Hoc dicit Paulus,ne fortè cùm peregrinationem intelligis,existimes satis ad salutem tibi id fore. Vnde inquit,Studendum,ut hinc Deo grati abscedamus,ratione uitæ,quam illi acceptam in hoc seculo duxerimus. Contẽdimus, id est,certamus,& ambimus:ita ut ab alijs uinci non patiamur. Siue præsentes,siue absentes:pro,siue foris agentes,siue domi.*

Omnes enim nos. *Pro magnitudine potentiæ sedentis, magnitudo Tribunalis & terror iudicij æstimanda sunt.*

Propria corporis. *Id est,quæ per corpus fiunt.*

Prout gessit. *Hoc est,ad ea quæ gessit: hoc est,pro ratione,& portione eorum, quæ in corpore uiuens fecit.*

Timorẽ] Terrorem

Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus;Deo autẽ manifesti sumus. Spero autem & in conscientijs uestris manifestos nos esse. Non iterũ commẽdamus nos uobis; sed occasionẽ damus uobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriãtur, & non in corde. Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, uobis. Charitas enim Christi urget nos;æstimantes hoc,quoniã si unus pro omnibus mortuus est,ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui uiuunt,iam nõ sibi uiuant, sed ei,qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus

Mente excedimus,] Insanimus, uel rapti sumus,

Mors Christi. Viuere Christo.

Ex hoc] Posthac

Esaiæ 43.c Apoca.21.a

gnouimus secundum carnem Christum: sed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in Christo noua creatura: uetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniã quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Reconciliauit nos sibi Deus.

Legati Christi Apostoli.

Iustitia Dei.

Iam] Amplius Qua ergo in Christo noua creatura] Quis est i Christo noua creatura?

Reputans] Imputans

Exhortãte] Rogante

Scientes ergo timorem. *Suasione multorũ fallebantur pleriq;, dubitantes de die iudicij, habẽtes, inquit, tremendi illius iudicij notionem, suademus hominibus: id est, (ait Theophylactus) seruimus, atq; ita temperamus, ut neminem offendamus. Non enim tantùm abstinendum est à malo, sed etiam ab omni suspicione, & specie mali. Aut, scientes quantus metus sit diuini iudicij, suademus hominibus, ut caueant. Deo enim manifesti sumus, si non & nos formidemus. Nouit Deus quales sumus, falli non potest.*

A malo & mali suspicione abstinendum.

Eos qui in facie: *Id est, qui uultu pietatem præferunt, corde uerò nihil habent, quod sanum rectum'ue sit.*

Mente excedimus. *De magnis rebus Paulus loquuturus, uidetur ecstasim incurrisse, ut ostendatur uehemens eius animus ad Dei honorem exprimẽdum. Quidam tribuit Paulo insaniam quandam amatoriam: (absit iniuria uerbo.) Nam Plato triplicem furorem docet, Vatum, Poëtarum, & Amantium, quorum postremũ putat esse felicissimum. Vltimum tribuunt Paulo, qui non in se, sed in Christo uixerit. Quemadmodum amantis anima, non est ubi animat, sed ubi amat. Quiq; optarit pro fratribus anathema fieri à Christo. Legunt, excidimus: non, Excedimus: quod repetendum est, ne sermo sit inabsolutus. Siue enim mente excidimus, excidimus Deo: id est, ad Dei honorem. Siue sanæ mentis uidemur, uobis sani sumus. Solet familiarius sic explicari, Si supra intellectus uestri & rationis metas egressi aliquid planè diuinum loquimur, aut de nobis magnifica dicimus, Deo: id est, ad Dei honorem, supple, loquimur. Omnia Deo, & nihil nostræ uirtuti adscribimus. Siue sobrij sumus: id est, siue humilia & mediocria propter infirmiores, qui ardua illa, & magnifica nõ capiunt, dicimus, uobis: id est, propter uos, id facimus, capacitati uestræ nos accommodantes.*

Triplex furor Platonis.

Ex hoc: *Id est, posthac, de cætero. Ambrosius legit, Ex hoc tempore. Neminem nouimus secundum carnem: id est, carnaliter circunciſum, & carnales ceremonias seruantem, nullius q; ueterum imitamur exemplum. Et si cognouimus secundum carnem Christum quando maledictum factus, patibulum crucis pro nostra salute suscepit: nunc autẽ non ita cognoscimus. Non enim est iam passurus pro nobis, qui semel pro omnibus & mortuus est, & resurrexit. Aliter: Et si cognouimus secundum carnem Christum: id est, cognouimus (intellige hoc loco Paulum in persona Apostolorum magis, quàm sua loquutum) Christum secundum carnem uixisse, quando pro naturæ passionibus, nulli tamen culpæ obnoxius, uixit: Videlicet, quum famẽ, ac sitim, & labores perpessus est. Sed*

nunc

nunc iam non nouimus: id est, nunc non est carnis necessitati subiectus: hoc est, passionibus prædictis constat hunc esse immunem, quæ natura ipsa hisce corporibus mortalibus insunt, nec arceri, dum in humanis agitur, possunt. Hoc loco nos hortatur Paulus, non ultra ad carnis conditiones & uitia, sed secundum Spiritum degamus.

Si qua ergo in Christo. *Omnis qui in Christo est, noua creatura est, & in aliam transijt creationem. Etenim cœlitus natus est per Spiritum. Voluntariè (ait Iacobus 1. cap.) genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius. Cùm quis baptizatur, fit illa excellentissima Dei creatura, cuius uetera transierunt, neque ueteri homini cedit, neque uetustæ legi seruit: Antiquata sunt uetera: Caro & umbra cesserunt spiritui & ueritati. Quæret aliquis, Quomodo? quæ uetera transierunt: & quomodo facta sunt omnia noua? Certè delinquentium facinora, & Iudæorum ritus & opera transierũt. Nouum præterea & corpus effectum, & pro rebus Iudaicis cunctis innouata sunt omnia. Nam pro Lege, Euangelium: pro Ierusalem, Cœlum: pro Circunciſione, Baptismus: pro Mãna, purissimum Christi corpus: pro aqua, Domini sanguis: pro baculo uel Moysi, uel Aaron, Crux ipsa: pro Agno irrationali, Dei filius: pro Tabulis lapideis, Carneæ & Spiritales: pro innumeris Sacerdotibus, unus Pontifex. Hæc & talia cogitans Paulus, dicebat, Noua omnia. Considerabat enim quod prædictum erat, Leuitici 26. Et uetera nouis superuenientibus proijcietis. Hæc autem ex Deo per Christum, & dono illius.*

Noua creatura in Christo.

Quomodo facta sunt omnia noua.

Deus erat in Christo. *Dicebat Christus in Ioanne: Pater in me est, & ego in patre. Pater per id intelligitur esse in filio, quòd una eorum sit substantia. Ibi enim est unitas, ubi nulla est differentia, ac per hoc inuicem sunt, quia & imago & similitudo eorum una est. Hoc modo pater est in filio, & filius in patre. Deus opus suum nolens perire, misit filium suum, per quẽ nobis prædicata remissione peccatorum, reconciliauit nos sibi per ipsum, per quẽ nos creauerat. Verè reconciliauit, non imputans nobis peccata dici potest in hunc modum, Deus personaliter existens in Christo reconciliauit in ipso Christo homine ut organo mundum. In ipso Christo: id est, ea ratione, qua homines sunt ipsi adhærentes per uiuam fidem, & eius membra fiunt.*

Ioan.14. Pater in filio.

Verbum reconciliationis. *Dedit nobis Christus potestatem illam, qua per uerbum eius in gratiam uos reducamus. Quorum enim (dicebat Christus) remiseritis peccata, remittuntur eis. Verbum reconciliationis, Euangelium est.*

Verbum reconciliationis.

Pro Christo: *Id est, loco Christi, legatione fungimur. Et quemadmodum per illum hortabatur nos Deus, sic uos hoc tempore per nos ille hortatur, ut sibi reconciliemini. Ergo ô Corinthij quæ uobis annuntiamus excipite, non secus, ac si ipse Christus coram astaret, aut ipse Deus, qui nos ceu instrumenta sua pulsat, ut clamemus, reconciliamini Deo.*

Pro nobis peccatum fecit. *Deus IESVM Christum, qui non nouerat peccatum, imo qui iustitia ipsa erat, pro nobis fecit ipsum non peccatorem, sed peccatum: id est, uictimam & hostiam, peccati nostri expiatricem, pro nobis fecit illum obire mortem, ac si peccator fuisset is, & maleficus. Voluit ipse Christus pati supplicium, ac si peccasset omnia, cùm solus nihil peccasset.*

Christus peccatum.

Iustitia Dei in ipso: *Id est, Vt essemus iustificati à Deo per ipsum Christum. Hebraico idiomate Iustitiam dixit, pro Iustus. Addidit, Dei: ut ostendat immensitatem gratiæ, ne quis supercilium, aut cristas erigat, asscribens iustificationem legi, aut operibus nostris.*

Christus Iustitia Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCILIATIO.

Prima. PAVLVS pronuntians, Bonam uoluntatẽ habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum: aduersatur quod scribitur Hebr. 4. Et non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo est. HOC loco non docet Paulus creaturam aliquam Deo absentem esse: Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Sed insinuat nos quodammodo tunc magis illi præsentes, cùm perfecti à carnis fragilitate fuerimus seiuncti.

Hebr. 4.

Secunda. PVGNARE uidetur hic locus, Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat, &c. cum eo qui scribitur Ioan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, ut in iudicium non ueniat, sed transeat à morte in uitam. RESPONDET Augustinus in tract. 22. in 5. cap. Ioan. Aliquando Iudicium, discriminatio dicitur: hoc modo oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, ut illhic recipiat homo quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Ipsa est enim Discriminatio, ut bonis bona, malis mala distribuantur. Est & iudicium damnationis: hoc modo dicitur in Ioanne, Non ueniet in iudicium: id est, in condemnationem. Hæc ille.

Iudicium.

Tertia. NON concordat Esaias cap. 53. dicens de Christo: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: cum Paulo hic pronuntiante, eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. DOCET Esaias Christum filium Dei neq; peccasse, neq; peccato subiectum. hoc idem Paulus in omnibus epistolis pronuntiat. Sed hoc loco Paulus de patre mentionem facit, qui Christum uerum agnum immaculatum pro nobis fecit peccatum: id est, hostiam & uictimam, nostrorum peccatorum expiatricẽ. Peccatum enim tropo Scripturæ accipitur pro oblatione: ut, Comedent peccata populi: id est, oblationes, quæ pro peccatis offeruntur. Oseæ 4. cap.

Esaiæ 53. 1. Petri 1.

Peccatum pro hostia.

Quarta. CVM hic Paulus dicat, Deus erat in Christo, mundum recõcilians sibi: quomodo Christus in passione sua clamauit, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? RESPONDEO, geminata ista dictio, Deus, Deus, uim uehemẽtissimã habet. Deus uniuersorũ, Deus meus speciliasimo modo. Vnde Ioan. 20. ait Christus, Ascendo ad patrẽ meum, & patrẽ uestrum: Deum meũ, & Deum uestrũ. Quo loco docet, quòd sicut Deus est specialiter suus pater ratione Diuinitatis, sic specialiter est suus Deus ratione humanitatis assumptæ, quã pater plus diligit quam totũ uniuersum. Ait itaq; unicus, atq; amantissimus Dei filius, in cruce pendẽs, & inexcogitabilibus pœnis circũdatus: Deus Deus meus, respice in me: id est, attende quod pro genere humano sustineo, & pro eius salute patior. Quomodo sic auerteris uel potius auertere uideris faciem tuam à puero tuo, de quo toties Matth. 3. & 17. dixisti, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipsum audite. Respice in me: id est, cõdole mihi, qui semper respexi in te cum omni reuerentia, faciendo quæ tibi sunt placita. Quare me dereliquisti: id est, cur ita te habes hoc tẽpore meæ passionis circa me, quasi uideor omnino à te separatus, & relictus inter istos impios Iudæos sanguinis mei sitibundos, & tortores uehemẽtissimos. Id certè est quod clamabat Esa. 53. cap. Nos putauimus eũ quasi leprosum, et percussum à Deo, & humiliatum. Non fuit diuinitas à Christo separata. Sed ut insinuaret tibi Propheta, Christum uehementissimum dolorem in sua passione sensisse, quasi uisus fuerit purus homo, tametsi esset Deus & homo, dixit, Quare me dereliquisti?

Quinta. QVID hic Paulus ait, Reconciliamini Deo? Quî fieri potest, recõciliemur Deo, cùm iam mundus sit per mortem Christi reconciliatus? RESPONDEO, Christus

Mundũ reconciliari Deo.

stus moriẽs factus est hostia sufficiẽs pro satisfactione totius generis humani. Et in hac morte facta est recõciliatio sufficiens. Sed exequutio & applicatio recõciliationis obtentæ per Christi mortem, fit per sacramenta (quæ dicuntur applicationes passionis Christi) & fidem uiuam, quam habet, qui reconciliatur in Christum mediatorem Dei & hominũ. Cùm ergo Paulus ait, reconciliamini Deo, rogat ut recõciliatio per Christi mortem facta, exequutionem habeat in uobis per fidem & charitatem Christi.

Sacramẽta Ecclesiæ sunt applicationes passionis Christi.

DICTIO.

VOCANT Hebræi aliquãdo Peregrinum eum, qui ex obscura progenie est, & non cõstat ex qua familia prodierit. Exodi 12. cap. Sicut Indigena dicitur Hebræis, qui sua prosapia est clarus. Peregrinum interdum pro admirando & humanis mentibus inusitato ponunt. Vt Esaias peregrinam suam operationem dicit, 28. cap.

Peregrinus. Indigena.

PECCATVM tropo uulgari Scripturæ usurpatur aliquando pro hostia, ut hoc loco. Galat. 3. Et Oseæ 4. Vide Augustinum de uerbis Apostoli, sermone 6.

Peccatum.

Dei ministri quomodo sese exhibeant, ostenditur. CAP. VI.

Exhortamur,] obsecramus,

ADiuuantes autem exhortamur, ne in uacuum gratiã Dei recipiatis (Ait enim: Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nũc dies salutis) nemini dantes ullam offensionem, ut nõ uituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patiẽtia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in sciẽtia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute Dei, per arma iustitię à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut seductores, & ueraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce uiuimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudẽtes: sicut egẽtes, multos autem locupletantes: tanquã nihil habentes, & omnia possidentes.

Exhortatio ad opera. Tempus, acceptum. Esaię 49. c 1. Corinth. 4. a Ministri Dei.

Vituperetur] reprehendatur

Angustijs,] Anxietatibus,

Castitate,] puritate, Longanimitate,] lenitate, Suauitate,] benignitate, uel, comitate, Ignobilitatẽ,] ignominiam, Infamiã et bonam] conuitia & laudes, Mortificati:] occisi:

Adiuuantes autem exhorta. Exhortatio est ad Corinthios, ut incumbant ijs, quæ iam norant. Mirificis coloribus uitam Christianã depingit, qui carni non possunt esse amœni. Primùm adiuuantes, seu cooperantes se uocat: sicut 1. Corinth. 3. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Quod perinde est: Nos prædicamus & uerbo laboramus in uobis, docendo & hortando. Deus autẽ intus spiritu suo benedicit, donatq; incrementum, ne uerbo foris frustra laboretur.

Colores uitæ Christianæ.

Ne in uacuum. Gratiam Dei in uacuum recipit, qui uerbum Dei purum, & syncerum nullo studio amplectitur. Hac utique ingrata socordia merentur, ut rursum ab ipsis auferatur, tanquam eo indignis.

Gratiã Dei in uacuum recipere.

Aít enim. Subaudiendum est, Dominus, siue scriptura. quæ sermonis forma non est infrequens apud Paulum.

Tempore accepto. Occupatio est. Dicet aliquis, Non in manu est, gratiam recipere. Respondet Paulus, Esaiæ 49. testimonium producens: En tibi tẽpus acceptum, hoc est, tempus gratiosum, atque diuino fauore fœcũdum, in quo Deus iram suam auertit, atque nihil nisi nostri amorem, atque propensum ad iuuandum nos animum declarat. Adest regnum misericordiæ, audi huius regni regẽ, Petite & accipietis, Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur. Matth. 7.a

Dies salutis. Dies pro uita.

Ecce nunc dies salutis. Dies salutis: id est, auxilij & felicitatis, quo ægrotis salus affertur, & morbis mortalibus medicamina infunduntur. Dies dici solet hæc uita, quia ad operandum est apta, & concluditur nocte iudicij: quæ dies tenebræ erunt peccatoribus, non lux, in qua iam nemo poterit operari.

Nemíni dantes ullam. Hoc idem monuit superiore epistola cap. 10. Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo: non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant.

Vt non uituperetur. Vituperatur ministerium docendi uerbum Dei, si opera, doctrinæ aduersantur. Odi enim ego (ait sapiens) homines ignauos opera, & dignos sententia.

Christianæ uitæ fructus.

Exhíbeamus. Hîc decora Christianæ uitæ, & proprias notas, quibus in cõuersatione ornatam oportet esse, ordine mirifico describit. Hi sunt fructus, & hæc sunt signa pij & Christiani hominis. Dei ministerium in his planè situm est, In multa patientia, in tribulationibus &c.

In multa patíentía. Enumerat ornatus hominis pij. Primo loco multa opus est patientia, quàm hic Paulus ueluti genus multis præfigit speciebus. Vincuntur enim afflictiones, necessitates, & alia id genus, patiẽtia. Obserua: Non loquitur de simplici aliqua patientia, sed multa: quippe quæ non semel atq; iterum in omnibus erit præstanda, sed in finem quoq; exhibenda. Christus apud Lucam 8. cap. patientiam ueluti caput & fontem omnium commemorat uirtutum. Semen, inquit, quod in bonam terram decidit, hi sunt, qui in corde puro & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

In tribulatiónibus. Id est, cùm mens angitur, & corpus simul affligitur.

In necessitatibus. Id est, Cùm rem grauem uitare nequeo, tædiumq; aliquod maximum uorare cogor & necessitate ceu inexitabili telo uidens & sciens confodior.

In angustíjs. In est, anxietatibus, quæ oboriuntur ex inedia & periculis alijs.

In plagís. Quæ immeritis infliguntur propter ueritatem, & iustitiam. Has experti sunt, & senserunt Apostoli, & Martyres.

In carceríbus. Quibus serui Dei tenentur in frigore & omnium rerum summa egestate.

Seditiones. In seditiónibus. Seditiones dicit, non quas inferamus, sed ab alijs illatas sustineamus. Ambrosius uertit, In perturbationibus. Theophylactus, In persecutionibus, quas per oppida passus est Paulus.

Labor manuũ. In laboríbus, in uigíljs. Labores manuum explicat (ait Theophylactus) quibus se & alios aleret, is insuper & uigilijs se & inedia macerabat. Aut labores insinuat, quos exantlabat, siue magnos subibat labores, obambulãs, & laborans per noctes, in quibus tum docebat, tum operabatur, & cum his omnibus neque ieiunium negligebat.

negligebat. Quamuis hæc ipsa (ait Chrysostomus) pro innumeris sufficiebant ieiunijs. Reuera hoc loco taxat nostros delicatulos, & unctos, qui prouentibus & reditibus otiosè fruuntur, & uoluptuantur.

In castitate. Id est, puritate, quæ est synceritas, & integritas in agendo, & dicendo, maximè in prædicando. Putauerim hoc referri ad castimoniam corporis.

Scientia. Prudentia.

In scíentia. In scientia (ait Ambrosius) legis & Euangelij. Scientiã hoc loco Paulus accipere uidetur pro eo, quod Prudentiã uocamus, qua cum ratione rebus utimur, grauiter ac cum decoro uersantes. De qua scientia intelligitur & illud Pauli Rom. 10. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: id est, non prudenter, non probè omnibus perpensis, & consyderatis, ut nihil indecens admitterent. Quòd ergo hîc scientiã, in Dei ministerio nominatim exigit, eo monet nos, ut ratione uitam nostram obtemperemus, ac prudenter instituamus, in omnibus modum obseruantes, & consyderatè rationem proximorum habẽtes, ne quo intempestiuo usu Christianæ libertatis infirmiores offendamus, & omnia ad omniũ ædificationem instituamus. Ita & laborandum, ieiunandum, uigilandum &c. Non sanè præter modum, sed cum scientia (hoc est, commoda prudentia) his utendum est, ne quid officiant, sed semper ædificent.

Longanimis.

In longanímitate, &c. Sanè hæc generosum animum requirunt, longanimiter ferre omnia, multum & ubique exacerbari, & incitari Animi profectò est adamantini, agitatum undique, & circumpunctum, non solùm mentis seruare celsitudinem: sed & bonum se, & æquum præstare.

In spíritu sancto. In spiritalibus donis neminem offendimus. Aut ut ostenderet, unde talis factus sit, adiecit statim autorem spiritum sanctum. In illo enim omnia hæc rectè agimus, inquit. Non ergo intumescant Pseudapostoli, quòd linguis potiti sint, quibus non utuntur in rebus necessarijs, sed cum offendiculo illis iactabundi abutuntur.

Charitas non ficta.

In charitate non ficta. Quemadmodum spiritum sanctum opposuit hæreticis, & pseudoprophetis, ita charitatem non simulatam opponit Christianis ignauis, & socordibus. Aut in charitate non ficta: id est, Scimus expertes simulationis. Omnia quæ nobis uolumus fieri, alijs faciamus, ut non diligamus uerbo, sed opere, & ueritate.

Verbum ueritatis.

In uerbo ueritatis. Sermonem ueritatis opponit ijs qui uerbo Dei abutuntur, & pro affectibus suis interpretantur, ut inde nomen sibi comparent: qui arguuntur 1. Petri 4. Siquis loquitur, tanquam sermones Dei: hoc est, Curet ut certus sit, quæ loquitur, sermones Dei esse, non suum proprium commentum. Id uocat Paulus uerbum ueritatis, purum & syncerum, non fictum.

Virtus Dei.

In uírtute Dei. Virtus Dei in Paulo erat, quæ per signa, & prodigia, hunc idoneum ministrum probabat. De hac potentia & uirtute beatus Petrus loquitur 1. Epist. cap. 6. Si quis ministrat, tanquam ex uirtute, quã administrat Deus. Et Paulus Colos. 1. In quo & laboro certando secundum operationem eius, quam operatur in me in uirtute. Hæc uirtus reuera manifestat in nobis gloriam Dei. Quod docuit Christus Matt. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui est in cœlis, ut eorum autorem, qui illa fecit, non uos.

Arma iustitiæ.

Per arma iustítiæ. Hæc arma latius describit ad Ephesios 6. cap. Arma uocat ad hoc, ut Christianos auertat à corporalibus & profanis armis, admoneatq; eos esse populum spiritalem, quare & spiritalibus armis oporteat esse instructos, nimirum quibus spiritalis pugna cum spiritalibus hostibus semper committenda est.

A dextris & sinistris.

A dextris, & à sinístris. Per mediam & regiam uiam, inter ea, quæ à dextris

& à sinistris negotium facessunt, contendit Paulus ut incedamus: ita ut neque per aduersa deijciamur, neque per prospera eleuemur, sed utrisque cõmodissimè, tum in gloriam Dei, tum proximorum salutem utamur. A' sinistra ponit Ignominiam, Conuicia, & quòd habemur tanquam impostores, ignoti pauperes, nihil habẽtes. Nam Christianis omnia hæc accidunt: Ignominia palàm afficiuntur, opprobrijs in os iactatis, & per infamiam falsis criminationibus, ac conuitijs conspurcantur, omnibus illis amicitiã renuntiantibus, propter confessionem nominis Christiani. Quasi morientes: id est, ut oues occisioni destinatæ, mortem omni momento à mundo expectant. A' dextra ponit Gloriam, Laudes, quòd habemur ueraces, noti: uiuimus, non occidimur: sumus gaudentes, multos ditantes, omnia possidentes. Hæc illis ueuera contingunt per Spiritum consolatorem. Si quis desiderat totius huius orationis ardorem, & harmoniam cognoscere, legat Augustinum librum de doctrina Christiana 4. cap. 20. Accipi potest à dextris, & à sinistris, quasi dicas, Vndique armati aduersus omnia.

Vt castigati. Hoc desumptum est ex Dauide, Psal. 117. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Fiunt hæc ad nostri castigationem, Dei permissu: sed futura est magna merces.

Tanquam nihil habentes. Nihil uidebatur habere Paulus, tamen & corporalia, & spiritalia omnia habebat. Locuples nouo quodam modo erat, habens omnium domos sibi apertas: imò eius gratia non solùm ceruices, ut Prisca & Aquila, exponebant, Romano. 16. cap. Sed etiam parati erant eruere oculos, & dare Paulo, quem sicut angelum Dei accipiebant, ad Galat. 4. Si spiritalia in Paulo uis uidere, hoc unum pronuntiabo testimonium: Vidit arcana, quorum particeps factus est, quæ non licet homini loqui. Quomodo non omnium diuitiarum spiritalium abundans erat, cui & Dæmones subijciebantur, & quem morbi & infirmitates fugiebant?

Idololatræ fugiendi.

Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in uisceribus uestris. Eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatemini & uos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Templũ Dei. 1. Corinth. 3. d 6. d

Vos enim estis templum Dei uiui: sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: & ipsi erũt mihi populus. Propter quod, exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam uos, & ero uobis in patrem: & uos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Leuitici 26. b Esaiæ 52. c Ieremiæ 31. a

Patet] aptũ est Non angustiamini, &c.] non constringimini in p̃cordijs uestris, id est, in uestris affectib⁹ & trepidis obseruationibus ceremoniarum legis.

Quæ eñ participatio] Quod enim consortiũ Conuentio] cõcordia

Os nostrum patet ad uos. Vos ego conuenio, ô Corinthij, non possum silere apud uos: tam uehemens, & feruens est meus erga uos amor, ut planè iam uobis animũ meum

meum aperiam. Ardor ille amoris non modò mihi os patefacit, sed mentem dilatat: & ita, ut uos capiat uniuersos. Est in uos omneis diffusus amor noster. Non enim angustiamini in nobis: id est, non in stricto & angusto loco, sed planè in toto corde nostro residetis, & habitatis. Sed in uisceribus uestris angustiamini: id est, tam arcta est uestra Charitas, ut ne uel unum me largiter, seu dilatato, & toto corde posìtis excipere. Aut, Vos uix dilectionis unius capaces estis, ego autem totius ciuitatis, & omnium Corinthiorũ. Aut dicit, Angustiamini in uisceribus uestris: quia angebantur Corinthij, quòd desisterent à cõsuetis connubijs, foris, & cõuiuijs, quæ Paulus prohibuerat. Arctauerat enim illos Paulus in priore Epistola, prohibens connubia cum infidelibus inire, Causas dicere cum Christianis sub iudice infideli, Immolata idolis manducare, propter infirmos, & huiusmodi. Quo ad hæc, uidebantur Corinthij arctari, & angustia duci: hos arguit hoc loco Paulus, propterea his subiungit, Nolite iugum ducere cum infidelibus &c.

Eandem autem remunerationem. Non exigo à uobis quicquam arduum, neque reposco meritum cum usura, tantùm hoc postulo pater à filijs, ut in charitate respondeatis, omnia putabo pensata, si pariter ametis. Quò uideatur res esse debiti, nihilq; dictum per assentationem, Vt filijs (inquit) loquor. Quid est, ut filijs? nihil magni postulo, si cùm sim pater, postulem à uobis diligi. Debent nanque & filij hoc in patrem præstare officium.

Nolite iugum ducere. Id mihi magno erit argumento, quòd largiter me amatis, si nullum uobis cum infidelibus fuerit commercium. Si consuetudinem fidelium cum infidelibus prohibet, multò magis mutua inter illos connubia. Huiusmodi matrimonia Hieronymus imparia uocat. Matrimonia inter dispares cultu non contrahenda.

Quoniam inhabitabo. Cùm Deus sit ubiq;: tamen in illis propriè inhabitare se dicit, qui eius gratia perfruuntur, & qui mundum ei præparant sui cordis hospitiũ. Deum habitare in nobis qd est.

Et ero illorum Deus. Deus natura, omnium est: uoluntate, paucorum. Non enim est Deus mortuorum, sed uiuorum. Lucæ 20. g

Et immundum ne. Idololatras immundum uocat, & ne tangi quidem uult, in morem prohibiti in lege ueteri contactus rerum, seu personarum immundarum: ex quo contactu reddebantur immundi, qui tetigerant. Propterea separemini, ait, ne tangentes communicatione eiusdem iugi, contrahatis immunditiam. Est duplex immunditiæ genus, Corporeum scilicet, & Spiritale. Spiritale quidem, ut impuri & sordidi cogitatus, & oculis lasciuiẽtibus intueri, uel odia exercere, & dolos nectere, & huiusmodi. Corporeum uerò, ut incestus, Adulterium, & quicquid reliquum est praui facinoris. Vult Paulus hoc loco Corinthios tum animi, tum corporis seruare puritatem. Immũditia duplex.

Et ero uobis in patrem. Si uos parentes abdicauerint infideles, me patrem habebitis sempiternum.

Omnipotens. Addidit Omnipotens, ne cui impossibile uideretur.

DICTIO.

BELIAL Hebræis dicitur significare malitiam, licet ferè ubiq; iniquitas transferatur, idq; improprié. Vnde filij Belial, id est, malitiæ, Iudic. 19. Nam Hebræi per Belial hominem peruicacem, & qui est perfricta fronte, quasi absq; iugo legis diuinæ, intelligunt. Qui ad nocendum alijs tantummodò uiuunt, dicuntur filij Belial. De torrentibus iniquitatis, & fluminibus Belial, uide Psal. 17. Sunt enim persequutiones, impetus, & exercitus Dæmoniorum, & quotquot iugum Christi detrectant. Belial.

HIS particulis Quasi, & Tanquàm, utens Paulus, Quasi morientes, Quasi tri- Quasi, & Tanquàm.

stes, Tanquàm nihil habentes, non tamen morientes, aut tristes & huiusmodi, tanquàm nihil habentes, &c. ostendit ista esse, quasi imagines passionum, ad comparationem præmij æterni.

Tristitia quæ est secundum Deum, non caret consolatione. CAP. VII.

Mundare seipsum & sanctificationẽ perficere.

HAs ergo habẽtes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos: Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem uestram dico. Prædiximus enim, quòd in cordibus nostris estis ad cõmoriendum, & ad cõuiuendum. Multa mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio pro uobis: repletus sum consolatione: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam & cùm uenissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris, pugnæ: intus, timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus, in aduentu Titi. Non solùm autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in uobis, referens nobis uestrum desyderium, uestrum fletum, uestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. Quoniam etsi contristaui uos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, uidens quòd epistola illa (etsi ad horam) uos contristauit.

Capite nos:] Capaces estote nostri: Circumuenimus.] Fraudauimus.

Requiem] Vel, relaxationem

Afflictiones Paulo in Macedonia.

Titus.

Vestrã æmulationem] Vestrũ studium

Contristati Corinthij ad pœnitentiam.

Has promissiones. *Quales promissiones? Esse templa Dei, filios & filias, habere illum inhabitatorem, & inambulantem.*

Promissiones Dei à Paulo manifestatæ.

Et spiritus, &c. *Inquinamenta Spiritus sunt, labes animi.*

Capite nos. *Quod dixerat præcedente capite, Dilatamini, & non angustiamini: refricat, dicens, Capite nos: id est, capaces estote nostri, recipite, & amplè adeò & effusè, ut non angusta & tenui charitate nos complectamini.*

Neminem læsimus. *Neminem uel factis uel uerbis offendimus.*

Neminem corrupimus. *Hoc est, seduximus, uel impijs dogmatibus nulli mentem infecimus.*

Neminem circumuenimus. *Nocent Pseudapostoli cùm sensus suorum corrumpunt, & grauant sacculos circumuẽtione serpentinæ astutiæ: sed nullius rem præter ius occupauimus, & in nostrum uertimus cõmodum. Neq; tyrannidem exercuimus, neq; falsa docuimus, neq; dolo & auaritiæ studio occupauimus aliena. O gloriam uerè sacerdotalem! Et utinã omnibus ecclesiæ præfectis ad eundem modum liceret gloriari.*

Non ad condemnationem. *Id erat apud ueteres amicitiæ genus, ut amico fortè extincto, amicus ultro sibi mortem cõscisceret: quod amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mecœnate. Nolim existimes Paulum huiusmodi quidpiam sensisse, quale legimus olim fuisse apud Ethnicos. Verùm hoc modo arctißimam amicitiam uoluit indicare: ac si inquiat, neq; in periculis deserturus uos sum, nec prosperis uestris*

rebus inuidebo, sed uobiscum potius unà sum uitam ducturus.

Nullam requiem. *Pressuras suas explicat, quas decussas esse magnitudine gaudij (quòd correcti iam essent, & ab his prorsus alienati, quæ superiore epistola improbauerat) ostendit. Carnem dicit nullam habuisse remissionem, quia animus illi, & constans erat, & insuperabilis.*

Foris pugnæ. *Ab infidelibus passi sumus oppugnationes uarias.*

Intus timores. *Timebat Paulus ne fratres scãdalizarẽtur, aut ne à falsis Apostolis infirmiores nonnulli subtraherentur.*

Qua consolatus sum. *Reddit Titũ his uerbis cõiunctiorẽ Corinthijs: utpote qui eos apud se cõmendauerit, & qui consolationẽ acceperit, tum ob ipsorum emẽdationem, tum ob mutuũ erga Paulum amorẽ, quem designat, cùm Aemulationem dicit.*

Quoniam etsi. *Etsi me pœnituisset, eò quòd uos durius corripuerim, tamen facit uester profectus (quẽ nobis Titus significauit) ut nõ pœniteat, tã ardẽti me usum esse cauterio: sed nunc gaudeo, nõ quia doluistis, sed quia dolor ille uobis profuit ad salutẽ. Intellige Paulũ nõ quidẽ fateri pœnitentiã, quòd eos mœrore antè affecisset: nunc tamẽ adeò gaudere, q ex Tito cognouisset, rẽ bene ccssisse, ut etiã si qua pœnitudo tenuisset ipsum prioris facti, nũc eã abiecturus fuerit. Nõ enim ait, Prius pœnitebat, nũc non pœnitet, sed, Nõ pœnitet, etiã si pœnituisset. Sic loqui solemus, cùm & errata feliciter*

Ad horam. *Ad tempus constitutum.* (cadunt. Ad horam.

Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentũ patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia, mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, Secundum Deum cõtristari uos, quantam in uobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desyderium, sed æmulationem, sed uindictam. In omnibus exhibuistis uos, incontaminatos esse negotio. Igitur etsi scripsi uobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam solicitudinem nostrã, quam habemus pro uobis coram Deo, ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abũdantius magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus uobis. Et si quid apud illum de uobis gloriatus sum, non sum cõfusus: sed sicut omnia uobis in ueritate loquuti sumus, ita & gloriatio nostra, quę fuit ad Titum, ueritas facta est: & uiscera eius abundantius in uobis sunt, reminiscentis omnium uestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illũ. Gaudeo quòd in omnibus confido in uobis.

Stabilẽ operatur:] Nõ pœnitendam parit: Operat.] Vel, affert.

Secundũ Deũ cõtristari uos,] Vel, quod secũdũ Deũ contristati estis,

Sed defensionem,] Imò satisfactionem, uel, insuper excusationem & purgationem,

Exhibuistis] Vel, cõmendastis, aut, præstitistis

Incõtaminatos esse] q incontaminati sitis

Passus est:] Læsus fuerat:

Cõsolati sum⁹. In cõsolatione autẽ nostra] Cõsolationẽ accepimus ex cõsolatione uestri,

Refectus est] recrucillatus sit

Quæ fuit ad] Qua usus eram apud

Viscera eius] i. Charitas eius ẽ uos multa est,

Titus fuscept⁹ à Corinthijs.

Sed quia contristati estis ad pœnit. *Ex cõiunctis cõtrarijs mysteriũ ueræ*

1. Pet. 1. c

pœnitentiæ aperit, duplicem dolorem siue tristitiã explicans: Alteram ex Deo, quæ pœnitentiam parit ad uitam: hac enim exuit ueterem hominem, & induit nouum. Alteram, quæ est ex carne, siue homine, laqueum, siue desperationẽ ad mortẽ afferẽs. Hac tristitia indoluere Cain, & Iudas Iscariotes: priore uerò Dauid, & Petrus: ille clamat, Miserere mei Deus secundum &c. Hic uerò fleuit amarè.

Vt in nullo detrimentum. *Corripui uos, ne parcens, ex nobis detrimentum pateremini. Solet nanq; præceptor, tum magis obesse discipulis, quum peccantibus nihil conuiciatur.*

Pœnitentia. **Salutem stabilem:** *Id est, non pœnitendã. Referunt quidam hoc adiectiuũ ad pœnitentiã, alij ad salutẽ. Vterq; sensus probe cõsistit. Efficit seu operatur pœnitentiã non pœnitendã. Aut efficit pœnitentiã quæ adducit ad salutem, quæ nescit pœnitẽtiã, sed habet gratulationem perpetuam. Est autem sentẽtiæ genus simul & schema ex cõtrarijs contextũ, mundo & Deo, morte & salute, pœnitentia nõ pœntẽda. Huius generis putat esse Fabius illam sententiam, Obsequium amicos, ueritas odium parit.* Medela peccati. Contritio. *Medelam peccati quæ est contritio, explicat Paulus, dicẽs: Quæ enim secundũ Deũ, &c.*

Ecce enim hoc ipsum. *In promptu est quàm diligẽtes ac solicitos uos fecit tristitia uestra secundum Deũ, non solùm solicitudinẽ operata est, Sed defensionẽ: id est, excusationẽ: ob enim pœnitentiam uestram excusati estis apud me. Sed indignationem, qua estis in fornicantẽ usi: Sed timorẽ, quia me ueriti estis: ab hoc enim uestra hæc processit emendatio. Et ne Paulus tyrannidem exercere uideretur, quòd Timorem addidit, quasi solis terroribus, & fulmine quodam Tyrannico uteretur: leniuit, quod forsan durius esset, addens, Sed desyderiũ: supple, mei. Atq; hoc, amorẽ, nõ dominatũ prætẽdit Paulus. Sed æmulationem Dei, & mei, & qua quodã modo ad bonas actiones certamus. Sed uindictam. in sceleratum fornicarium, per excommunicationẽ, & salutarem medelam pœnitentiã. Siquidem ubiq; commendastis uos ipsos, quòd puri sitis in eo negotio: impuri enim eratis, dum nullo sceleris tangebamini sensu, dum impune mœchus ille inter uos uersabatur.*

Igitur & si scripsi. *Occupatio est. Obijciẽt fortasse Corinthij, Quid nos ô Paule obiurgabas, si plane eius negotij expertes eramus? Cur non propter fornicariũ scripsisti epistolam? Respondet Paulus, Scripseram equidem, illius scelere impulsus nefario: non tamen ille prior mihi ut scriberem attulit causam: sed uestri de causa hanc exaraui epistolam, contẽdens præcipuè, ne ciuitas uniuersa illius morbo inuaderetur, qui fornicantem inuaserat.*

Abundantius magis. *Duo comparatiua coniunxit, ad exprimendam maiorem emphasim.*

Non sum confusus. *Non sum pudefactus quod gloriatus sum de Tito. Quæ de uobis enarrauit uera sunt.*

Viscera eius. *Intimum Titi affectum & flagrantem amorẽ in Corinthios manifestat. insinuat ergo ut mutuum illi in eum amorem rependant.*

In omnibus confido. *Vobis confidimus in omnibus. Quia omnia mea dicta erga uos si dura uisa sint, siue in laudem uestram, æquo animo feretis.*

DICTIO.

Capere pro capax esse. CAPITE, *hoc loco non accipitur pro intelligite: sed sicuti uas aut locus aliquid capit dicitur, Capite: id est, capaces estote.*

Coram Deo. SVPERABVNDO: *supra modum, aut uehementer abundo, seu potius superfluo.* CORAM Deo. *Iurantis est.* AD horam: *id est, ad tempus constitutum*

Hortatur Paulus Corinthios ad Eleemosynam sanctorum, exemplo Macedonum. CAP. VIII.

Secundum uirtutem] Pro uiribus Virtutẽ] Vires Voluntarij] Prompti

NOtam autem facimus uobis fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ: quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: quia secũdum uirtutem (testimonium illis reddo) & supra uirtutem uolũtarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij, quod fit in sanctos. Et non sicut sperauimus, sed semetipsos dederũt, primùm Domino, deinde nobis per uoluntatem Dei: ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in uobis etiam gratiã istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & Charitate uestra in nos, ut & in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem etiam uestræ Charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini nostri Pauper Christus. **IESV Christi, quoniam propter uos egenus factus est, cùm esset diues: ut illius inopia, uos diuites essetis. Et consilium in hoc do: hoc enim uobis utile est, qui non solùm facere, sed & uelle cœpistis ab anno priore: nunc uerò & facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus uoluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.**

In uobis] Erga uos Gratiam] Beneficentiam Sed] Imò

Aliorum] erga alios Ingenuum bonum] Ingenuitatem uel syncerit atem

Priore:] Superiore:

Notam autem. *Mira Pauli exhortatio: exemplo Macedonum prælinit Corinthiorum animos ad habendam in pauperes Charitatẽ. Non confestim adiecit, Eleemosynam date: sed aliorum facta in medium producens, ad hos imitandos illos inuitat.*

In multo experimento: *Id est, in multa probatione, uisum est. Quò magis afflictati, minus animo cõcidebant, sed amplius gaudebant. Et quò profundior paupertas, eo promptior erat ad largiendum animus, imò amplius, & candidius largiebantur. Non dicit, Rei collatæ: sed, Simplicitatis diuitias: hoc est, animi uacantis inuidia, & ad impartiendum facilis. Non enim beneficiorum copia, sed animi promptitudine liberalitatem metimur.* Liberalitas uirtus de metienda.

Cum multa exhortatione. *Obnixè rogauerunt, ut gratanter quæ offerebant, susciperemus in ministerium sanctorum. Non nos illos rogamus, sed illi nos. Quid rogarunt nos? Vt gratiam, hoc est beneficium & societatem ministerij, quæ est in sanctos, susciperemus. Opus Corinthiorum uocat Gratiam, ut accurrant tanquam spirituum æmulatores: iterum Communicationem seu Societatem appellat, ut discãt quod accipiant, non dent solum.* Cõmunicatio.

Et non sicut sperauimus. *Multò amplius quàm sperare audebamus euenit.*

Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aut nulla nobis spes erat, quòd in tanta tribulatione & paupertate existentes, tam liberalem & candidam munificentiam exhiberent, & hanc gratiam eleemosynas colligendi, susciperemus coëgissent: sed præter spem (inquit) nostram, non sua modò, uerùm etiam seipsos Deo & nobis dediderunt. Et magis obedientes fuerunt, quàm speraueramus. Hoc argumento & beneficentia adducti, rogauimus Titum, ut quemadmodum iam cœpit: id est, qui priusquam esset per me impulsus, uenire ad uos destinauerit: Ita perficiat in uobis gratiam istam: id est, uos hortetur ad imitandam gratuitam Macedonum beneuolentiam, & illis ne sitis inferiores. Titus Corinthi erat, cùm hæc scribebatur Epistola.

Sed sicut in omnibus. *Subaudiendum est, Obsecramus facite: aut aliquid huiusmodi. Sed supple, facite sicut, &c. Ita facite, ut abundetis, & in hac gratia: Id est, in beneficio, & eleemosyna, &c.*

Sed per aliorum solícit. *Non tanquam imperans hæc dico, sed ut uestra Charitas magis à me probari possit ac prædicari si per aliorum solicitudinem: id est, si uos aliorum exemplo prouocati, non cesseritis cæteris in hoc beneficentiæ genere, cùm in cæteris non sitis inferiores. Vestræ Charitatis ingenium bonum: id est, ingenuitatem, siue synceritatem.*

Qui non solùm. *Gemina laus est Corinthiorum, qui non solùm cœperint largiri pauperibus suapte uoluntate, non prouocati alienis exemplis, sed hoc ipsum etiam animi propositum ultro, nec prouocati sumpserint. Ab anno priore: id est, anno superiori. In superiore epistola cap. 16. collectæ meminit. Vnde coniectura est hanc epistolam posteriorem altero à priore anno scriptam esse. Promptus animus uolũtatis: id est, ut uelit, aut ad uolẽdum, sic perficite ex eo quod habetis siue ex habendo: id est, ex hoc, quia habetis, hoc est, quia potestis. Si quidẽ Habere, uidetur pro posse, acceptum. Velle enim, est animi prompti: Præstare quod uelis, est facultatis.*

Habere pro posse.

Si enim uoluntas prompta est: secundũ id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Nõ enim ut alijs sit remissio, uobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. In præsenti tempore, uestra abundantia, illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia, uestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut Exodi 16.d **scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Gratias autẽ ago Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi, quoniã exhortationẽ quidem suscepit: sed cùm solicitior esset, sua uolũtate profectus est ad uos. Misimus etiam cum** Lucas. **illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ, in hãc gratiam, quæ ministratur à nobis ad domini gloriam, & destinatam uoluntatem nostram, deuitantes hoc, ne quis nos uituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis in** Roma. 12.d **Domini gloriam. Prouidemus enim bona, non solùm**

Remissio,] relaxatio, Tribulatio:] angustia:

Sit supplementũ,] succurrat,

Non minorauit.] nihilo minus habuit.

Destinatã uoluntatẽ] promptitudinem animi Plenitudine,] exuberantia ac abundantia,

coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe solícitum esse: nunc autem multò solícitiorem, confidentia multa in uos, siue pro Tito, qui est socius meus, & in uobis adiutor: siue fratres nostri, Apostoli ecclesiarum, gloria Christi. Ostẽsionem ergo quæ est Charitatis uestræ & nostræ gloriæ pro uobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum.

Cõfidẽtia multa] ob multam fiduciam quam habeo Fratres nostri. Apostoli] pro fratrib⁹ nostris qui sunt Apostoli Pro] de

Si enim uoluntas prompta. *Obserua: Laudauit Paulus Macedones, id est, Thessalonicenses, quia supra uires eleemosynã cõtulissent. Nunc uerò à Corinthijs nil magis deposcit, quàm eorũ suppetant facultates. Hortatur Corinthios, quod suum est faciant. Scit enim Paulus, quòd nõ tam laus, quàm zelus excitat ad imitandũ similes. Acceptum esse, hoc loco significat exigi. Si enim uoluntas prompta est: id est, si adest animi promptitudo, quæ est beneficentiæ fundamentũ. Secundum id, quod habet (id est, secundum suam facultatem, supple, dat) accepta est illa uoluntas. Et non plus exigitur. Prout cuiusq; sunt facultates, sic dantis uoluntas Deo est accepta. Hoc modo pauper modicum largiens, æquè acceptus est, atq; diues ampliore usus munere. Non terreamini, si Thessalonicenses supra uires dederunt: non cogimini sic facere. Sat erit, si secundum facultatem suam unusquisq; largiatur. Et non secundum quod non habet: id est, supra facultatem dantis non exigitur. Tobiæ 4. Prout habueris fili, fac eleemosynam.*

Macedones sunt Thessalonicenses.

Acceptum esse.

Non enim ut alijs. *Subaudiendum est aliquid, quo sermo reddatur absolutus. Non enim, supple sic dandum est, tam abunde, & supra facultatem: Vt alijs sit remissio: id est, ut alij uestra beneficentia ditati, per quietem & otium in delicijs delicatius uiuant, unde & indigentiam patiamini, & angustior res uestra familiaris reddatur.*

Vt fiat æqualitas. *Vos diuitijs & pecunijs abũdatis, quibus illi carẽt illi plurima in Deũ confidentia abundant, cuius expertes estis. Date igitur, quibus affluitis, bona, ut ditemini quibus illi abundant, & fiat æqualitas: id est, uestra abundantia illorum inopiæ, & illorum abundãtia succurrat uestræ inopiæ, & æqualiter omnibus necessaria sufficiant. Aut fiet æqualitas, si uestris facultatibus illorum indigentiam sustuleritis, dum ipsi ex eo quod satis est contenti, tantundem habebunt, quantum & ditissimi.*

Sicut scriptum est. *Adducitur hoc testimonium ex Exo. cap. 16. Quod Hieronymus iuxta Hebraicam ueritatem uertit ad hunc modum: Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus. Dictum est autem de colligendo Manna, quod Paulus ad suum negotium deflexit, ostendẽs illam æqualitatem. Nam qui plus quàm par erat collegerat sibi manna, nõ plus reperit, quàm illi opus erat. Et qui minus illo collegerat, nõ minus quàm sibi opus erat reperit. At quemadmodum utrinq; hoc inuẽta est æqualitas: Ita si diuites de superfluo sanctis necessaria suppeditent, tunc fiet æqualitas: quia utrisq; forte sua contentis satis erit. Totus hic locus immoderatam cupiditatẽ castigat. Subaudiendum est uerbum in hoc contextu: Qui (subaudi, habuit, aut collegit) multum, non abundauit: id est, non plures mensuras gomor mannæ habuit. Et qui minus (collegit, subaudi) non minorauit. id est, non fuit inferior, aut non minus habuit. Quia solum singulis singulæ mensuræ gomor mannæ repertæ sunt. Hæc æqualitas designata est mensurã Gomor.*

Immoderata cupiditas fugienda. Gomor.

Misimus cum illo fratrem. *Hunc fuisse Lucam uidetur sentire Hieronymus, propter quod sequitur, Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Cùm alij Barnabam arbitrentur designari propter subsequentem clausulam, Sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ. Alij opinãtur esse Apollo: qui quid spectarint, non uideo.*

In hanc gratiam. *Ad colligendam sanctorum beneficentiam, quam pauperibus elarginur. Hæc Barnabæ congruunt magis, is enim fuerat ad id muneris & gratiæ destinatus, ut cum Paulo unà pecunias pauperibus administraret. ad Gala. 2. Dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem, tantùm ut pauperum memores essemus.*

Destinatam uoluntatem. *Ad Dei gloriam, & secundum promptam animi nostri uoluntatem. Misimus & destinauimus non unicum, sed quos prædiximus: deuitantes hoc, id est, cauentes, ne quẽ fortè incessat huius eleemosynæ suspicio. Solet enim magna pecuniarum uis obnoxia esse suspicioni fraudis. Quasi diceret Paulus: Pecuniarum hæc copia nobis credita satis ualeret ad inferendam improbis & maledicis suspicionem, nisi futuram ipsi securitatem prætulissemus.*

Pecuniæ is fraudi obnoxia.

Prouidemus. *Ac si diceret: Honesta uobis, non modò coram Domino, sed hominibus quoque procuranda sunt. Quò plus periculi est in rerum administratione, hòc plus animi & prudentiæ adhibere conuenit.*

Misimus autem. *Alium insuper inducit, Syluanum fortassis, qui & Silas dicitur, aut alium quempiam, ipsum fratrem appellans, & hunc Paulus solicitum, id est, studiosum probauit: nunc autem multò solicitiorem, id est, studiosiorem multa in illos confidentia, Quia plurimum ille confideret profusiorem Corinthios eleemosynam facturos, quæ esset à se dispensanda. Confidentia potest referri ad Paulum, qui confidat illum nunc fore diligentiorem, quòd speret illos bene tractaturum hominem. Non solùm autem confidit de hoc, uerùm etiam de Tito. Quamobrem? Quòd socius ipsius sit, & in iuuandis Corinthijs adiutor. Item de cæteris, quòd sint Pauli fratres, & missi ab Ecclesijs: & Gloria Christi: id est, quorum prædicatione & uita illustrius fit Euangelium Christi. In hunc sensum accipi potest: Quocunq; nomine eos receperitis, quicquid officiorum in eos contuleritis, gloria erit Christi: Nam in Christum redundat quicquid impẽditur Euangelij ministris. Potest & sic accipi: Quicquid sunt illi, quos laudo, pertinet ad gloriam Christi.*

Ostensionem ergo. *Ostendite quòd me amatis, & quòd hic mutuus amor mea est glorificatio. Atque facite, ut redundet in personam Ecclesiarum honor habitus his, quos miserunt Ecclesiæ. In alium sensum dici potest, Ostendite charitatem uestram, siue exhibete specimen uestræ charitatis, ut cæteræ Ecclesiæ uideant charitatem uestram, de qua soleo apud illas gloriari. Hoc modo In facie, sonat in conspectu.*

In facie.

CONCILIATIO.

Conciliatio.

DOMINVS eo uiduam laudauit Luc. 21. *Quia omnem substantiam contulisset. Quod tamen hîc Paulus contendere uidetur oppositũ, ne angustior res familiaris fiat.*

HOC loco Paulus non cõtendit à Corinthijs dari quicquam supra facultatem: *tum quia adhuc infirmiores erant Corinthij, tum quia & opibus affluebant. & ita ut si pro uiribus singuli collaturi essent, copiosa admodum & insignis futura esset collatio. Sed docet promptitudinem elargiendi beneficẽtiam maximè acceptam Deo, (quam etiam probat in uidua) ex beneficio Macedonum, quos dicit etiã supra uires dedisse: & hos laudauit*

laudauit. Sed non cogit Corinthios sic facere, nõ quia non uoluit, sed quia infirmi erãt, & quia quæ Sanctis suppeditabant, ipsorum inopiam abunde leuabant.

DICTIO.

ALTISSIMA *paupertas dicitur profunda, & exhausta, sumpta metaphora à uase & scrinio iam ad imum exhausto.* Paupertas altissima.

VOLVNTARII: *Id est, spontanei, non rogati, non prouocati.* Voluntarij.

HABET, *hoc loco, secundũ id quod habet, more Græcorũ accipitur, pro potest.* Habeo pro possum.

Perseuerat Paulus hortari ad conferendum Eleemosynam, hilariter. CAP. IX.

Ministerio, quod] ministratione, quæ

Ex abũdãti] superuacuum

Vestra æmulatio] uestrũ exẽplum

Ne quod gloriamur] ne gloriatio nostra de uobis

Euacuetur] inanis fiat

Dicamus, &c.] dicã uos in hoc argumẽto gloriationis.

Paratã esse] ut ea sit in prõptu sic, ueluti sit benedictio, & nõ tanq; auaritia.

In benedictionibus, Vel, libenter ac benignè largiendo, copiosè messurus est.

Prout destinauit] Prout illi usum fuerit

NAm de ministerio, quod sit in Sanctos, ex abundanti est mihi scribere uobis. Scio enim promptum animum uestrum: pro quo de uobis glorior apud Macedones, Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito: & uestra æmulatio prouocauit plurimos. Misimus autem fratres: ut ne quod gloriamur de uobis, euacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cùm uenerint Macedones mecum, & inuenerint uos imparatos, erubescamus nos, ut non dicamus uos in hac substantia. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, ut præueniant ad uos, & præparent repromissam benedictionem hanc, paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam auaritiam. Hoc autem dico, Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo: non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Eccles. 35. b

Benedictio pro eleemosyna.

Nam de ministerio. *Cùm multis iam uobiscum egerim de faciendis eleemosynis, uidetur inane, & superuacaneum esse, si rursum ijsdem de rebus uobis ad hoc paratis scripserim.*

Scio enim. *Compertam habeo animi uestri & totius Achaiæ promptitudinem in conferenda eleemosyna, quam de uobis iacto Macedonibus: nihil ultra deest, nisi eorum aduentus, qui pecunias sunt accepturi. Nollem itaque deprehendi inaniter & falsò hæc iactitasse.*

Et uestra æmulatio. *Ex uobis orta æmulatio: hoc est, uestrum exemplum, ad beneficentiam complures excitauit. Est is enim, inquit, Macedonum præceptores effecti. Nolite ergo discipulis, cùm sitis magistri, uideri defectiores. Obserua, quemadmodum & Macedones, ipsis Corinthijs collaudatis, ad beneficentiam excitet, & Corinthios prouocet.*

Vt non dicamus uos. *Ne cùm uenerint Macedones, & agnouerint, me inaniter uos de hac beneficentia iactitasse, erubescamus nos: Ne dicam uos in hac substantia: id est, in hoc genere supple, gloriationis, quo gloriati sumus de uestra in Sãctos be-*

Substantia. neficentia. *Substantia dicit rem ipsam, & eleemosynæ collationẽ, uel gloriationis uim, & iactantiam.*

Quasi benedictionem. *Sit hæc beneficẽtia ueluti benedictio prompta & alacriter data (quã daturos antè polliciti estis) & non uelut auaritia illiberalis, & tristis.*

Qui parcè seminat. *Obserua: Semen nuncupauit rem ipsam, ut statim ad cõpensandam mercedem attendas, perdiscas q̃; plura te accepisse, quàm dederis. Elegans est metaphora sumpta à re rustica. Nostrum est sementem facere, Deus incrementum addit, sed secundum sementis rationem ac modum. Hæc mutuauit Paulus ex 11. cap. Prouerbiorum, ubi clarius de hac re disseritur.*

Vnusquisque prout destinauit. *Voluntaria, non coacta sit largitio. Et prout destinauit: id est, prout illi uisum fuerit, modò neque auarè, neque parce, neq; sordidè, sed hilariter largiatur.*

Potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in uobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,
Psal. 111, b sicut scriptum est, Disperſit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ: ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium huius officij, non solùm supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationẽ ministerij huius glorificantes Deum in obedientia confessionis uestræ in Euangelio Christi, & simplicitate communicationis uestræ in illos, & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro uobis, desyderantium uos propter eminentem gratiam Dei in uobis. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.

Operat, &c.] Per nos efficit ut gratiæ agantur Deo.
Ministeriũ huius] Functio huius ministerij,
Per multas, &c.] In hoc q̃ per multos gratiæ agant Deo q̃ p probationẽ ministerij hui⁹ glorificãt Deũ sup obedientia cõsensus uestri in Euangelium Christi, & de simplicitate, &c.

Potens est autem Deus. *Occupatio est. Dicet aliquis, Si abunde largitus fuero, rem meam familiarem exhauriam, & ad egestatẽ redigar. Respondet Paulus: Libẽter, & non ex necessitate, id est, non coactè, dãdum esse: quòd Deus potens sit efficere, ut quicquid in Sanctos illius cõtulerint, id multo cum fœnore ad ipsos redeat. Nõ sinet uos egere Deus, sed abundare, id est, impleri bonis faciet, ut positis abundantes esse in hac liberalitate, & nullius indigere. Conferte ergo magis, ut uestra eleemosyna magis ac magis, & perpetuo quodam fluxu redundet. Vt autem abundetis, Deus disperſit, id est cum liberalitate dedit pauperibus. Hæc quæ dantur temporalia non manẽt, sed quæ ex illis nascuntur perpetua sunt, & non pereunt. Iustitia, id est, Pietas, Clementia, & Misericordia. Etenim iustos facit eleemosyna, peccata quasi ignis consumens, quando (ait Chrysostomus) cum liberalitate effuderitis.*

Eleemosynæ uis.

Qui

Qui autem administrat. *Si Deus subministrat terram serentibus semen & cibum nutrientibus corpus suppeditat, longè magis & his qui cœlum colunt, & animã alunt daturus est semen. Ex semine non solùm expectatur panis, sed & seminis multiplicatio ad futuram sationem, imò & lucrum iusti prouentus. Hilaris dator seminat, eleemosyna semen est, quam qui seminat, à Domino consequetur non solùm rerum temporalium, sed & spiritualium annonam multiplicem, & prouentum, quibus iustior & melior reputabitur.*

In omnem simplicitatem. *Non sunt condendæ opes, sed potius habendæ ad omnem simplicitatem: hoc est, largiter & liberaliter largiendæ sunt. At hæc simplicitas, seu candida largiendi uoluntas, sit Deo grata, & accepta: hoc est, non largiamur hæc rebus inhonestis. Quoniam præbitio, & eleemosynarum administratio, non solùm sanctorum egestatem leuat, sed & facit ut plurimæ Deo à multis agantur gratiæ, nec minus eundem laudibus prosequuntur. Quia tantopere estis Euangelio ipsi morigeri, ut illius iussa abundantius exequamini.*

Quoniã ministeriũ huius officij. *Sic uocat officiũ ministrandæ pecuniæ.*

Simplicitate communicationis. *Deum præterea laudant, nõ solùm quia hæc uestra simplicitas, id est, candida eleemosynarum largitas, eorum necessitates leuauit: sed etiam in omnes fideles paupertate oppressos diffunditur. Propterea uestri gratia Deum precantur, ut aliquando uos uisendi concedatur facultas, quibus Deus tantam beneficentiam contulit.*

DICTIO.

EX ABVNDANTI: *id est, superuacaneum est, aut abundat, & est ultra quàm satis est.*

BENEDICTIO, *hoc loco significat beneficentiam, non manus motionem, qua solent crucis signo benedicere.* Benedictio.

DESTINO *penultima correpta, id est, propono.* Destino.

ABVNDARE. *accepit trãsitiuè hoc loco, Abundare facere in uobis: quod alibi solet neutraliter, uelut apud nos Suppeditare, nonnunquam est suppetere.*

Homo non metiendus iuxta corporis imbecillitatem. Cauendi Pseudapostoli. CAP. X.

Modestiam] Mansuetudinẽ
Confido] Vel, audax sum
Potentia Deo] Id est, ualida p Deum
Consilia] Cogitationes
Scientiam] Cognitionem
Intellectum in obsequiũ Christi,] Cogitationẽ ad obediendum Christo.

IPse autem ego Paulus obsecro uos per mansuetudinem, & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter uos, absens autem confido in uobis. Rogo autem uos, ne præsens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquàm secundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum: consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta

Cauẽdos Pseudapostolos monet.
In carne ambulare.

pleta fuerit uestra obedientia. Quæ secundum faciem sunt uidete. Si quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quòd sicut ipse Christi est, ita & nos. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem uestram, non erubescam.

Videte.] Videtis.

Potestes Pauli in ædificationẽ & non destructionem Ecclesiæ.

Ipse autem ego Paulus. *His tribus particulis separat suam personam à cæteris Apostolis, quòd antehac egerit negotium aliorum, nunc è suo loquatur affectu.*

Qui in facie quidem. *Perinde est, ac si Pseudapostolorum obtrectatione utatur, Paulus secundum faciem & præsentiam pusillus & nullius momẽti esse cõspicitur: Cùm uerò absens, minatur, & confidit in uobis: id est, audax est erga uos. Aut de seipso hæc narrat Paulus. Cùm præsens sum, humilem me præbeo: sed absens magna loquor, quia plurimum uobis confido.*

Paulus pusillo corpore.

Rogo autem uos. *Rogo sic uos corrigatis, ne cùm (supple, uenero) præsens audeam, (id est, potẽstate mea utar) per eam confidentiam qua existimor audere: id est, per eam potestatem, qua ab aliquibus minax & insolens, non humilis iudicor. Qui arbitrantur nos ambulare secundum carnem: id est, qui cogitant nos uti potestate nostra, uindictæ gratia, dicẽtes, Ille Paulus uester simulata quadam lenitate nouit uos irretire, dum apud uos imperium ambiret: iam uerò cùm uos sub iugum demisit, nouit imperio & tyrannide uos premere. Id quod nouistis in mœchi istius supplicio, ut colligere licet ex epistolis eius acerrimis, & hostilibus. At Paulus lenitate Christi usus, ad tam atrocem calumniam respondet: Rogans ut uitam instituant: ne cùm præsens uenerit, potestate sua in eos noxios, quæ in eum mœchum usus est, liceat uti. Siquidem non affectum carnis, sed certum iudicium sequitur.*

In carne enim. *Et si carne obtegimur, non tamen carnales sequimur affectus, nõ carnalibus, sed spiritualibus utimur armis.*

Sed potentia Deo. *Arma nostra sunt, arma potentia Deo: id est, ualidiora hæc Deus parauit, quibus maximè hæc Dei potẽtia innotescit. Sed quæret aliquis, Vbi illa potentia arma uires suas exercent? In euertendis nimirum munitionibus, ac si diceret, Non ad euersionem & demolitionem oppidorum, & arcuum, sed impiorum cogitationum hæc arma fortia sunt Deo: id est, per Deum, & opera diuina.*

Consilia destruentes. *Nos armis huiusmodi destruimus consilia Gentilium, syllogismos & captiunculas, & commenta Pseudapostolorum euertimus, & redigimus in obsequiũ Christi, id est, ad obediendum Christo, qui à perditione in salutem, à morte in uitam sese Christo subijciunt.*

Et in promptu habentes. *Ad manum habeo supplicia & potestatem ulciscendi & animaduertendi in illos incurabili morbo affectos. At dum inter uos uersantur, prohibemur plagas inferre, & illis ad tempus parcimus, donec à uobis, me cohortante emendatis seiuncti sint.*

Quæ secundum faciem. *Quidam legunt, Videtis, & hoc per interrogationem: quasi fingat id fieri, quod uelit obiurgare. Dixerat Paulus se apud Pseudapostolos contempto similem iuxta faciem & in præsentia, cùm illi magno fastu agerẽt Apostolos. Num ea cernitis (ait Paulus) quæ sunt iuxta faciem: hoc est, quæ foris uidentur, & ostentationem habent, potius quàm efficaciam? Beatus Ambrosius legit, Secundum faciem uidete:*

Secundum faciem.

dete: prò eo quod est, Quæ in conspicuo sunt, & aperta: ut pertineat ad sequentia, Si quis confidit se, &c. Quasi uelit, ea clarissima uideri, facilimaq; iudicatu. Alij secũdum faciem interpretantur de signis euidentibus, quibus deprehendi possint Pseudapostoli: ueluti si quis diues sit, si quis elatus, si quis falsa uirtutis imagine personatus. Theophylactus uult esse obiurgantis, quòd ex opibus, è cultu, fastu ue æstimarent hominem, ac non potius ex animi bonis. Ex his (ait) quæ secundum faciem sunt, hoc est, quæ uidẽtur, uidete: id est, iudicate: si quis uidelicet inflatus superbit, si quis uirtutis figura uel umbra opertus est. Acrior est obiurgatio per interrogationem.

Hoc cogitet iterum. *Cogitet ex seipso, nimirum non expectans nostram increpationem. Quòd sicut illi putant se seruos Christi, ita & nos.*

Non in destructionem. *Non est nobis collata à Christo potestas ad perdendos uos.*

Audemus] Sustinemus, uel, possumus induce animũ, ut inseramus, &c. Sed ipsi, &c.] Sed ipsi nõ intelligunt quod ipsi inter sese, seipsos metiuntur & comparant seipsos sibijpsis.

Mensus] Partitus

Superextendimus nos.] Extendimus nosipsos supra modum.

Crescẽtis fidei uestræ,] Vel, crescẽte fide uestrã,

Etiam in illa, &c.] Vt ijs ũq; regionib' quæ ultra uos sunt euãgelizarem, non per alienã regulã, ut de ijs quæ parata sũt gloriemur.

Vt autem non existimer tanquã terrere uos per epistolas (quoniã quidem epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes: præsentia autẽ corporis infirma, & sermo contemptibilis) hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus uerbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. Non enim audemus inserere aut cõparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & cõparantes nosmetipsos nobis. Nos autẽ non in immensum gloriabimur: sed secundum mensurã regulæ, qua mensus est nobis Deus mensurã pertingendi usq; ad uos. Non enim quasi non pertingentes ad uos, superextendimus nos. Vsque ad uos enim peruenimus in Euangelio Christi: non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fidei uestræ, in uobis magnificari secundũ regulam nostram in abundantia, etiam in illa quæ ultra uos sunt euangelizare, non in aliena regula, in ijs quæ præparata sunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Ephes. 4. d

Gloriãdum in Deo. 1. Corinth. 1. d Ierem. 9. g

Non enim audemus. *Quidam hunc locum ironicè legunt. Explicat Paulus æmulorum arrogantiam. Tanti fiunt, qui tantum sibi placent, ut non audeamus nos in illorum familiam cooptare. Cur enim Paulus nõ audeat se conferre pseudapostolis, qui & alibi dicit, Nihil minus feci à magnis illis Apostolis. Alij interpretantur, Non audemus illis nos similes facere, qui seipsos commendant: sed ipsi metientes, id est, metimur (participium pro uerbo) nosmetipsos in nobis, id est, non ex opinione & laude aliorum, sed nostris uirtutibus, ac potestate à Christo tradita.*

Nos autem non in immensum. *Pseudapostolis iactantibus se sua prædicatione omnes inuisisse, respondet Paulus: Non in immensum gloriabimur, hoc est, non*

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes terrarum partes prædicantes obiuimus: sed secundum mensuram regulæ, quã Deus nobis terminos præfiniuit, ut nostra gloria & prædicatio ad uos pertingeret. Paulus hoc loco seipsum suo modulo metitur.

Non enim quasi. *Fieri potest falsos Prophetas omnes regiones peruagatos, nulla gratia prædicandi, & ex solo accessu fuisse gloriatos. Sed non superextendimus nos: id est, non temerè & frustra gloriamur de uobis, quasi non pertingamus ad uos: hoc est, quasi non peruenerit ad uos (quos in Christo genui) nostra prædicatio, & eius fructus. Non gloriamur in immensum: id est, uanè, in alienis laboribus: Quia non aliorum Apostolorum opera, sed mea, opus meum facti estis in Domino.*

Spem autem. *Significat hic Paulus se sperare futurum, ut in dies crescente fide Corinthiorum, crescat & ipse, ac maior maiorq; fiat, adeò ut iam prædicatio sua longius porrigatur etiam ad eos, qui ultra Corinthios sunt: idq; iuxta suam regulam, non alienam: hoc est, suo marte: ne uideatur gloriari de his, quæ iam parata sunt, & ab alijs laborata, quemadmodum faciebant pseudapostoli. Abundè secũdum regulam nostram: id est, secundum limites à Deo nobis præfixos. Non in aliena regula: id est, non in Gentibus ab alijs edoctis est nobis spes euangelizandi.*

DICTIO.

IN FACIE: *Id est, in præsentia.*

Extollere. EXTOLLENTEM SE: *Id est, insurgentem, siue qui attollitur. Erat enim huiusmodi machinarum genus, quod repentè sublatum in altum, muris inueheret hostem. Porrò cùm Paulus meminerit de armis, mirè subiecit metaphoras munimẽtorum, quorum alia artificio, alia sublimitate sunt inexpugnabilia.*

In carne & secũdum carnem ambulare. IN CARNE *ambulare, est carne obtegi. Secundum carnem ambulare, est duci affectu carnali aduersanti spiritui.*

REGVLA, *Norma, qua regulæ diriguntur.*

In Christi honorem sese laudat Paulus, idq; coactus.

CAP. XI.

VTinam sustineretis modicũ quid insipiẽtiæ meæ: sed & supportate me. Aemulor enim uos Dei æmulatione. Despondi enim uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus uestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Nam si is qui uenit, alium Christum prædicat, quẽ non prædicauimus: aut alium spiritum accipitis, quẽ non accepistis: aut aliud Euangelium, quod non recepistis: rectè pateremini. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia. In omnibus autem manifestus sum uobis. Aut nunquid peccatũ feci, meipsum humilians, ut uos exaltemini: quoniam gratis Euangelium Dei euangelizaui uobis? alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium uestrum? Et cùm essem apud uos, & egerem,

Virgo Christi.

Heua. Gen. 3. a

Paulus omnia prędicauit præ dicanda.

Paulus non est oneri ijs quib' prædicat.

Quid insipientiæ meæ:] me in insipientia: Aemulor enim uos] zelotypus sum erga uos Despondi] adiunxi Virginẽ castã exhibere] ut uirginẽ castam exhiberetis Est ī Christo.] erat erga Christum. Pateremini.] sustinuissetis, supple, pseudapostolos. Nihil me min⁹ &c.] me nihilo inferiorẽ fuisse excellentibus Ad ministeriũ uestrũ?] quo uobis inseruirẽ?

rem, nulli oneros⁹ fui. Nam quod mihi deerat, supplẽuerunt fratres, qui uenerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me uobis seruaui, & seruabo.

VTinam sustineretis. *Coactus Paulus, propter hos, qui cùm de eo bene præ cæteris sentire deberent, indignè sentiebant, & ne in discipulorum iacturam concederet sui contemptus & falsorum Apostolum nimia autoritas, laudes suas explicat, modestia quadam illarum enumerationem castigans, quam insipientiam uocat.*

Aemulor enim uos. *Agit hîc Paulus de quibusdam Apostolis, qui pluris haberi uolebãt apud Corinthios, quàm Paulus esset. Propterea dicit, Aemulor uos: id est, ardẽter uos amo, immodico quodam amore uos prosequor. Velut ambiat ut apud illos primus esset, ne ferat alios Apostolos in partẽ amoris admitti. Addit, Dei æmulatione: id est, zelo Dei, ne quis arbitraretur illum sua gloria, suo'ue compendio cõmoueri.*

Despondi. *Annuntiat Paulus spiritales nuptias. Est præsens tempus desponsationi accommodũ: futurum uerò & nuptijs, quum fiet uox illa, Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Despondi: id est, adoptaui, siue adiunxi uos (Corinthiorum Ecclesiam alloquitur) uni uiro: id est, Christo, cuius gratia zelo hoc ducor, non mei. Non enim sponsus futurus sum, sed sponsæ, id est, Ecclesiæ uestræ ductor.* Despondere.

Virginem castam: *Id est, exhibete uos tanquam uirginem castam: hoc est, exhibete uos immaculatos, & fide integros Christo sponso Agno immaculato.*

Rectè pateremini. *Recte eos nobis præponi forsitan toleraretis.*

A' magnis Apostolis. *Aestimo enim me in nullo inferiorem fuisse ab ijs, qui ualde sunt Apostoli. Sentit enim de Petro, Iacobo, & Ioanne, qui summates habebantur. Quidam intelligunt de pseudapostolis, qui se fingebant à Petro ac cæteris missos: ironicè magnos Apostolos appellatos: qui cùm nihil præter uerborum lenocinia, & eloquentiam haberent, magnos se profitebantur.* Magni Apostoli.

Nam etsi imperitus. *Etsi, hoc loco non est fatentis, sed concedentis, ac donantis: ueluti si dicas, Fac me esse imperitum sermone, certè non sum imperitus scientia. Nolebat Paulus se eloquentia, sed uirtute & cognitione commendari.*

In omnibus autem. *Non sicut pseudapostoli sumus, qui fucati & personati simulatione sanctimoniæ uobis imponunt: sed in omni re, & inter omnes declarati sumus, & apparet quales simus erga uos.*

Accipiens stipendia: *Id est, in hoc ut uobis ministrarẽ: hoc est, uobis inseruiui sine uestro sumptu, stipendio interim ab alijs accepto, nimirum à Macedonibus.*

Hęc gloriatio] Euangelium à me gratis prædicatum

Est ueritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare? quia nõ diligo uos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum, qui uolunt occasionem: ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Nam eiusmodi pseudapostoli sunt operarij subdoli, Pseudapostoli. **transfigurãtes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur**

Gloriatur Paulus cõtra Pseudapostolos se Christi ministrum.

uelut ministri iustitiæ: quorum finis erit secũdum opera ipsorum. Iterum dico,(ne quis me putet insipientem esse: alioquin uelut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)quod loquor,nõ loquor secundum Deũ,sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes,cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis uos in seruitutem redigit,si quis deuorat,si quis accipit, si quis extollitur,si quis in faciem uos cædit.

Hac substantia gloriæ.] uel, hoc argumẽto gloriationis.

Est ueritas Christi. *Hoc ueluti iusiurãdum adiecit, quo confirmat quod dixit. Gloriatio Pauli,de qua hìc agit,est,quòd in tota Achaia gratis docuerit Euãgelium. Hanc non intermissurus est Paulus, ut tollat occasionem pseudapostolis gloriandi, si similes Paulo inuenirentur, ut si & illi gloriantur se gratis euangelizare, nec in hoc erunt Paulo præstantiores:cùm ipse gratis doceat,& egens.*

Nam huiusmodi Apostoli. *Aduersus impostoras pseudapostolorum inuehitur, qui præceptorem Satanam sequuti, fuco pietatis, impietatis uenenum inserunt, Christum autorem prætexunt,cùm Satanæ rem agant. Artes Satanæ paucis perstringit. Transfigurat se in angelum lucis,uel cùm speciem sumit angeli boni, & lucidi,ut decipiat: uel cùm tenebras suas suis coloribus sic ornat, ut à luce distare nihil uideantur. Horum exitium scribunt Iudas in canonica,& Petrus 2.Pet.2.*

Iterum dico. *Est insipientiæ argumentum, temerè & nulla occasione iactari. Ipse uerò nequaquã ut demens id ago rursus,sed coactus,& necessitate urgente. Malo reuera nomen insipientis habere,quàm non gloriari cum Euãgelij detrimento. Obserua: Pseudapostoli(ut est omnium natura falsorum spirituum)coram simplici plebecula magnificis & grauibus se uerbis iactabant,longeq; Paulo præferebant: unde & Paulus,& doctrina eius reddebantur contemptui. Iam non molestè tulisset Paulus, se contemni ab his nihili hominibus, si non per id & Euangelium cœpisset apud Corinthios obscurari, ipsosq; à Christo rursus auerti. Hoc ergo cùm uidit fieri, non potuit non accẽdi ad tentandum omnia,quo Corinthios apud Christum retineret:etiam si desipiendum ei esset,ac uicissim gloriandum. Tolerate igitur me(ait Paulus) loquentem, ne præualeant pseudapostoli,& qui tam uarijs technis uobis illudunt.*

Quod loquor. *Quod secundum nobilitatem carnalem dico,& glorior,non loquor secundum Deum:id est,quẽadmodum & in superiore epistola, Dico ego,non Dominus. Humanum quiddã,parumq; seuerum significat,quod negat esse secundũ Deum. Non ait se id dicere in insipientia, sed quasi in insipientia: hoc est,quasi id dicens. Apparet fortè quòd gloriatur ipse insipiens,quum minus sit. In hac substantia gloriæ:hoc est,in hac gloriandi parte,non tamen in cæteris rebus.*

Libenter enim. *Scio sæpe pseudapostolos desipere, & stultè agere, imò nihil aliud possunt, siquidem praua docent: adhuc tamen fortis eos, & æqui & boni stultitiam ipsorum consulitis.*

Si quis uos in seruitutem. *Est proprium pseudapostolorũ plebem in seruitutem adigere,deglubere suos discipulos ad uiuum. Theophylactus putat idẽ bis dictum, deuorat,*

deuorat & accipit,ut intelligamus insatiabilem auferendi auiditatem in pseudapostolis cum summa coniunctam arrogantia.

Secũdum ignobilitatẽ dico] iuxta contumeliam loquor,

Secũdum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet(in insipientia dico)audeo & ego. Hebræi sunt,& ego: Israëlitæ sunt,& ego:Semen Abrahæ sunt,& ego:Ministri Christi sunt, (ut minus sapiẽs dico)plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas,una minus,accepi. Ter uirgis cæsus sum,semel lapidatus sum,ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui,in itineribus sæpe, periculis fluminum,periculis latronũ,periculis ex genere,periculis ex Gentibus,periculis in ciuitate,periculis in solitudine,periculis in mari,periculis in falsis fratribus,in labore & æruMna,in uigilijs multis,in fame & siti,in ieiunijs multis, in frigore,& nuditate:præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur,& ego non infirmor? quis scandalizatur,& ego non uror? Si gloriari oportet,quæ infirmitatis meæ sunt,gloriabor. Deus,& pater Domini nostri IESV Christi, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentior. Damasci,præpositus gentis Aretæ regis,custodiebat ciuitatem Damascenorũ, ut me comprehenderet: & per fenestram in sporta demissus sum per murum,& sic effugi manus eius.

Vt minus sapiens] desipiẽs loquor

Quadragenas] subaudi plagas

Act. 16.c
Act. 14.c
Act. 17.a

Falsis fratrib'] se Christianos mentientibus

Extrinsec' sunt] uel, accidunt

Instantia, &c.] incũbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum.

Scãdalizatur] offenditur

Benedictus]uel laudandus

Custodiebat ciuitatem] excubias posuerat in urbe

Act. 9.d

Secundum ignobilitatem. *Hæc atrocia quæ dico, ut siquis uos in seruitutẽ redigit,si quis deuorat,et huiusmodi. Nõ dico quòd ista patiamini à pseudapostolis,sed quòd quantũ ad contumeliæ rationẽ attinet,non leuiora patiamini ab istis,quàm si ista pateremini. Hæc sanè ad ignobilitatem & uituperationem Corinthiorum obijciuntur.*

Quasi nos infirmi fuerimus. *Quare huiusmodi toleratis? an quòd simus inualidi,& eorum more uobis uti non possimus? Possumus certè superbè,& intemperanter uos conculcare, sed non libet: Illi in seruitutem uos redigunt, nos uerò ab illa uosipsos modis omnibus liberamus.*

In quo quis audet. *Quacunque re animos tollere, ac se prædicare poterunt Pseudapostoli, possum & ego confidere,& me attollere. Gloriantur illi de rebus externis,quæ apud homines æstimantur. Dico in insipientia non secundum Deum,audeo & ego. Hæc adiecit uerba,ut nos commonefaceret,non ad hæc uerba diuertẽdum, nisi cogat necessitas. Elegantior est hic locus,quàm quisquam fortassis possit assequi: diuus Augustinus de doctri. Christia. lib.4.cap.7. diligenter in hoc uersatur,ut ostendat,quanta arte hæc scripserit Apostolus.*

Vt minus sapiens. *Hæc per parenthesim adiecit, suæ humilitatis profunditatem demonstrans. Ministros Christi se profitebantur pseudo, quos ministrandi hoc munere longo interuallo excedebat Paulus.*

Quinquies quadragenas. *Significat se quinquies uapulasse, & unoquoq; tempore triginta nouem plagis cæsum fuisse. Deute.25. Præceptum erat, ut plagis triginta nouem emẽdarentur, qui commeruissent. dicitur, Vna minus (ait Theophylactus) quia lege cautum erat, ut qui ultra quadragenas uapulando acciperet, honorum esset in posterum & dignitatum immunis. Quadragenas, subaudiendum, plagas.*

Ter uirgis. *A Gentium lictoribus ter uirgis cæsus fuit. Lystris uerò, urbe Lycaoniæ, lapidatus legitur Paulus Act.14. Et qui noctes atq; dies in profundo egit pelagi, sæpius certè nauem fregisse potuit: Sæpius enim per mare Aegæum, & Icarium transmisit uel in Græciam, uel Asiam. Sæpius quoq; oberrauit in mari mediterraneo, Syriaco maximè, Carpathico, Ionio, & alijs non sine periculis. Pericula Pauli enarrant Acta Apostolorum.*

Periculis ex genere. *Iudæorum gentem genus suum uocat: nec propriè intelligit de cognatis, & affinibus solùm, cùm mox opponat gentes.*

Falsi fratres. **In falsis fratribus.** *Falsò Christianis, qui se fingerent discipulos Christi, cùm non essent. Dolore acerbiori afficit, quando à fratribus simulatis, & fictis, parantur insidiæ. Id Dauid deplorat Psal.54. Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;: Et si is qui oderat, &c. Tu uerò homo unanimis, dux meus, & notus meus, Qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c.*

Instantia. **Præter illa, quæ extrinsecus.** *Interpretantur hoc loco Instantiam, non curã ac diligẽtiam, sed conspirationem in Paulum: ut intelligas, præter eas persequutiones, quæ extrinsecus & foris erant, id est, ab Ethnicis quotidie ferendas insidias, & insultus populorum ac ciuitatum seditionem mouentium in Euangelium. Beatus Ambrosius interpretatur urgẽtes curas omnium Ecclesiarum, ut per appositionem copules. Vnde subiungit, Nõ aliter me habeo, ac si ægrescerem, cùm sentio aliquem esse infirmiorem, uel animi morbo, uel corporis laborare. O uere Deo dignum Apostolum! Gloriatur in ijs, de quibus pleriq; nostri erubescerent antistites.*

Quis scandalizatur, &c. *Hoc est, miserè discrucior, & magnopere mihi doleo, cùm quis scandalizatur: id est, quoties praua doctrina, uel exemplo, fides alicuius læditur.*

Infirmitas Pauli. **Quæ infirmitatis meæ.** *Infirmitatem persequutiones appellat.*

Aretas. **Aretæ regis.** *Aretas socer erat Herodis tetrarchæ. Siquidem is rex fuit Arabiæ Peteræ, & Damascenæ ciuitatis, quæ Arabiæ uicina est, Dominus, ut docet Ioseph. lib. Iudaicorum antiquit. 18. cap. 9. & 11. Eum igitur significat Præpositum, quem Aretas rex Damasco præfecerat. Damasci genitiuus est aduerbialis, nam Præpositus ad sequentia refertur. Notissima est hæc historia ex Act.9. cap. Mirabitur fortassis quispiã, quòd in fuga per fenestram gloriatur: At fugisse suo loco, & tempore, uicisse est.*

CONCILIATIO.

QVID hic Paulus asseuerat Corinthios rectè sustinere alium Christum prædicari, quem non prædicauit, & aliud Euangelium, quod non receperunt, cùm Galatis dicat, Etiam si Angelus de cœlo euangelizauerit uobis, præterquàm quod euangelizauimus uobis, anathema sit. RESPONDEO, Galatis significat non esse ferendum Euangelium aliud, id est, diuersum à Christi doctrina. Sed hoc loco sentit Paulus dictionem

dictionem hanc, Aliud, significare præstantius, & excellentius, iuxta uulgatum dicendi modum, quo dici solet, Hæc est alia ciuitas, alia oratio, id est, longè præstantior ciuitas, multò uenustior oratio. Ita & hic Paulus, cùm alium IESVM, alium spiritum, & aliud Euangelium dicit: intelligit, excellentiora ad IESVM spectantia, præstantiora Spiritus dona, maiora promissa Euangelica: quasi diceret, Si pseudapostoli illi annuntiassent uobis præstantiora de IESV, & eius Euangelio, quàm ego, rectè illos sustinuissetis. Sed cùm nihil horum uobis præstiterint, hos à uestra messe tanquam pecora abigite.

DICTIO.

DESPONDERE, *est promittere, quod ad nuptias propriè pertinet, & ad eum præcipuè, cuius interest locare mulierem uiro, siue uirum mulieri. Sed despondere animum, est desperare.* Despondere.

PSEVDAPOSTOLVS, *falsò Apostolus.* Pseudapostolus.

AERVMNA, *labor onerosus.* Aerumna.

Reuelationes sibi factas narrans, de infirmitatibus gloriatur Paulus. CAP. XII.

Nõ expedit quidem] Gloriari sanè non expedit mihi, nihil mihi confert

SI gloriari oportet (non expedit quidem) ueniam autem ad uisiones & reuelationes Domini. Scio homi

Reuelationes Paulo factæ. Act.9.a

nem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum: & audiuit arcana uerba, quæ nõ licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si uoluero gloriari, nõ ero insipiens: ueritatem enim dicam. Parco autem: nequis me existimet supra id, quod uidet in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ,

Me existimet] De me cogitet Magnitudo] Excellentia Carnis meæ, Angelus Satanæ,] Carni angelus Satan, Colaphizet.] Colaphis cædet.

Stimulus Paulo datus.

Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominũ rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nã uirtus, in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me uirtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cùm enim infirmor tunc potens sum.

Si gloriari oportet. *Si gloriari oportet in his quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor, minus enim illhic periculi. Cæterùm ubi uẽtum est ad reuelationes, cõtrahit se, negãs esse gloriandũ, etiã si uera sint quæ dicturus est, quòd hæc magis obnoxia sint suspicioni iactantiæ, quàm illa. Propterea dicit, Nõ expedit quidem. Quidam legunt, Non expedit mihi. Sensus est: Vobis quidẽ expedit, ut cognoscatis qualẽ habeatis Apostolum, longè alium quàm sint isti supercilioſi. Verùm mihi nõ expedit narrare, ut cui tutum non sit, siue propter discrimen inanis gloriæ, siue propter suspicionẽ hominum,*

quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus uidebor hæc iactantiæ gratia comminiſci, quemadmodum pleriq; ſolent.

Reuelatio plus ualet quàm uiſio.

Veniam autem ad reuela. *Pluris ſit reuelatio, quàm uiſio. Viſio nanq; ſpectandam ſolùm rem præbet: Reuelatio uerò profundiora enudat, quàm res ipſa ſit uiſa.*

Scio hominem. *Humilitatis gratia de ſe in alterius perſona loquitur.*

Ante annos quatuordecim. *Vide quanta neceſsitas fuit gloriandi, ut quod annis quatuordecim celauerat, prodere cogeretur.*

Raptus eſt in paradiſum. *In paradiſum arripitur Paulus (ait Theophylactus) quia in diuinitatis Arcanis & myſticis rebus uerſatus eſt: quas, quia incognitæ ſunt, & inexplicabiles, niſi quis mortalem hanc, & abiectam conditionem exceſſerit, aſſequi cognitione non poterit. Aut ſe in paradiſum dicit raptum, per alluſionem: ſignificans ſe cœleſti & eximia refocillatum uiſione. Quod autem dicit, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, explicat uiſionis excellentiam, quæ nullo ſenſu corporis capi poteſt.*

Arcana uerba, *Ineffabilia.*

Parco autem, ne quis. *Abſtineo ab hac reuelatione arcanorum, ne quis cogitet de me, aut tribuat mihi, quod neque ex me, neque meum eſſe agnoſco: ſed* IESV *Chriſti gratiæ adſcribo. Nã ſi tauros illi immolare, (ut eſt in Act. 14. cap.) & pro Deo colere miraculorum ſtupore Lycaonici contenderant: quid ei honorum deferre intermiſiſſent, ſi & reuelationes, quas habuit, edidiſſet?*

Stimulus carnis in Paulo.

Et ne magnitudo reuelationum. *Ne excellentia reuelationum efferar, & inſoleſcam (erat quippe humanus) datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. Nonnulli ſtimulum hunc interpretantur motus & affectus libidinis. Huic ſententiæ applaudit Theophylactus, cuius uerba ſubſcribere placuit. Vel quod ſatius eſt (inquit) Veneris incitamenta, quibus maximè urgebatur, his uerbis expreſsit: Vel quæ prædicanti ſibi immine rent pericula: uel quòd ſibi obſiſterent homines. Hæc ille. Diuus Hieronymus in commentarijs quos in epiſt. ad Galat. ſcripſit, refert quoſdã ſenſiſſe corporis aduerſam ualetudinem, quòd Paulus crebro dolore capitis ſolitus ſit afflictari. Chryſoſtomus homilia de laudibus Pauli ſexta, interpretatur de cõtempto corporis dolore. At mihi proximum uidetur quod ait Ambro. Inſectationem malorum hominum, quæ illi negotium faceſſebat aſsiduè, uocari ſtimulum: ſic enim inquit, Hoc ergo remedium datum eſt Apoſtolo, ut iniurijs aduerſariorum preſſus, animo non poſſet extolli. Siquidem hac parte proſunt nonnunquam & inimici, docentes nos ſobrietatem & modeſtiam. Quemadmodum ſolet indomito cani palus ligari à collo, urſo circulus includi naſo, equo frænum immitti in os, porco diſtineri palo fauces, ne ſcilicet uel nimium currãt, mordeant, ferociant, aut laſciuiant: ita & mihi uſu uenit, qui habeo in meo corpore ſtimulum, hoc eſt, alligatum grauem, & moleſtum palum, ne ferociam ſcilicet, aut ſupra quàm par eſt me attollam. Quid autem hic ſtimulus ſit, ipſe explicat, uocans Angelum ſatanæ, id eſt, aduerſarium diabolum, & eius diſcipulos, qui Paulo aduerſabantur, Fabrum uidelicet, Alexandrum illum, Hymenæumq; & Philippum, ac cæteros qui huic & preſſuras iniecerant, & praua Satanæ opera exequebantur.*

Ter Dominum rogaui. *Id eſt, ſæpius rogaui.*

Virtus in infirmitate. *Non hic dicitur Virtus ut opponatur uitio, ſed ut opponatur infirmitati, & impotentiæ. Docet Paulus uirtutem & potentiam diuinam perfectiorem & illuſtriorem reddi, dum afflictantur electi, qui inſectatorum pertinaciam uincunt.*

Factus

Factus ſum inſipiens: uos me coëgiſtis. Ego enim à uobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum.

Nihil enim minus] Nulla ẽ in re inferior fui ſummis Apoſtolis: Virtutib⁹.] Potentibus factis & geſtis, potẽtijs. Quod minus &c.] In quo inferiores fuiſtis Grauis] Onerosus

Signa Apoſtolorũ miracula.

Signa Apoſtolorũ miracula. Virtutibus. Potentibus factis & geſtis, potẽtijs.

Paulus non accipit temporalia ab ijs quib⁹ prædicat.

Quod minus &c.] In quo inferiores fuiſtis Grauis] Onerosus

Signa Apoſtolorũ miracula. Virtutib⁹.] Potentibus factis & geſtis, potẽtijs.

ſed tui huc à te deſtinati acceperunt, ut uel accipiens nihil uidearis accepiſſe. Sed non ita eſt, dicit Paulus, neque per me, neque per meos quicquam à uobis expilatum eſt.

Non quales uolo. *Hoc eſt, corruptos, & deprauatos uos inueniam, & deprehendar à uobis caſtigator & pœnarum ingeſtor, qualem non uultis.*

Humiliet me. *Pœnas, quibus illorum nonnullos eſſet acrius adfecturus, humilitatem appellat: tametſi à Paulo caſtigari, plerique gloriæ ducerent. Cum ait, Ne me humiliet Deus: oſtendit ſe id ob Dei gratiam facturum cui parere neceſſe eſt.*

Oſtendit Paulus officij ſui poteſtatem. CAP. XIII.

Minatur Paulus Corinthijs ni reſipuerint.

Deute. 19.b

Matth. 18.b Ioan. 8.c Hebr. 10.c

Fides. 2. Corint. 11.f

ECce tertio hoc uenio ad uos. In ore duorum uel trium teſtium ſtabit omne uerbum. Prædixi enim, & prædico ut præſens uobis, & nunc abſens ijs, qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi uenero iterum, non parcam. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus: qui in uobis non infirmatur, ſed potens eſt in uobis? Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate: ſed uiuit ex uirtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed uiuemus cum eo ex uirtute Dei in uobis. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide: ipſi uos probate. An non cognoſcitis uoſmetipſos, quia Chriſtus IESVS in uobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis. Spero autem quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati appareamus, ſed ut uos quod bonum eſt faciatis: nos autē ut reprobi ſimus. Non enim poſſumus aliquid aduerſus ueritatē: ſed pro ueritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus: uos autem potētes eſtis. Hoc & oramus, ueſtram conſummationem. Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi, in ædificationem, & non in deſtructionem. De cætero fratres gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idipſum ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit uobiſcum. Salutate inuicē in oſculo ſancto. Salutant uos omnes ſancti. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus uobis. Amen.

Stabit] Vel, conſtituetur Vobis, & nūc] Abſens cum eſſem, iterum ita & abſens nunc ſcribo

De cætero] quod ſupereſt Gaudete] Vel, ualete, Exhortamini,] conſolationem habete Idipſum ſapite,] unanimes ſitis.

Ecce tertio. *Quemadmodum ſcriptis mandatum eſt, In ore (id eſt, teſtimonio) duorum trium'ue, quod ambiguum eſt confirmatur: Sic & in tertio meo aduētu ad uos, confirmabitur aduerſus uos quodcunque comminatus ſum, niſi immunditiæ uos pœniteat. 4. cap. ſuperioris epiſtolæ promiſi me uenturum ad uos cum uirga: Et quod promiſi, id nunc abſens repeto, & præſens exequar.*

An expe

An experimentum. *Indignabundus Corinthios alloquitur. An in me Chriſtū tentatis, utrū in uobis ulciſci, & uindicare ualeat? Cauete, quia ſi cogar uobis pœnas et tormēta ingerere, intelligetis experimentū à uobis quæſitū. Experiemini quod nolletis.*

In uobis non infirmatur. *Quem non infirmum & impotentem, ſed potentem eſſe cognoſcitis.*

Crucifixus eſt ex infirmitate. *Quemadmodum Paulus prædicationē ſtultitiam appellat, non quòd res ita habeat: ſed quia id infideles opinentur. Sic ob cauſam infirmitatis Chriſtus eſt cruci affixus, quia infideles opinarētur infirmum: hoc eſt, licet ignominias, afflictiones & mortem ipſam uolens ſuſtinuerit, quod in infirmitatis eſſe uidetur: non tamen ſuam potētiam minuere uoluit. Manet enim eadem, & inexpugnabilis, & nihil lædit à facto hoc, quod infirmitatis eſſe putatur: ſed hoc ipſum maximè illius oſtendit potētiam, qui cùm talia ſuſtinuerit, ſuam uirtutem & potentiam nō mutilauit, ſua & Dei patris uirtute, (quæ una & eadem eſt) à mortuis reſurgens. Vide infrà adnotatum in dictione, Infirmus.*

Infirmi ſumus in illo. *Propter prædicationem & fidem in illum, nos perſequutionem patimur, uexamur, extrema patimur: Sed eius potentia & uirtus nos ſeruat, & uiuimus. Huius rei uelim uos periculum facere, Num per Chriſtum habitantem in uobis potentes eſtis, adeò ut ſigna & miracula faciatis? Nam qui tunc credebant in Chriſtum miracula operabantur. Cæterum mihi uidetur hic Fidem dicere illā, quæ miraculorum eſt.*

Non ut nos probati. *Non ſtudeo uideri probus & gloriæ cupidus, ut alios caſtigandi facultatem aſſequar. Sed eſto ſim inglorius, modò quæ recta ſunt agatis. Non enim poſſum non caſtigare ſi quos ab Euangelio deficientes offendero, alioquin ueritati aduerſarer.*

Gaudemus enim. *Gaudeo infirmus & inualidus exiſtimari, quia nihil uirium alios caſtigando uidear habere. Vos uerò ſitis potētiores in Chriſto: hoc eſt, uirtutibus præditi, & omni crimine uacui. Se uocat infirmum, quòd nihil ualeat aduerſus innocentes: & potentes ſunt, qui non peccant.*

Potentes.

Veſtram conſummationem. *Eſtote perfecti, nullam cuiquam uos incuſandi occaſionem dantes.*

Idipſum ſapite. *Concordes & unanimes. Hic agit Paulus de animorū affectu.*

DICTIO.

Infirmitas.

INFIRMITAS, *ait Chryſoſtomus, corporis aduerſa ualetudo dicitur, ut de Lazaro Chriſtus dixit, Infirmitas hæc non eſt ad mortem: & de Epaphra Paulus. Dicitur item infirmitas non eſſe ſolidatum in fide ſimpliciter, neq; perfectum eſſe. Et hoc ſignificans Paulus dicebat Roma. 14. Infirmum autē in fide ſuſcipite. Eſt & aliud tertium ſignificatum Infirmitatis. Quale hoc? Perſequutiones, inſidiæ, tentationes, pericula, ignominiæ, mors, & huiuſmodi, hæc ille.*

DVRIVS AGAM: *id eſt, præcisè, ſiue exactè: quod Latini uocant Ad uiuum.*

FINIS.

Miſſa eſt è Philippis Macedoniæ, per Titum, & Lucam.

EPIST

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD GALATAS.

Epistola ad Galatas est quasi Epitome quædam epistolæ ad Romanos, quæ quatuor primis capitibus fidem in Christum contra superstitionem legis defendit: reliquis uerò, de recto usu charitatis Christianæ disserit.

LOCI.

1 Non hominibus, sed Christo placet Paulus, à quo Euangelium doctus, & Apostolus designatus. Cap. I.

2 Libertatem Euāgelij indicans Paulus, confidenter ceremonias legis abrogat, & Petrum reprehendit, exemplo Abrahæ, non lege, quæ ad tempus data est, sed fide in Christum iustitiam & redemptionem nostrā, nos iustificari docet. Cap. II. III. & IIII.

3 De studio solidæ sanctimoniæ, de spiritus & carnis natura, de releuandis qui in peccatum prolabuntur. De alendis ministris sanctæ doctrinæ, de benefaciendo omnibus, maximè domesticis fidei, Et de gloria crucis. Cap. V. & VI.

Reuocantur Galatæ per Paulum à pseudapostolis seducti. CAP. I.

Paulus missus à Deo ad prædicandum.

PAVLVS Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESVM Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecū sunt omnes fratres, Ecclesijs Galatiæ. Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris: ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundum uoluntatem Dei & patris nostri; cui est gloria in secula seculorum. Amen.

Peccata per Christum dimissa.

Paulus Apostolus. *Ecclesijs prouinciæ Galatiæ scribens, quò à lege & eius ceremonijs Galatas reuocet, præoccupat diligenter, antequam de salute conclamatum, & desperatum sit. Clamat, exhortatur, obsecrat, orat, terret, & ingenij uires intendēs, nihil non tentat, ut boni fiant, & uerbum salutis atque suæ legationis munus excipiāt. Statim ab exordio pseudapostolos Galatarum euersores ferit, cùm se Apostolum dicit: manifestans se nō sua, ut pseudapostoli, sed* IESV *Christi autoritate eloqui. Quis hūc non hominis sed* IESV *Christi legatum honorificè non exceperit? Apostolus à Latinis*

Apostolus.

nis Missus, ab Hebræis Silas, dicitur, cui à mittendo Misso nomen est impositum, ait Hieronymus Ioan. 9. Vade, laua in natatoria Silohæ, quod interpretatur missus. Hoc non caret mysterio, cuius non ignarus Esai. cap. 7. ait, Abiecit populus iste aquas Silohæ, quæ uadūt cum silentio. Hierony. locum Genes. 49. Donec ueniat Siloh: interpretatur, Qui mittendus est. Propterea Paulus non est ueritus ad Hebræ. 3. Christum Apostolum uocare Silam, id est missum: Ab hoc enim uno Apostoli omnes functionem suam accipiunt. Nam quos non mittit, Ioan. 10. cap. Venientes, dicit: hoc est, fures, & latrones: ut illhic explicat, Non enim Mittentis uerbum, quò pascant, afferunt: sed lucro studentes, oues laniant, mactant, & excarnificant, ut spolia referant. Quotquot, inquit, uenerunt (id est, non mittebantur) fures sunt, & latrones. Hieremiæ 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Ab hoc malo summè cauendum est. Nam ob id Christus non sinebat Dæmonia loqui, etsi uerum dicebant: ne prætextu ueritatis, intret mendacium mortis: quando non potest sanctè loqui, qui ex seipso loquitur. Vnde Ioan. 8. Ne Apostoli ex seipsis loquerentur, dedit eis spiritum suum de quo ait: Non enim uos estis, qui loquimini: sed Spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et rursus: Ego dabo uobis os & sapientiam. Quam sapientiam se accepisse à Deo profitetur Paulus, dicens,

Ab uno Apostolo dicti omnes apostoli. Venientes qui dicuntur.

Non ab hominibus. *Non armis, & hominum autoritate, & assentatione: sed Dei uocatione, & gratia factus sum Apostolus. Act. 13. Segregate mihi, inquit, Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Non est uera doctrina & sancta, quæ non est* IESV *Christi, qui ad dexterā patris sedet, doctor & magister noster, mittens suū spiritum abunde nō in pseudapostolos, & animales, sed suos & spirituales: ut nō abeāt in consilium impiorum, & in cathedra pestilentiæ nō sedeant, sed in lege Domini uersentur, ut uoluntatem sui magistri (qui non est alius, quàm Christus, Matth. 23.) faciāt & doceāt. Obserua: Vt hæreticorum os præcludat & obstruat, prænominauit filium patri, manifestans id non esse nobis proximum argumentum, dicamus filium patri non coæqualem quòd pater in scripturis filio passim prænominetur. Sed interdū filiū prænominans, interdum patrem, utriusq; æqualitatem in una substantia manifestat.*

Pauli autoritas. Doctrina uera.

Qui suscitauit eum. *Enarrans Christus in Ioanne, Soluite templum hoc, & ego tribus diebus excitabo illud: hoc autem dicebat de templo corporis sui: significat se corpus suū à mortuis excitasse: & nihilominus hoc loco dicitur à patre excitatus. Propterea quòd (ait Ambrosius) omnis uirtus filij de patre est: gesta filij, facta sunt patris, ex quo sunt omnia. Opportunè præterea meminit mortis, & resurrectionis: ut his persuadeat, non esse amplius ueteri legi intendendum, utpote quæ nil inducat, quod sit illis profuturum. Sed Christo uacandum, qui eorum salutis gratia & obierit mortem, & postmodū tertia die resurrexerit. Nam Roma. 4. Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ideo qui alia uia præsumit esse iustus, quàm credendo in Christum, hic Christum à se reijcit, & otiosam eius passionem & resurrectionem ducit. Qui enim in Christi mortem credit, eius mortis particeps fit, & moritur peccato. Et qui credit in resurgentem, & uiuentem, ipse resurgit, & uiuit in Christo, & Christus in eo.*

Fructus crucis.

Qui mecum sunt omnes fratres. *Plurimum facit ad populum corrigendum, multorum in una re sententia, atq; consensus, ait Hieronymus. Hi forsitan ex circuncisione erant, & à Galatis non contemptui ducebantur.*

Consensus multorum autoritatis uim habet.

Gratia & pax. *Gratia culpam, Pax pœnam aufert & tranquillam reddit con-*

Gratia. Pax. scientiam. Pacem & Gratiam illis optat, & precatur, quos legis obseruantia, tum infensos, tum diuisos intelligebat. Pax Dei etiam in absconditis cor hominis lætificat: quod non habet pax mundi.

Pretiũ redemptionis. **Qui dedit semetipsum.** Magni redemit rem uilem, abiectam, & despectam: hoc est, nosipsos peccati lepra infectos, imò inimicos, Roma. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij sui: nõ aurum, non argentum, sed neq; hominem, neque omnes angelos dedit: sed semetipsum, quo nihil maius, nihilq; quod illi conferri posit. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Vt eriperet nos. Vt quadam nos, malitia detentos, & occupatos, euellit à prauis actionibus, & tenebris. Tunc anima moritur, & crucifigitur mundo, id est, cõcupiscentijs quæ sunt in carne. Et id est, quod explicat Paulus ad Titum secũdo: Abnegantes impietatem, & secularia desyderia, sobriè, & iustè, & piè uiuamus in hoc seculo.

Seculũ nequã. Seculum uocat nequam, non quòd Solis decursui, & cœlorum reuolutioni aliquid nequitiæ insit: sed propter nostras prauas actiones, & corruptos animi appetitus.

Secundum uoluntatem Dei. Non est quod philosopheris, dicens, Cur non aliter nos eripuerit, quando ita est patri libitum. Non est serui, quærere, quare Dominus ita fecerit. Timeat ille, & non altum sapiat. Cùm dicit, Dei & patris nostri: beneficia in nos conferentis commeminit Christi, qui patrem suum & nostrum effecerit.

Galatæ abducti à fide per pseudo. **Miror quòd sic tam cito transferimini ab eo, qui uos uocauit in gratiã Christi, in aliud Euãgeliũ: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui uos conturbãt, & uolunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euãgelizet uobis, præterquàm quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis uobis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit. Modò enim**

Paulus doctus à Deo. 1. Corint. 15. **hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem. Notum enim uobis facio, fratres, Euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici: sed per reuelationem IESV Christi.**

Miror quòd sic tam cito. Declarat hoc exordio, quo cõsilio scripserit hæc. Habet hic locus (ait Hieronymus) hyperbaton, quod ita sine ordine legi potest: Miror quòd tam cito trãsferimini à Christo IESV, qui uos uocauit in gratia, dicẽs, Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam. Gratia quippe salui facti sumus, & non per legem. Translati autem (inquit) estis in aliud Euãgelium, quod nõ est aliud. Quia omne quod falsum est, nõ subsistit: & quod ueritati contrarium est, non est: ut illud Hester 14. Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui nõ sunt. Hæc ille. Prudenter & modestè se mirari dicit Paulus, cuius indignatio & uehemẽs ardor infrà manifestatur, ut uerecundiam hoc dicto illis ingerat, quasi dicat, Miror quòd post tantam gratiam, & peccatorum cõdonationem, ultro curratis ad iugum seruitutis. Ego de uobis egregiam opinionẽ induerã, existimãs uos fortes: sed statim uel prima inuitatio sufficit illi pseudo

Solum uerum est. Qui dicuntur non esse.

ad subuertendum uos, & capiẽdum. Cùm ait, Transferimini, mollius, & suauius loquitur, quàm si dixisset, Translati. Hoc est, Nondum credo, nondum arbitror perpetratam & absolutã circumuentionẽ. Mitius enim est, si arbor maneat, fractis aliquot ramis, aut alio incõmodo læsa, quàm si penitus trãsferatur de loco suo in alium locum, ubi necesse sit eam arescere, & sterilescere. Verbum Transferimini (ait Hieronymus) aptißimũ est Galatis. Galatia enim Hebræis translationem significat, quasi Apostolus ex eorũ proprio nomine occasionem huius exordij sumpserit, ac si diceret: Verè Galatæ estis, & transferri prompti: res congruit cum nomine uestro, & allusione linguæ Hebraicæ. Non abs re quod uulgò iactatur, dictum putauerim, Conueniunt rebus nomina sæpe suis. Huiusmodi allusiones iucundæ admodum sunt, si suis locis appositè explicentur.

Simile. Galatia. Allusiones dictionum perũcundæ.

In gratiam Christi. In gratiam Christi, ut à Christo iustificemur, & ex eius gratia, & non nostris operibus, ait Theophylactus. Filius quippe delictorum ueniam in gratiam præbet: Pater uerò ad eam nos euocat.

Quod non est aliud. Tametsi dicimus quatuor euangelia esse Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis: non tamen sunt diuersa: sed ita consona, ut unum dici crediderim, unum Christum, & fidem unam docens.

Præterquàm. Post exhortationem, à uobis separetur si quis contrariam euangelio doctrinam annuntiauerit. De anathemate suprà ad Rom. 9. abunde dictum est.

Sed licet nos. Tanto charitatis ardore ductus uidetur Paulus, ut meras flammas ex ore uideatur emittere: ostendens Euangeliũ, quod prædicauit, nõ esse aliud, sed ucrũ Iesu Christi Euangeliũ. Non loquar iam de pseudapostolis: sed licet nosipsi, inquit, ego & fratres mei, Timotheus, Titus, & quotquot Christũ mecũ purè docẽt, Imò si Angelus è cœlo descenderet, tamen uelim potius anathema, hoc est maledictum, me, fratres meos, deniq; etiã angelum ipsum è cœlo, quàm quòd meum Euangeliũ inuerti debeat.

Modo enim hominibus. Quidam interpretatus hunc locum in accusandi casu, ait esse datiuos illos Græcis, homines suadeo, an Deum: hoc est, Humana suadeo, an diuina? hoc est, Doctrina quam ego doceo, non ex hominibus, sed ex Deo est: ut latius statim ipse explicabit, quando Euangelium suum neque secundum hominem, neque ex homine esse dicet.

An quæro hominibus placere. Non dissuadet hominibus placendum, modò non displiceamus Deo. Emphasi, & quodam uehementi affectu loquitur Paulus, accipiens hoc loco hominem iuxta primã natiuitatem, qua Athei, & sine Deo, seu à Deo alieni, & auersi sunt, mendacio, & odio ueritatis pleni. Propterea rem abiectam 1. Corinth. 3. explicans, ait: Non'ne homines estis? Est certè omnis homo mendax. Quare his non est placendum, sed qui secunda nascentia ex Deo nati sunt: qui abnegantes animas suas, saluas faciunt illas.

Athei. Secunda nascẽtia Deo placemus.

Notum enim uobis facio. Varijs argumentis, & longo tractu manifestat se legem deseruisse, & in alium uirum mutatum esse, tam subita mutatione, ut facilè dici posit, id nõ humana, sed diuina uirtute factum esse. Vt sciatis, inquit, Euangeliũ meum esse diuinum, Ego nõ ab homine accepi, neq; ipsemet meo studio, labore, & uigilijs, didici: sed per reuelationẽ IESV Christi: hoc est, à Deo sola reuelatione Christi ipsum accepi, & ipso docente didici: scilicet in itinere, quando Damascum profectus Christum audiui. Nisi enim Deus essulsisset, haud quaquam adeò repentè fuissem immutatus. Nam qui ab hominibus edocentur, multo tempore est opus ut ad studia transferantur. Hieronymus ait: Is accipit Euangelium, cui primũ intimatur, & ad fidem eius inducitur

Accipere Euangeliũ & discere non est idem.

ducitur: discit autem, qui ea, quæ in illo figurata sunt, explanata cognoscit, & proficit. Quæris, Quod Euangelium prædicauit Paulus: an Lucæ, Matthæi, aut alterius? Respondeo: Vnum est Euangelium, non diuersa. Quandocunque prædicatur gratia Dei, & remissio peccatorum per IESVM Christum facta, uerè prædicatur Euangelium: & id est, quod Paulus annuntiat. Obserua: Paulus non ab homine, sed per IESVM Christum se Euangelium accepisse pronuntiat. Ergo Christus est plus quàm homo. Ex his intelligant episcopi, quàm studiosi esse debeant, ne non missos, sed à seipsis loquentes, Euangelium tractare permittant: ne peruersa interpretatione, ex Euãgelio Christi Euangelium hominis fiat. Quod passim fit ab indoctis, & Quæstoribus, Euangelium Dei cauponantibus.

Vnũ est Euangelium, non diuersa.

Quęstuarij uerbum Dei cauponantes.

Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos, in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut euãgelizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini, neq; ueni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam, & iterũ reuersus sum Damascum. Deinde, post annos tres, ueni Hierosolymam uidere Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo uobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo: tantùm autem auditum habebant, Quoniam qui persequebatur nos aliquãdo, nunc euangelizat fidem, quam aliquãdo expugnabat: & in me clarificabant Deum,

Paulus doctus à Deo euangelium ubi prædicauit.

Expugnabam] Depopulabar Abundantius &c.] Cum uehemẽter essem studiosus à maioribꝰ meis traditorum institutorum.

Acquieui carni &c.] Cõtuli cũ carne & sanguine, id est, cũ Petro, Iacobo & Ioanne.

Veni] Redij

Veni] Redij

Auditum habebant,] Rumor apud illos erat,

Audistis enim conuersationem. Mira (ait Hieronymus) & pulchra obseruatio, ponduscq; uerborũ. Conuersationẽ inquit, non gratiam: aliquando, non modò: in Iudaismo, non in fide Christi: nõ ut cæteri persecutores, sed sicut grassator, & prædo uastabat ecclesiam Dei: non quòd eam talem tunc crederet, sed talem nunc cognitam nominat. Et iterum, Proficiebam in Iudaismo, non in fide Christianismi: super multos, non super omnes: (ut modestiam seruet) super coætaneos meos, non super senes: in genere meo, nõ in gẽtibus. Sic enim gentẽ Hebræam solet nominare, ut 2. Corinth. 11. Periculis ex genere, periculis ex Gentibus. Ex hac historia sua probat se diuina docuisse: atq; uult hoc exẽplo suo Galatas retrahere à lege, ut inter audiendũ moneãtur, moueãturq;. Dicere enim poterant Galatæ, (ait Hieronymus) Si ille qui à parua ætate Pharisæorum institutus est disciplinis, qui omnes coætaneos suos in Iudaica traditione superabat,

rabat, nunc desindit ecclesiam Christi, quam quondam ualidissimè persequebatur, & magis Christi gratiam, & nouitatem uult habere cum inuidia omnium, quàm uetustatem legis cum laude multorum: quid nos facere oportet, qui ex gentilitate esse cœpimus Christiani? Aduerte non solùm est persequutus, sed etiam expugnauit: id est, conatus est ecclesiam Dei extinguere, subuertere, demoliri, abolere.

Aemulator existens paternarum. Manifestat se quicquid fecit, zelo quodam fecisse, tamen non secundum scientiam, non affectu uindicandi, quos oderat: sed quòd studio teneretur traditionũ, quas à maioribus acceperat: quas Hieronymus Pharisaicas doctrinas, & mandata hominum appellat. Sunt qui absurdum non putant, his traditionibus totam legem Moysi intelligi, iuxta ipsius Apostoli dictum ad Philipp. 3. Si quis alius uidetur confidere in carne, ego magis, circunciſus octauo die, ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei.

Cùm autem. Fides, & cognitio Christi, non ex lege mihi uenit, sed ex prædestinante & uocante gratia Dei. Quæ enim didici, non contulerunt mihi doctores & librorum interpretes, sed ipse Christus me sui cognitionem docuit. Quidam allegoricè per Vterum matris, Synagogam intelligunt, quam Iudæi matrem agnoscũt, sicut nos ecclesiam. Qui segregauit me ex utero matris meæ: phrasis est Hebraica: hoc est, ordinauit, parauit me. Cùm nondum natus essem, eram Apostolus in oculis Dei: & cùm tempus uenit, declaratus sum Apostolus, etiam coram mundo.

Vocauit per gratiam. Non per opera, merita mea: sed per merã suam gratiã.

Vt reuelaret. Commissa est mihi doctrina gentibus reuelanda: doctrina, inquam, Euangelij, quæ est reuelatio IESV Christi filij Dei. Cur dicit se reuelaturum hanc doctrinam inter gentes, & non inter Iudæos. Certè peculiaris designatus est gentium doctor, sicut Petrus Iudæorum. Ergo nullus audiat doctorem, qui Christum & gloriam eius non docet.

Continuò non acquieui. Carnem & sanguinẽ, uniuersum genus humanum appellat: atq; hic uidetur mihi sensus. Quòd Paulus ostensurus se ex Deo reuelãte docuisse Galatas, non prius contulerit suam reuelationẽ cum ullo hominum: sed continuò accepta reuelatione, Christum prædicarit, ut est in Actis 9. cap. Fuit autem cum discipulis qui erãt Damasci per dies aliquot, & continuò ingressus synagogam prædicabat IESVM. Continuò scilicet, nõ prius conferens cũ eis, imò continuò eruditus fuerit. Chrysostomus uult per Carnẽ & sanguinem, Apostolos intelligi: idq; apertũ esse autoritate Christi, qui ad Petrũ dixit, Caro & sanguis non reuelauit tibi: id est, nec ex teipso, nec ex alijs habes. Et alibi: Non enim uos estis, qui loquimini: sed spiritus patris uestri. In quo ostenditur, eos esse aliud à spiritu, & spiritus reuelatione, nimirum in seipsis uerè carnem & sanguinem. Quòd si quis (ait Chrysost.) de cunctis hominibus intelligi uult, nos non contradicimus.

Neq; ueni Hierosolymam. Satis superq; fuit mihi certa diuina reuelatio, atq; tam ampla & firma erat, ut sicut non fuit opus Damascenos consulerem, sic nec eos, qui ante me fuerant in Apostolatu.

Sed abij in Arabiam. Huius profectionis & secessus in Arabiam non meminit Lucas in Actis, neque multorum aliorum quæ gesit Paulus: sed omnino Paulum per murum submissum, uenisse Hierosolymã scribit. Prius in Arabiam iuit, non solùm docturus, sed etiam persequutionis à se factæ opinionem extincturus, & ut agnoscere-

Quare Paulus in Arabiam secesit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur ab omnibus Christi Apostolus,non persequutor.

Deinde post annos tres. Attende,non ait,Veni audire: sed,Videre Petrum: hic uisit, delatum prætendit honorem. Indicat quòd ascenderit ad eos Hierosolymam non iussus,sed sua sponte. Quòd secum manserit,charitatis est summæ,& amicitiæ argumentum. Et ne obijcerent aduersarij,Si nõ à Petro,saltem ab alijs Apostolis doctus es. Respondet,Alium autem Apostolorum uidi neminem: nisi Iacobum fratrem Domini. Hic Iacobus non Zebedæi filius frater Ioannis: sed Iacobus Alphæi,qui minor dicitur,frater Iose,Simonis,& Iudæ,Marci 6. Præ alijs dicitur frater Domini,quòd Christo simillimus fuerit: aut quia cognatus,& consobrinus. Hic primus Hierosolymorum episcopus,qui canonicam epistolam scripsit. Quæris,Quid illis quindecim diebus Paulus egit Hierosolymis? Respondet Lucas 9.cap. in Actis,Loquebatur quoq; (scilicet in Hierusalem) Gentibus,& disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream,& dimiserunt Tarsum, quæ est Ciliciæ. Ex his uides Paulum nihil Hierosolymis didicisse quindecim illis diebus: sed docuisse gentes ad quas Apostolus designatus erat. Si discendũ ei fuisset Euangelium à Petro,aliquot annis fuisset ei ibi manendum: in quindecim diebus non fuisset factus tantus apostolus,& doctor gentium.

Iacobus frater Domini.

Quæ autem scribo. Quare hìc addit iuramentum,dicens: Ecce coram Deo? Quia narrat historiam, ideo coëgit eum necessitas fidei ecclesiarum iurare, ne dicerent pseudapostoli,Quis nouit,an uerum dicat Paulus?

CONCILIATIO.

PAVLVS hoc loco dicens,Si hominibus placerem, Christi seruus non essem: uidetur immemor eius quod dixit Roma.15. Vnusquisque uestrum proximo suo placeat in bono,ad ædificationem. NON sibi dissimilis est Paulus: Aliud est studium placendi hominibus, ut uenemur ab eis laudem: aliud studium placendi,ut proficiamus illis. Hoc postremum exercuit Paulus. Magnum est,de honoribus & laudibus hominum nõ lætari, sed omnem pompam inanem præcidere,& si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium,salutemq; conferre,ait Augustinus. Non enim frustra dictum est Psal.52. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt,quoniam Deus sprecuit eos. Quare? Quia Deum & uerbum suum negant amore hominum, dum persequutionem timent. Ita contrà Psal.33. Custodit Dominus omnia ossa eorum. Quorum? Iustorum. Qui sunt hi? Qui hominibus displicent, & non adulantur: sed uerbum Dei omnibus præponunt mundi honoribus, quoniam Deus susceptor eorum est.

Placere hominibus.

DICTIO.

Galatia. GALATAE penult.correp.qui & Gallograeci dicti à Gallatia quæ & Gallogræcia, prouincia Asiæ minoris, & interpretatur tralatio. Hi descenderunt à Gallis

Edui Romanorum amici. Eduis, Romanorum amicis, ut autor est Cicero, & Senonibus. Item ueniunt ex Gomer,Noë filio.

Suadere. SVADERE, hoc loco pro inducere ad credulitatem,ut Act.ultimo. Quibus exponebat,testificans regnum Dei,suadensq; eis de IESV,ex lege Moysi & prophetis,à mane usque ad uesperam.

Expugnare. EXPVGNARE,uerbum est propriè populantiũ, & excindentiũ captas armis urbes. Quod hic ait Paulus,Expugnabã: non ad euentũ rei,sed ad illius animũ,& conatus referendum est. Hieron.y. in cõmentarijs,& Aug.in sermone habito in monte,legunt,

gunt,Deuastabam,aut Vastabam,more hostis,& ferè populantis omnia.

GENVS suum,Paulus gentem appellat Iudaicam. Genus.

DAMASCVS ciuitas est Syrophœnices, totius Syriæ caput, inter Libanum, & Antelibanum sita. Damascus.

AVDITVM habebant,rumor apud illos erat. Auditum habere.

CLARIFICABANT, illustrabant,glorificabant,magnificabant. Clarificare.

Paulus confidenter abrogat ceremonias legis. CAP. II.

DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secũdum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui uidebantur aliquid esse: ne forte in uanum currerem,aut cucurrissem. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circunci dí: sed propter subintroductos falsos fratres,qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo IESV, ut nos in seruitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: ut ueritas Euangelij permaneat apud uos. Ab ijs autem, qui uidebantur esse aliquid, (quales aliquando fuerint,nihil mea interest: Deus enim personam hominis nõ accipit) mihi autem qui uidebantur esse aliquid nihil contulerunt. Sed contrà,cùm uidissent,quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes) Et cùm cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse,dextras dederũt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in Gẽtes,ipsi autem in circuncisionem: tantùm ut pauperum memores essemus. Quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.

Seorsum autẽ, &c.]sed priuatim cũ his qui erãt in pretio:

Propter subintroductos] propter obiter ingressos

Subiectioni:] per subiectionem:

Operatus est] efficax fuit, uel animum suam ostendit in Petro

Vt nos]subaudi, fungeremur apostolatu

Paulus cõfert suam doctrinã cũ Apostolis.

Titus gentilis quare non circuncisus.

Deute. 10.d
2.Paral.19.c
Iob 34.b
Sapien.6.b
Eccle.35.b
Roma.1.b
Ephes.6.b
Colos.3.d
Actuum 10.e
1.Petri 1.c

Paulus cõtium doctor.

Petrus Iudæorũ Apostolus.

Cum Barnaba. Prioris ascensionis Pauli causa fuit, ut uideret Petrum: istius autem in Hierusalem fuit ex reuelatione. Huius profectionis comites habuit Barnabam Iudæum,& Titum Gentilem, aptissimos testes (ait Chrysostomus) ne aliud præsens, aliud absens agere uideretur: ut si quid in Iudæorum fauorem commodius ageret,Titus Gentilis proderet: Si rursus nimium Gentibus faueret,Barnabas Iudæus obsisteret. Hic Pauli ascensus non arguit Paulum dubium de abrogata lege, sed eò ascendit, quò libertatem euangelicam confirmaret approbatione magnatum, & principum Euangelij,& ut eximeret tum Iudæos tum Gentes ab illo immenso legalium onere.

Pauli ascensio in Ierusalem.

Paulus quare ascẽdit Ierosolymam.

Contuli cum eis. Est uerbũ Conferre (teste Hieronymo) aliud quàm apud nos Conferre. intelligitur: cùm scilicet ea quæ nouimus, conferimus cum amico, ac uelut in sinum & conscientiam eius reponimus, ut pari consilio uel probanda sint, uel improbanda.

Ne forte in uanum. Docet suum ministerium in Euãgelio hactenus non fuisse inutile, quale existimabant pseudapostoli. Dicebant enim, uanam Pauli, & inutilem esse prædicationem, quòd legem Euangelio non misceret. Vt autem ostendat, non uanam fuisse, sed bonam nauasse operam in prædicando Euangelio, ascendit Hierosolymam, ut magnorum apostolorum calculo accedente, os pseudapostolorum tam impudicum obstrueretur. Traxit metaphoram ab ijs, qui in stadio currunt, strenuè quidem, sed in uanum, quum non assequuntur brauium, cuius gratia curritur.

Sed neq; Titus. Argumẽto à pronuntiatis transfodit aduersarios Paulus. Cõtendebant illi circuncisionem ad salutem esse necessariam: Paulus uerò prædicabat, credentes per fidem in Christum etiam incircuncisos saluari. Quod in eo consilio Hierosolymitano probauit uerum esse Titi exemplo. Nisi enim euicisset aduersarios suos errare, compulsus fuisset Titus ab Apostolis (quibuscum Euangelium suum conferebat Paulus) circuncidi. Sed nulla ratione adduci potuit Paulus, ut Titum Gentilem circuncideret, quanquam falsi fratres urgerent: licet id sine ulla spe in circuncisionem facere posset, quod in Timotheo factum legimus. Sed maximè restitit, ne si secus egisset, suo exemplo cæteros ad circuncisionem impulisset. Videtur ex his collatio & conclusio Apostolorum cum Paulo fuisse huiusmodi: Circuncisio non imponatur gentibus, permittatur tamen ad tempus Iudæis, non quidem ut necessaria ad iustitiam, sed propter reuerentiam patrum, ut cum honore sepeliatur eorum synagoga. Deinde etiam propter charitatem ne infirmi offendantur, donec in fide confirmentur.

Sed propter subintroductos fratres. Qui falso titulo fratres, id est, Christiani dicuntur, summo studio & arte muniti contra Paulum, subdolè, & fraudulenter in Synodo illa Hierosolymitana obiter comparuerũt, ut quoquo tandem modo eum traducerent, & opprimerent coram ecclesia. Et ad hoc etiam abuti uoluerunt autoritate apostolorum, in quorum conspectu accusauerunt Paulum dicentes: Paulus introducit Titum incircuncisum in cœtum omnium credentium, negat & damnat legem præsentibus uobis Apostolis. Si ista hîc audet tentare, quid non auderet inter gẽtes, uobis absentibus? Cum se dolis peti Paulus uideret, ut nobis auferrent libertatem Euãgelicam, id est, ut nos in seruitutem redigerent, id est, ut nos sub iugum legis Mosaicæ reducerent, restiti eis dicens, Legem & circũcisionem non esse necessariam ad salutem. Si illi allegassent obsequium fraternitatis & multorum infirmitatem, ad horam cessisset Paulus, quod ostendit cùm circũcidit Timotheum. Sed aliud quærebant, nempe ut Paulum, & omnes adhærentes suæ doctrinæ, in seruitutem redigerent. Ideo ne ad horam quidem, siue momentum, eis cedere uoluit. Fuit iste Pauli triumphus ualde gloriosus, quòd Titus gentilis in medio Apostolorum & credentium constitutus, ubi tam acriter de ista quæstione, utrum circuncisio necessaria sit ad salutem, decertatum est: tamen non coactus fuit circuncidi. Hunc triumphum Paulus reportauit, habens testimonium omnium credentium in Hierusalem, deinde etiam ipsorum Apostolorum, quòd ipso autore definitum sit, circuncisionem non esse ad salutem necessariam, & pseudapostolos mendaces esse, & non audiendos, sed abijciendos, ut fustuario dignos.

Qui uidebantur aliquid esse. Qui in pretio erant, ac magni nominis, quos uulgò uocant Reputatos. Ab his, inquam, nihil accepimus.

Deus

Deus enim personam hominis. Nõ est habendus qualitatum, dignitatum, & officiorũ respectus in causa fidei, uerbi Dei, & salutis: sed in ijs, quæ extra religionem sunt, respiciuntq; politiam, & concordiam respicienda est persona, ne fiat in Republica confusio, neue reuerentia & ordo tollatur. Nam in hoc seculo uult Deus seruari ordinem, reuerentiam, & differentiam personarum. At coram Deo cessat omnis personatus: ibi neq; Græcus, neq; Iudæus, sed omnes unum sunt in Christo. His ergo significat Paulus non hic de apostolatu, respectu'ue personarum agi: sed de re magis ardua: de Deo scilicet, & religione siue Euangelij ueritate, quæ ut illæsa maneat, potius cesset apostolatus, omnis magistratus, & quiuis personarum respectus.

Sed contrà. Sed contrà, subaudi, ut uiderunt, & cõprobauerunt meum Euangelium, quod ego contulerã, & quasi in sinum eorum reposuerã. Et cùm ex ista collatione uidissent, &c. Atq; hic textus (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes) legendus est per interiectam parenthesim.

Euangelium præputij. Mihi creditum est munus prædicãdi Gentibus, sicut Petro iniunctum est munus prædicandi Iudæis. Appellat præputium Gentes, Circuncisionem Iudæos. Est igitur Euangelium præputij, quod mittendum erat ad Gentes: hoc ait sibi concreditum, ut Petro circuncisionis. Hic obiter obserua, Hebræos constructionem genitiui uariè accipere, Iam actiuè, iam Passiuè: Id quod sæpe obscurare solet sententiam. Exempla obuia sunt in sacris literis, ut hæc oratio, Gloria Dei, actiuè & passiuè exponi potest: Gloria Dei actiuè, qua Deus in se gloriatur: Passiuè, qua nos in Deo gloriamur. Similiter Euãgelium Dei, actiuè uocatur, quod solus Deus dat, & mittit in mundum: Passiuè, quod à nobis receptum est. Euangelium præputij, quod à gentibus receptum est. Mirabitur fortasis quispiam, quòd Paulus dicit, sibi concreditum Euangelium præputij, Petro circuncisionis, cùm tamẽ Paulus ferè ubiq; Iudæis in Synagogis & Petrus etiam gentibus prædicauerit. Huic respondeo, Paulum huc spectare, quòd alij Apostoli principaliter in Iudæa & Hierusalem manserint, donec Deo uocante aliò se contulerũt. Pro tempore ergo ita habebat res, quòd stante adhuc politia Iudaica, erant in Iudæa: imminente uerò uastatione Hierosolymitana, dispersi sunt per totum orbẽ. Paulus autem, ut est in Act. 13. ca. singulari uocatione selectus in Apostolum Gẽtium, & missus extra Iudæam peragrauit regiones gentiũ. Cæterùm Iudæi tunc dispersi ferè per totum orbem, passim habitabant in urbibus, & locis gentilium. Itaq; Paulus illuc ueniẽs, solitus fuit, ut in Actis legitur, ingredi Synagogas Iudæorũ, atq; illa occasione primum afferebat illis, ut filijs regni, hoc lætum nuntium, Promissiones patribus factas, iam impletas per Christum. Cùm hoc audire nollent, ibat ad gentes, ut scribitur Act. 13. Fuit igitur præcipuè Gentium Apostolus, ut Petrus Iudæorũ: sic tamen ut & ipse gentibus annuntiauerit Christum oblata opportunitate.

Nihil contulerunt. Contulerat cũ Petro, Iacobo & Ioanne Paulus suũ Euangelium: illi non contulerunt uicissim suum, sed duntaxat probarunt Euãgelium Pauli. Itaq; hoc loco Contulerunt, non significat Addiderunt, ut putat quidam grammaticus.

Gratiam quæ data est. Gratiã appellat omnia quæ à Deo acceperat, Quòd ex persecutore & uastatore ecclesiæ factus est Apostolus à Christo edoctus, spiritualibus donis auctus.

Dextras dederunt. Id est, Conuenere illi secum, & nos sibi consociarunt: & præ se tulerunt sibi esse oblectamento, quòd nos prædicamus: quandoquidem nil nostra ab illis dissonat prædicatio. Videtur id Hebraismum spirare, Dextras societatis: pro,

dextras socias, uel pro societate firmanda. Aut dixerunt, Nos unanimi consensu, Paule, prædicamus tecum, & sumus in doctrina socij, quia idem Euangelium, eundem baptismum, eundem Christum, & fidem tecum prædicamus.

Pauperes quorum curã Paulus habebat.

Tantùm ut pauperum memores. Vide alterũ opus apostolicũ, solicitum esse pro pauperibus. Hos Roma.15.cap. pauperes sanctos uocat. hi sunt quibus Iudæi substantias rapuerant propter Christum, ut Hebr.10.cap.scribitur. Aut qui sua bona communia fecerant, Act.4. Fortè & hi qui penuria laborabant, tempore famis, quam sub Claudio factam Lucas Act.11.cap.meminit. Certum est autẽ, quòd sub Claudio ista contigerunt, quæ hoc narrat capite, si diligenter annorum calculus ducatur.

Cùm autem uenisset Cephas Antiochiã, in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. Prius enim quàm uenirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem uenissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex circuncisione erant: & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm uidissem, quòd non rectè ambularent ad ueritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Iudæus sis, gentiliter uiuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis Iudaizare? Quomodo]cur

Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Scientes autem quòd nõ iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV Christi: & nos in Christo IESV credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Quòd si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores, nũquid Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo uiuam: Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego: uiuit uerò in me Christus. Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.

Roma.3.c

Crucifigi cum Christo.

Cùm autem uenisset. Ex hoc loco magna suborta est digladiatio inter duos illustrissimos doctores, Hieronymum, & Augustinum. Ad huius loci cognitionem obseruabis, quòd cùm Petrus Antiochiæ uersaretur, quibuslibet cibis cũ Gentibus indifferenter uescebatur: qui cùm Iudæos ab Hierosolymis uenientes uidisset, subtraxit se è sodalitio Gentilium, timẽs scandalo esse illis Iudæis Moysen nondum planè dedoctis: unde contigit Gentes offendi, quæ se spretas & impuras à Petro factas dicerent. Hæc Paulus

Paulus intuitus, restitit in faciem Petro, ut uidẽtes Iudæi Petrum palàm obiurgari, nec repugnare, hoc ipso silentio cognoscerent, iam nihil immundum esse, similiter & Gentes. August. asserit, quòd Petrus peccauit per imprudentẽ dissimulationẽ. Hieronym. cũ Græcis sentit, Petrum non peccasse, ductus hoc argumẽto, quòd Paulus similia fecerit, quando Actor.16.circũcidit Timotheum, propter Iudæos, qui erant in illis locis. Item Actor.18.totondit sibi caput in Cenchreis, et habebat uotum. Et cap.21. Cũ uiris quatuor habentibus uotum super se, intrauit templũ, ac sanctificauit se cum illis, & oblatio facta est pro eo. Item suo ipsius testimonio, 1.Corinth.12. Factus sum Iudæis tanquã Iudæus. Putandus est ergo Paulus hæc dixisse, non condemnãdi gratia Petrum, sed ob futurum mox Iudæis profectum, usus est Paulus noua pugnãdi arte, noua simulatione seu contradictionis dispensatione, ut corrigeret. Fuerũt, qui hunc Cepham aliũ quendam ex LXX. discipulis fuisse assererẽt, ut est in Ecclesiastica historia Eusebij. Sed hoc eruditè, & potenter conuellit diuus Hiero. Peruerso enim studio uolucrunt Petro patrocinari, cùm Paulus dedita opera, hæc ad Galatas scripserit, ut obtunderet os detrahentium sibi, quòd sua doctrina esset Petro postponenda. Contrà, inquit, non ex hominibus, sed ex Deo: insuper non solùm per Petrum & Apostolos, sed & hac in faciem Petri restitit, ut iam non reliquum haberent quod Paulo obgannirent.

Timens eos qui. Metuebat Petrus, ne quid Iudæis obesset: aut ne offenderet Iudæos, subtraxit se ex Gentilium cœtu.

Nos natura Iudæi. Nos qui orti sumus, ô Petre, ex progenitoribus Iudæis, & simul cum lege educati, reliquimus legem & eius ceremonias: quomodo ergo tua dissimulatione Gentes Iudaizare cogis? Et non ex gentibus peccatores: id est, sine scriptæ legis diuinæ regula uiuentes. Comparat Iudæos & Gentes, de quibus copiosissimè disputat, Roma.1. & 2.

Iustificatio nostra.

Scientes autem. Iustificationem & peccatorum condonationem seu remissionem explicaturus, non dicit legem iniquam esse, ne Iudæos irritaret: sed infirmam, & impotentem esse ad iustificandum. Sola est Mors, & resurrectio IESV Christi, nostræ iustificationis causa. Nempe Christus pro nobis est mortuus, iustus pro iniustis, qui morte digni eramus. Hãc mortem ferens abstulit chirographũ delicti, cruci illud affigens, & appendens, atq; in cruce moriens, reliquit mortem & omnes infirmitates ex Adam acceptas. Et quia in ipso uita erat, ideo uiuificauit suum corpus, & excitauit seipsum à mortuis: hoc faciens, omnes secum mortuos, hoc est, omnes qui peccato & mundo moriuntur, carnẽ suam cum uitijs, & concupiscentijs crucifigentes, secum conuiuificauit, & exsuscitauit: hoc est, postquàm mortui sunt peccato, non imputat illis peccatum, sed remittit, & uitam dat spiritalem, & fit noua creatura in eo, qui mortuus mundo uiuit Deo. Huius mortis & resurrectionis, quia Christus iam non moritur, mors illi ultrà nõ dominabitur, uim habet Fides illa uiua, qua Christum amplector, & sequor, credens in eum, & eũdem singulari amore prosequor. Et id est, quod dicit, Et nos in Christo IESV credimus: hoc est, animo adhæremus Christo ut redẽptori, & promissioni eius: hæc uoluntas abrenũtiat Satanæ, & eius affectis, & iam uiuit Deo. Et id est quod dicit, ut iustificemur ex fide Christi: Hoc est, Illa fides uiua, quæ donum Dei est, ne quis glorietur, Ephes.2.cap. uim habet & energiam expellendi ueterem Adamum, & conferendi uitam nouam in Christo: quem induimus, quoties hac fide uiua Christum amplexamur. Hæc neq; lex, neq; eius ceremoniæ unquam concesserunt. Vanum ergo, & prorsus inutile fuerit, Legem commendare, ad hanc iustificationem consequendam.

Quod

Quòd si quærentes. *Paulus argumentum sumit ab impoßibili, & ab his, quæ cõcedere esset absurdum. Videtur itaq; hunc in modum dicere, Si nos per Christum iustificatos ducimus, adhuc quærentes legem, tanquam nobis necessariam: sequitur, nos per Christũ iustificatos, relinqui adhuc peccatores, & legis debitores: tanquam iustificãdi per aliud quàm per Christum, scilicet per legem. Quod si ducimus adhuc legem usui, & necessariam esse, iam Christus non iustificauit nos, sed peccatores tantum fecit, ut per legem iustificemur. Quod maximè est absurdum. Propterea dicit, Absit. quæ particula horrẽtis est. Nam qui credit in filium, habet uitam æternam. Et, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quid igitur mihi lege est opus?*

Si enim quæ destruxi. *Docui legem inanem & extinctam esse, ab illa non quærendam iustificationem. Si hanc legem reædificarem: hoc est, legem seruandam, & nondum impletam docerem, præuaricatorem me constituerẽ, seu facerem me à Christo alienum, in quo meam habui iustificationem. Aut si legem, quam abrogatam declaraui, iterum instauro, præuaricator sum. Destruxi, quia Euangelium uenit, & annuntiat tibi remißionem peccatorum per Christum, qui legi satisfecit: ita ut queri non possit, quòd illi quicquàm debeatur: quò fit, ut eam abrogauerit, peccatum & mortem destruxit. In hunc ergo credamus, ut liberi simus à maledicto legis, à tyrannide peccati, & mortis, erimus iusti, & consequemur uitam æternam.*

Ego enim per legem. *Mortuus cũ Christo, qui omnia quæ sunt legis & prophetarum consummauit, mortuus est legi, peccato, & Diabolo, seu ab illis est absolutus, & conuiuificatus est cum Christo, legem spiritalem & gratiæ accipiens: quam qui amplexatur, iam illi sordẽt Sabbatha, Neomeniæ, Dies festi, Victimæ, typica curiositas, fabulæ Iudaicæ, & interminatæ Genealogiæ. Cùm mortua sit lex Mosaica, soluti sumus ab illa, cui Christus pro nobis, qui illam adimplere non poteramus, satisfecit, & adimpleuit. Quid ergo Lex? (quæri potest) cùm nihil illi debeamus, & planè illi sit satisfactum? Hunc tropum latius Roma. 6. prosequitur Apostolus, ubi describit, mulierem uiuam solui à lege mariti mortui. Viuere legi, est esse sub lege, & dominio eius: ut ad*

Mori legi. Viuere legi.

Roma. 7. Lex in homine dominatur, quanto tempore uiuit: sicut seruus quãdiu non redimitur, domino suo uiuit per legem seruitutis, & ius gentium. Mori legi, & liberum fieri à lege: sicut debitor quispiam, cùm mortuus fuerit, liber est ab exactore suo. Ita dum per fidei gratiam facta est in nobis noua creatura, mortui sumus carni, & peccato, & mortui sumus cum Christo, & conuiuificati uiuimus Deo. De his copiosè disputatur à Paulo, eodem uerborum tropo, Mortuos peccato, Viuos iustitiæ appellans, Romanorum 6. & 8. Cùm ergo dicit: Ego per legem mortuus sum legi: suauißima, & consolationis plenißima phrasi, pro suo more, opponit legem legi: sicut & alibi in scripturis, peccatum peccato, mortem morti, captiuitatem captiuitati, altare altari, agnum agno, pascha paschati. Roma. 8. de peccato damnauit peccatum. Ephes. 4. Captiuam duxit captiuitatem. Oseæ 13. Mors ero mors tua. Sic hoc loco dicit se per legem mortuum legi: quasi dicat, Lex Mosi accusat & damnat me, Sed habeo aliam legem, quæ est gratia, & libertas: Hæc me mortuum reddit illi legi Mosaicæ, ita ut nihil illi debeam, nihilq; uitæ ex ea aut accipiam, aut sentiam. Sic mors occidit mortem. Hæc autem mors occidens mortem est ipsa uita.

Vt Deo uiuam Christo confixus sum. *Vt à peccato & morte hac spiritali resurgam uiuificatus, moriendum est cum Christo, & crucifigẽda est caro cum suis uitijs & concupiscentijs. Hanc cùm abnego propter Christum crucifigo, & adhæreo Christo*

Christo. Dices: Quo pacto uiuis, cùm modo te mortuum diceres? Respondet: Lex quidem uel uiuentem me sustulit. Christus uerò, etsi mortuum me exceperit, uitæ reddidit spiritali. Quia cum eo sum baptismi gratia cruci affixus. Aduerte Christi mirabilia. Mortuum uiuificat, & per mortem uitam restituit, 1. Pet. 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus. Credens ego in Christum concrucifigor Christo per fidem uiuam, ut mihi peccatum, Diabolus, & mors, (quæ in Christo dum mortem pateretur crucifixa sunt) non autem in me (qui pro genere humano non morior, sed Christus mortuus est, & resurrexit uiuens ad dextram patris) mortua sint, & crucifixa.

Viuo autem iam non ego. *Quòd dixi me mortuum legi, & Christo concrucifixum: non dico hoc, quasi iam non uiuam: imò uiuo, quia ista morte & crucifixione, qua morior, uiuificor. Hoc est, cùm per gratiam Christi liberor à lege, peccato, & morte, uerè uiuo. Itaque illa crucifixio & mors, qua crucifigor & morior legi, peccato, & omnibus malis, est mihi resurrectio & uita. Christus enim crucifigit Diabolum, occidit mortem, peccatum damnat, & ligat legem. Cùm ergo per charitatem Christo adhæreo, mihi lex surda est, & ego illi: ligata, mortua, & crucifixa est, & ego illi. Ad hunc modum dicam de peccato, Diabolo, & eius asseclis, quibus per gratiam Christi mortuus sum.*

Viuit uerò in me Christus. *Nihil in me geritur, quod non sit pro illius arbitrio gestum: quinimo tanquàm Dominus ille præpotens in me omnia peragit. Aut, non est in me Iustitia, quæ ex lege est, qua præuaricator effectus sum: sed Iustitia Dei, id est, quæ mihi ex Deo est, non ex me. Propterea dixit, Non iam ego: id est, non ex substantia & persona mea est mea uita, sed ex Christo, qui in me uiuit. Ergo ad præsentiã Christi euanescunt lex & peccatum.*

Quod autem nunc uiuo. *Nolim existimetis, cùm auditis dicentem, Viuere, Deo: quòd Christianam uitam oporteat esse extra carnem, & quandiu in hoc corpore mortales & moribundi uiuimus, nos nõ posse uiuere Deo. Hæc uita, qua Deo uiuo, tametsi sit in carne, hoc est, in me, qui adhuc mortalis uiuo: nõ tamen est ex carne, & concupiscentijs: sed est, & cõsistit in fide filij Dei, seu in amore illo interno, quo ego totus cogitabundus amplexor beneficium mortis & resurrectionis Christi. Non ergo insurgãt hærctici, & ex hoc loco nõ accipiant occasionẽ dicendi, Vitam Christianam esse extra carnem, & in religione Angelorum, aut in mirabilibus supra se ambulando: quasi uerò non poßimus hanc uitam Christianam ducere, quandiu in hoc mundo spiramus.*

Qui dilexit me. *Paulus charitate accensus, quod cunctis erat commune proprium facit, quemadmodum & Prophetæ, cùm dicerent, Deus Deus meus. Simul etiam patefacit, haud secus debere singulos Deo gratias agere, ac si pro priuata duntaxat eorum salute mortem obierit.*

Non abijcio gratiam Dei. *Si ad meam iustificationem legis obseruatio sufficiebat, Christus frustra est mortuus, neq; opus erat è cœlo in mundum ueniret, moriturus pro nobis: sed non abijcio gratiam Dei, quam apprehendo tanquàm me iustificantem. Atq; si nemo tam demens est, ut dicat, Christum gratis esse mortuum, non contingit salus ex obseruatione legis Mosaicæ, sed ex Christo. Hucusq; contra Petrum est loquutus Paulus, ait Hieronymus: nunc ad Galatas reuertitur.*

CONCILIATIO.

SPECIEM pugnantiæ habere uidentur hi loci, alter in hoc capite, Viuo iam

non

non ego,uiuit uerò in me Christus:alter Rom. 7. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea,bonum.* RESPONDENDVM *cum Augustino parte 7.libro 6. contra Iulianum Pelagianum cap.11. fol. 774. d. Spiritus semper aduersus carnem,& caro aduersus spiritum.Cognoscamus,ait,uerba pugnantium, si pugnamus . Hoc enim modo non uiuimus,sed uiuit Christus in nobis,si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam,& ad uictoriam usque ad consumptionem eorundem hostiũ capessendam, in illo sidimus,non in nobis.Ipse quippe factus est nobis sapientia à Deo & iustitia & sanctificatio,& redemptio,ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur . Non est ergo contrarium, sicut putas,ut qui dicit,Non ego iam, uiuit uerò in me Christus:dicat etiam , Scio quia non habitat in me,hoc est in carne mea, bonum. Inquantum quippe in illo uiuit Christus , intantum expugnat & superat, quod nõ habet bonum in eius carne,sed malum.Neque enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret aduersus carnem suam,nisi habitaret in illo spiritus Christi.*

Christũ in nobis uiuere.

ADVERSANTVR *inuicem quæ hîc ait Paulus , Quod autem nunc uiuo in carne,in fide uiuo filij Dei.& ad Rom.8.Qui autẽ in carne sunt,Deo placere non possunt.* ALIVD *est,in carne esse : &, In carne uiuere . Qui enim in carne sunt,Deo placere non possunt.unde ad bene uiuentes dicitur Rom.8. Vos autem non estis in carne.Hæc Hieronymus.Esse in carne,quandoq; est uiuere,siue hac aura uitali frui:& hoc nihil uitij in se habet:ad Hebræ.5.Qui in diebus carnis suæ preces,&c. Interdum modum uiuendi in concupiscentijs exprimit,ut est locus ille, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.Quem locum sequentibus explicat Paulus,dicens : Si enim secundum carnem uixeritis,moriemini:si autem spiritu facta carnis mortificaueritis,uiuetis.*

Esse & uiuere in carne non idem.

DICTIO.

Cursus.

CVRSVS *tropo Hebraico significat Christi prædicationẽ.Psal.67.& 147.Velociter currit sermo eius.Vnde Paulus hoc loco suũ officiũ,seu munus prædicandi,Cursum uocat.Et uulgare est in scriptura , opus prædicationis Euangelicæ uocari cursum,* 2.ad Timoth.4. *Bonum certamen certaui,cursum consummaui:Hinc uerbi præcones Pedes Christi uocantur,quòd per illos ad hominum notitiam ambulet Christus.Accipitur pro conuersari,seu uiuere:quia uita credentium nihil aliud est, quàm cursus quidam,ut* 1.Corinth.9. *An nescitis quòd qui in stadio currunt,omnes quidem currunt.ad Hebr.12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem* IESVM *Christum.Psal.58.Sine iniquitate cucurri & direxi:id est,uixi cum eis absque dolo,& rectè prædicaui.& Ephes.4.1.Petri 2.& ad Galat.5. Currebatis bene:id est,Ducebatis bonam,id est,Christianam uitam. Quare currere,est festinare,ardere in fide,& charitate.Psal.18. Exultauit ut gigas ad currendam uiam.& 1.Corinth.10.Sic currite,ut comprehendatis.*

Pedes Christi dicuntur Apostoli.

Cephas.

TRITVM, *& uulgare est , quòd Cephe , autore Hieronymo , Hebræum , imò Syrum,idemsit quod Petrus , seu Petra Græcè : Saxum uel Soliditas Latinè. Cephale*

Cephale.

κεφαλὴ *Græcum,caput significat,non Cephe Syrum.*

Veritas Euangelij.

VERITAS *Euangelij,hoc loco,non pro ipsa sententia Euangelij,sed pro uero usu Euangelij accipi uidetur. Quia Euangelium semper uerum est, usus autem eius simulatione non rarò subuertitur.*

Non operibus legis,sed fide in Christum iustificatur homo.

CAP. III.

O *insensati*

Insensati] stulti Proscript⁹ est,] Prescript⁹ fuit, uel , ante fuit depictus, In uobis] Inter uos Auditu] Vel, prædicatione Sine causa?] Frustra? & infrà. Prouidens] Præuidens Prænuntiauit] Prius rem lætã nuntiauit Sub maledicto sunt.] Execrationi sunt obnoxij. & infra.

O Insensati Galatæ, quis uos fascinauit , non obedire ueritati,ante quorum oculos IESVS Christus proscriptus est, & in uobis crucifixus? Hoc solum à uobis uolo discere, Ex operibus legis spiritum accepistis,an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis,nunc carne cõsummemini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tribuit uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis : ex operibus legis,an ex auditu fidei? Sicut scriptũ est : Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo , quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura , quia ex fide iustificat gentes Deus,prænuntiauit Abrahæ , Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.Quicunq; enim ex operibus legis sunt , sub maledicto sunt . Scriptum est enim:Maledictus omnis, qui nõ permanserit in omnibus,quæ scripta sunt in libro legis , ut faciat ea. Quòd autem in lege nemo iustificatur apud Deum , manifestum est:Quia iustus ex fide uiuit. Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo,uiuet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis , factus pro nobis maledictum,(quia scriptũ est,Maledictus omnis qui pendet in ligno) ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo IESV, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

Genes. 15.b Rom.4.a Iacob.2.d

Iustitia ex fide.

Genes.12.a Eccles.44.d

Maledicti. Deuter.27.d

Abac.2.a Rom.1.b Leuit.18.a

Christus liberat de maledicto. Deuter.21.d

O insensati Galatæ. *Hæc epistola ostendit,& manifestat, Paulum multo,& pio zelo ductum erga Galatas.modò exhortatur,statim obiurgat,blanditur aliquãdo, suadet,repetit,nihil non tentat,pro apostolica consuetudine.Cùm uiderit illos lege,& non fide,sanctitatem quæsiuisse , insensatos uocat, illos pulsans (ait Hieronymus) à regionis suæ proprietate,sicut ad Titum,Cretenses mendaces,& alias gentes alijs uitijs notat.Aut insensatos uocat:quia relictis sanctioribus,& maioribus,ad elementa, & minora redeunt:quasi ducantur à pædagogo, & repuerascere uideantur. Quod manifestat uerbum,Fascinauit.Pueris enim,& ætati paruulæ (ait Hieronymus) fascinum nocet.Est autẽ fascinare,aspectu malefico lædere:ut in Vergilio, Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.Hoc utrũ uerũ sit,nec ne, Deus uiderit, ait Hieronymus. Quia potest fieri,ut huic peccato Dæmones seruiant. A quibusdam hic morbus uulgò dicitur,le mal de uauldoizerie:quo uidentur infantes tabescere,macrescere,ac miserè torqueri:aliquãdo incessanter clamare,ac flere.Cui morbo nescio quibus literis.& superstitionibus tentant occurrere.Creditum est enim ab inuidis illis & maleficis uetulis , si cui formosulum infantulum matri inuideant,talia fieri.Vnde & uerbum Græcum huic correspondẽs,non tantum fascinare, sed & inuidere quoq; significat, autore & interprete*

Insensati Galatæ.

Fascino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prete Hieronymo. Ita & Galatæ cùm essent in Christo quasi modo geniti infantes, & feliciter crescerent, à pseudapostolis fascinatibus sunt læsi, & ad legis macredinẽ, imò miseriam tabescentes reducti. Nam quemadmodum diros figit in infantẽ oculos, donec noceat: ita pestilens doctor figit oculum suum nequam, id est sapientiam suam impiam, in simplices animas, donec in eis meram & germanam intelligentiam corrũpat. Quæris, An Apostolus hoc loco credendus sit approbare, Fascinũ esse aliquid. Beatus Hieronymus putat, beatum Paulum fuisse ex sermone triuij, & opinione uulgi loquutum: non quòd fascinum esse scierit. Quo modo & nonnulla alia ex gentilium fabulis in scriptura assumi uidentur: ut uallis Titanorũ 2. Reg. 23. Syrenæ, & Onocentauri, Esa. 34. Arcturus, Orion, Pleiades, Iob 9. cap. & cætera his similia: quæ utiq; uocabula gẽtiliũ fabularũ & causas & origines habent. Dici potest, maleficas illas, opera dæmonũ Deo permittente, uere infantulis nocere posse, in pœnam infidelium & in probationẽ fidelium: cùm & multa alia, ut euidens est experientia, noceãt tam corporibus hominum, quàm pecorum, & huiusmodi. Cauendum maximè ab huiusmodi mulierc ularum maleficarũ & consilio, & opera, quibus non aliter, quàm fretæ dæmonis pacto, utuntur.

Proscriptus. **Ante quorum oculos.** Quem proscriptum hoc est (ait Hieronymus) nõ modò Apostolorum prædicationibus, sed etiam Prophetarũ scripturis, antè dictis & scriptis, didicistis, & cognouistis: miror quomodo ab illo deficientes, iterum legem & seruitutem acceperitis. Imò in uobis crucifixus est, hoc est, ignominiosè à uobis tractatus est. Aut, ut Ambrosio placet, Proscriptus, id est, eiectus, damnatus, & exul factus à uobis, qui opera legis amplexamini. More iurisperitorum de proscriptione loquitur. Beatus Augustinus non Proscriptus, sed Præscriptus legit. Et sicut possessio amittitur per alterius præscriptionem, ita Christus amiserit Galatas hac præscriptione, qua occupati fuerunt à pseudapostolis. Quidam interpretantur Præscriptum, id est, antepositum: ueluti in tabula quadã, & pictura depictum ob oculos, ut manifestissimè cognoscerẽt. Et tamen nunc fascinati, & illusi eum non agnoscunt. Nanq; solent qui incantamentis & præstigijs capti sunt, etiam quæ ob oculos ponuntur, non uidere.

Auditus fidei. **Ex auditu fidei.** Id est, ex fidei obedientia, aut ex sermone qui auditur: ut sit Auditus fidei, id quod uerbum fidei auditum, per quam ex gẽtibus crediderant, Act. 10. Adhuc loquẽte Petro uerba hæc cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebãt uerbum. Sic Esaiæ 53. Domine quis credidit auditui nostro? Et Abac. 3. Domine audiui auditionem tuam, & timui. Frequens est hic tropus scripturæ, Hierem. 49. Abdiæ 1. Auditum audiuimus à Domino.

Carne consummari. Quid carne intelligitur. **Nunc carne consummamini.** Qui scripturas iuxta literam sequitur, carne cõsummatur. Carnẽ intelligit id omne esse, quod extra gratiã & spiritũ Christi est. Certũ enim est, Galatas dictos cõsummari, quòd opera legis, & iustitiã relicta fide quærerẽt. Quod ex fide nõ est, caro est: atq; quod operatore fidei spiritu fit, spiritale est.

Tanta passi estis sine causa. Perseuerat reuocare Galatas à legis obseruatione, argumento à damno, & facultatum perditione petito. Cõsiderate, quid incõmodi uobis afferat reditus uester ad legem. Maximã feci stis iacturã, & sine fructu & laude tulistis hactenus carceres, contumelias, et bonorũ direptiones propter Christum (in quo sanctè uiuebatis) si fides in Christum iustificare non potest, nisi ad circuncisionis subsidia recurratis. Si ergo legi debetur Iustitia, nullum fructũ cõsequemini ex opprobrijs quæ propter Christum ab Ethnicis toleraſtis. Frustraneus & uanus fuit pius ille uester labor, si nunc ad legem defeceritis. Correctione quadam mitigat duram illã ob-

iurgat

urgationem his uerbis: Si tamen sine causa. Quasi dicat, Non omnino abieci spem de uobis: Est uobis resumenda spes, recipiscite. Aut, Si tamen sine causa: ac si diceret: Sed absit, ut frustra pertuleritis illa: absit, ut aliunde petatis iustitiam, quàm à fide uiua, cuius causa etiam uitam uestram maxima cum laude & fructu amplissimo toties coniecistis in discrimen. Obserua: ea est immensa Dei bonitas, ut nolit perdas gratiam peccato amissam, si à peccato resurgis, & ad pristinam fidẽ & ad antiquum studiũ redieris.

A peccato resurgens redit ad pristinam gratiam.

Qui ergo tribuit. Tribuit: id est, administrat, ait Hieronymus. Præsentis temporis, est legendum, ut ostendatur, per singulas horas, atque momenta, semper dignis Spiritum sanctum ministrari: & quantò quis in opere & amore profecerit, tantò magis Spiritus sancti in se habere uirtutes dignoscatur. hæc ille. Prius solum spiritum acceptum opposuit, nunc illos fortissimè stringẽs, Adducit operationes uirtutum, hoc est, miracula, quæ non poterant asserere sese operatos prius ex operibus legis, sed solùm ex recepto spiritu sancto.

Tribuere.

Operationes uirtutum.

Sicut scriptum est. Hactenus Paulus argumentatus est ab experientia, nũc ab exemplo Abrahæ reuocat Galatas à lege. Hoc exemplum & argumentum latè prosequitur Roma. 4. Credidit Abraham Deo, exiens de patria sua in terram quã nesciebat: Saram nonagenariam, & sterilem, confidens esse parituram: & audita repromissione Dei, quòd in Isaac uocaretur semen eius, ipsum Isaac offerens uictimam: in omnibus his non hæsitauit diffidentia. Huic fides reputata est ad iustitiam, & iustificatus est non ex lege, nondum enim erat: sed Fide illa, qua uel montes trnsferuntur, & Deo uiuitur. Quare sapienter à Propheta dictum est, Iustus ex fide uiuit. Non dixit, Ex lege: sed, Fide.

Abrahæ fides.

Cognoscite ergo. Occupatio est: Recedamus, aiunt, à generis propinquitate Abrahæ, si à lege defecerimus: uolumus certè fieri Abrahæ filij, in cuius semine oportet omnes saluos fieri. Longè aliter res habet, ait Paulus: Cùm Fides uidelicet Abrahæ potius filios reddat, quàm Cognatio. Quæ fit, ut pater Credentium, non legis, & ceremoniarum dicatur. Tum ante legem multi eius filij erãt: ergo nõ designãtur filij Abrahæ per Legem, sed per Fidem & imitationem qua patrem credentes referant.

Scriptura pro spiritu in illa.

Prouidens autem scriptura. Non hic scripturam intelligit membranas illas, & atramentum, quæ nihil præcognoscũt: sed Spiritum sanctum, qui in litera latet: hoc est, Spiritus in scriptura longè antè uidens: seu, hic spiritus multis post seculis futura prædixit, quòd gentes nõ sint iustificãdæ lege, sed benedictione seminis Abrahæ.

In te benedicentur omnes gentes. In te: id est, in semine tuo, qui est Christus, benedicẽtur omnes gẽtes. Puderet certè dicere in Isaac, aut Iacob, & cæteris patriarchis de stirpe Abrahæ, benedictas omnes gentes, imò ne in ipso quidẽ Abraham, sed in Christo Abrahæ & Dauidis filio. Multi ante Abraham fidẽ habuisse & credidisse credũtur. Sed ob egregiam & singularem Abrahæ fidẽ in Deũ, primus in Deum credidisse narratur, et fidelis passim in scripturis nũcupatur. Dixit enim Deus Abrahæ Genes. 15. Aspice in cœlum, & numera stellas, si poteris dinumerare eas. Et ait illi, Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & reputatũ est ei ad iustitiã. Ergo tametsi de carne Abrahæ, neq; simus, neq; descẽderimus nos, si credimus in semen Abrahæ hoc est Christum, filij Abrahæ designamur, & promissionis filij sumus.

Abraham cur primus in deũ credidisse narratur.

Filij Abrahæ.

Igitur qui ex fide. Cum Abraham neq; lege neq; circuncisione, sed uiua fide iustificatus est, & benedictionem percepit, necesse est quòd nũc simili & eadem fide benedictionem & iustificationem consequamur.

Quicunq; enim ex operibus. *Docuit Paulus fide nos cõsequutos esse gratiam,& benedictionẽ,cum fideli Abraham.Ergo qui operibus legis nituntur, non benedictionẽ,sed maledictionem cõsequuntur.Sub maledicto sunt, qui ex operibus legis cõstant:propter tantam præceptorum congeriem transgressores cõstituebantur. Erat enim lex mirum in modũ difficilis,dicẽte Petro Act. 15. Quid tentatis imponere iugũ, quod neq; nos,neq; patres nostri portare potuimus?Ergo qui illis innititur,sub maledictione est.Ab hac maledictione liberauit nos Christus,factus maledictũ & peccatũ, id est hostia,pro maledicto & peccato,satisfaciẽs legi,ita ut cõqueri amplius nõ possit. Quare à maledicto liberati per Christũ,nihil legi debemus. Est ergo quærendũ, quod à iustificatore statutũ est,ut benedictionẽ & iustificationẽ cõsequamur:id certe est Fides in Christum. Ephes.1.Credẽtes signati estis spiritu promissionis sancto.Ioan.3. Vt omnis,qui credit in eum,nõ pereat,sed habeat uitã æternam. Qui credit in eũ, non iudicatur.Qui autem non credit,iam iudicatus est,quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.Ioã.5.Qui credit in me,habet uitam æternã.Theophylactus hunc in modũ interpretatur,Paulus legẽ adstruit peccati causam esse,& maledicti.Nemo enim,inquit, facere potest,quæ sunt in lege conscripta. Qui uerò ea non fecerit, execrationi erit obnoxius.Fidei ergo,& non Legis erit officium,benedictionem hanc impartiri.**

Maledictus omnis. *Quasi diceret, Nullus hominum hæc faciet, quæ scripta sunt:ideo omnes erant maledicti,egẽtes redemptore Christo.Sub maledicto esse:id est, maledicto obnoxium esse,quia legem non perficit.In lege:id est,per legis opera.*

Viuet in illis. *Quia legis transgressores,mortis damnabantur:quam nõ incurrebant,qui legis præcepta seruarent.Non de hac uita loquitur scriptura, sed spirituali, cùm dicit,Iustus ex fide uiuit.Cum dicitur Lex non est Fide:id est non est fides:aut,ut August.ait,Legem hic posuit pro operibus legis.*

Christus dicitur maledictum & peccatum, quo modo intelligitur.

Factus pro nobis maledictum. *Tropus est: Christus dici,& fieri uoluit pro nobis tum maledictum,tum peccatum:non quòd aliquid dignum maledicto,& peccato admiserit:sed quòd nostram in se maledictionem,& nostra in se portauit peccata: ut est 2. Corinth.5.Eum qui non nouerat peccatum,pro nobis fecit peccatum,ut iustitia Dei efficeremur in ipso:hoc est quod hîc ait,ut benedictio Abrahæ fieret in gentibus in Christo IESV:id est,ut per Christum gentes benedictionem sibi in Abrahamo promissam perciperent.Vt & nos promissum Spiritum sanctum accipiamus per fidem.Obseruabis ex his Pauli tropis,*

Christus factus pro nobis omnia,

Pro nobis factus maledictum,			In eo benediceremur.
Mortuus pro nobis,			In eo uiueremus.
Factus est pro nobis peccatum,			Essemus iustitia Dei in illo.
Factus est pro nobis Confusus,			Nos Gloria fieremus in illo.
Fixit cruci chirographum delicti,			Essemus à delicto & debito absoluti.
Descendit ad inferos,	Christus.	Vt	Nos ascenderemus ad cœlum.
Factus est pro nobis Stultitia,			Nos Sapientia fieremus.
Se exinaniuit,			In nobis abundaret plenitudo diuinitatis.
Formam serui accepit,			Domini è serui fieremus.
Ille pependit in ligno,			Peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ boni & mali, ligno appensus deleret.
Omnia pro nobis factus,			Omnia fieremus in illo.

Secundum hominem]uel,humano more loquor

Spernit,] reijcit,

Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis Hebr.9.d
confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.Abrahæ dictæ sunt promissiones,& semini eius. Semen Abrahæ Christus.
Non dicit, seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno,& semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Pactum Dei.

Confirmatum] antè comprobatum

Ad euacuandã] ut abroget

testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas,iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? propter transgressionem posita est, donec ueniret semen, Lex.

In manu]in uirtute & potestate Christi.

cui promiserat: ordinata per angelos in manu mediatoris.Mediator autem unius nõ est, Deus autem unus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data est lex quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. Prius autem quàm ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi,in eam fidem,quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides,iam non sumus sub pædagogo.Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo IESV.Quicunque enim in Christo baptizati estis,Christum induistis.Non est Iudæus,neq; Græcus:non est seruus,neque liber: non est masculus,neq; fœmina: Omnes enim uos unum estis in Christo IESV. Si autem uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

Fratres,secundum hominẽ. *Quos prius Insensatos dixerat,nunc Fratres appellat. Secundum hominem dico:id est, sum uobis nunc humanum aliquod exemplar allaturus.Huiusmodi similitudines plurimum conferunt in discendo Christo.* Secundum hominem loqui.

Tamen hominis testamentum. *Si iustificaremur ex lege,& in ea nostrã quæreremus iustitiã,superordinaretur aliquid testamẽto Dei,& promissioni, quæ ante legem facta est ipsi Abrahæ,Genes.21.Quæ etiã iureiurando confirmata est, Genes.23. Per memetipsum iuraui,dicit Dominus:Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.Cùm igitur hominis testamentum nemo infirmare possit,nec illi quippiam adijcere:* Testamẽto nihil superordinandum.
multo minus testamentum hoc, id est, promissio Abrahæ facta, irritari potest, & antiquari,aut illi quippiam adijci. Lex ergo quæ cccccxxx. annis post testamentum datum & confirmatum data est,non irritam faciet promissionem:hoc est, promissam per Christum benedictionem. In omni testamento est testator, & cui fit testamentum: est ipsum Testamentum, est res quæ testatur, seu legatur: Ita hîc, Deus est testator, ipse enim promittit, & legat: Abraham & semen eius sunt, quibus fit testatio,

ut hæredibus Dei testatoris. Testamentum est ipsa promissio, Genes. 21. Et 17. Res testata est ipsa hæreditis: id est, Gratia, & Iustitia fidei, scilicet Benedictio gentium in semine Abrahæ. Ex his apertissimum est, cùm sufficiat gratia, & testamentum Dei firmum est, iustitiã legis non esse quærendam. Obiter dixerim, Promissiones Dei Abrahæ dictas de Christo benedictore futuro omnium gentium, appellat testamentum: ideo promissio est testamentum nondum reuelatum, sed adhuc obsignatum. Testamentum autem non est lex, sed donatio. Hæredes enim non legis exactionem, aut grauamen aliquod, sed hæreditatem ex testamento expectant.

In semine tuo. Id est, in Christo, ne Iudæi se esse iactarent, in quibus gentes benedicerentur. Vnum semen, non multa semina dicit, ut unitas populi Dei designetur, ad sectas prohibendas.

Hoc autem dico. Id est, quod intendebam, quod animo concipiebam, edico, & meipsum explico.

Quæ post quadringentos. Supputandi in hoc loco anni (ait Hieronymus) ab eo tempore, quo Dominus ad Abraham loquutus est, dicens, Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, usq; ad legislatorem Moysen: utrum quadringẽti triginta sint: uel quomodo in Genesi ipsi Abrahæ Dominus polliceatur, quòd post quadringentos annos de terra seruitutis filij eius exituri sint, non parua res est, & à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta hactenus ille. Quàm hic numerus à Paulo dictus, rectè consentiat cum narratione Geneseos, acutè diuus Augustinus lib. de ciuitate Dei 16. ca. 24. disserit. Potest supputatio hæc in hunc modum enarrari: Abraham LXXV. anno egressus est de terra sua, Genes. 11. Centenarius autem genuit Isaac, Genes. 17. Putas ne centenario nascetur filius? (sic habes XXV. annos) Isaac sexagenarius genuit Iacob & Esau, Genes. 21. (signa LX. annos) Iacob nonagenarius genuit Ioseph (scribito XC. annos) ut ex Genesi per multa capita colligitur. Ioseph uixit CX. annos, Genesis ultimo. Post hunc durauit seruitus Aegypti LXV. annos, ut Ioannes Annius ex Philone dicit, tunc Moyses natus, cuius anno LXXX. exierunt filij Israël. Igitur à LXXV. anno Abrahæ ad LXXX. annum Moysi, sunt CCCCXXX.

25 60 90 110 65 80 430

Abrahæ per repromissionem. Repromissionem, quæ ex liberali animo, & gratia procedit, operibus legis Mosaicæ frequenter Paulus opponit. Qui hoc loco, sicut & alijs scripturæ locis Promissiones uocat Testamentum, quo satis obscurè mortem Christi denotat. Nam Hebræor. 9. Testamentum in mortuis confirmatur. Ergo Dei testamentum, seu promissiones, non prius confirmatæ sunt, quàm Deus moreretur, doctore Paulo eodem loco, Idcirco noui testamenti mediator est, ut morte intercedente repromissionem accipiant. Facilè ex hoc loco agnoscere possumus, promissiones donari à Deo, non lege, sed morte Christi. Quem Abraham in promissione sibi à Deo facta cognouit, & gauisus est.

Promissio. Christi mors promissionum seu testamenti confirmatio.

Quid igitur lex? Hoc est, Quid proderat lex, si benedictionem non conferebat? In custodiã, non autem in subuersionem repromissionis data est, & ut ita dicam (ait Hieronymus) in carcerem data est, ut quia per arbitrij libertatem noluerant innocentes expectare promissum, legalibus uinculis præpediti, & in seruitutem mandatorum redacti, custodirentur in aduentum futuræ in Christo fidei, quæ finem repromissionis afferret. Quapropter non existimes, scripturam esse causam peccati, sed quæ ostendit, & arguit peccatum: quod non aufert, quin potius per eam augeri contingit. Lex ergo propter transgressionem posita est: hoc est, coërcet peccata & transgressionem. Coërcio non

Lex in custodiam data.

non est iustificatio, sed prohibitio, ne peccem, & ostensio iniustitiæ. Quemadmodum si renti & indomitæ bestiæ iniicitur uinculum, ne sæuiat in quæque sibi obuia: ita lex insanum, & furentem hominem coërcet, ne pro libidine peccet. Intellectus, & usus legis est, coërcere impios. Ideò Deus ordinauit magistratus, parentes, præceptores, leges, uincula, & ordinationes ciuiles, ut malorum manus impediant & reuinciant, ne sæuiant. Est & usus legis theologicus siue spiritualis, qui est (ut Paulus ait) augere transgressiones: hoc est, reuelare homini suum peccatum, cæcitatem, miseriam, impietatem ignorantiam, & huiusmodi.

In manu mediatoris. Modico, breuiq; sermone ardua mysteria in memoriam reducit, per occultam antithesim opponens legi Euangelium: & hoc illi præferens. Ad legis promulgationem, (ut hoc loco ait Paulus, & Stephanus Act. 7.) Angelorũ ministerio, & puro homine est usus: At Euangelium nobis annuntiatum per Iesum, Deum & hominem: Hebræorum 1. cap. Multò ergo excellentius est Euangelium lege. Præterea ait Paulus, Lex ordinata est in manu, id est uirtute, & potestate mediatoris, id est Christi, qui solus est legis perfectio, qui solus eam impleuit, qui solus illi satisfecit, imo ne Moyses quidem. At ne de Moyse intelligamus, manum mediatoris, potentiam, & uirtutem Christi (ut tradit diuus Hieronymus) intelligere debemus. Mediator unius non est, sed duorum: utputa, & offensi, & offendentis. Quia uox Mediatoris proprie significat eum, qui mediatorem agit inter offensum & offendentem. Nos sumus offendẽtes, Deus cum lege sua est offensus. Deus natura unus est, à seipso dissidere nõ potest. Quia ergo Deus sanctus est, & nos profani sumus: & lex sancta est, & bona, nos uerò corrupti, & sub peccatum uẽditi sumus: apertissimum est, ex lege declaratrice dissidium esse inter Deum & homines. Vnde cùm in monte Sina daretur lex, non potuerunt Israëlitæ audire legem, aut Deum Moysi loquentem, mediatoris opem implorabant, Moses pro tempore datus est: non quòd uerus esset mediator, sed quòd typum ueri mediatoris gereret. Nam æquum est mediatorẽ inter Deum & homines utriusq; naturæ esse participem, utrisque partibus appositum & coæqualem. Talis non erat Moses: ergo nec idoneus, nec uerus mediator. Sed cùm Deus unus sit, & natura Dei indiuisa, nõ est mediator constitutus, nisi ipse Deus ille unicus hominem indueret. Deus ergo factus homo, utriusq; naturæ particeps est: quia Deus, & quia uerus homo, serui formam induit, & similis nobis factus absq; peccato. Est ergo idoneus mediator Christus IESVS, qui interposuit sese mediatorem inter diuersissimos, & disiunctissimos, & illos conciliauit. Quomodo? Deleuit (ut Paulus ad Colos. 2. ait) quod aduersus nos erat chirographum, quod per decreta, id est legẽ aduersabatur nobis, & sustulit illud è medio, affixum cruci, expoliatosq; principatus ac potestates ostentauit palàm, triumphans de illis per semetipsum. Et ad Ephes. 2. Nunc autem in Christo IESV uos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans: ut duos condat in semetipso in unum nouum hominem, faciens pacem ut reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Ideo non est unius mediator, sed duorum maximè inter se discordantium. Mediatore, qui nos Deo reconciliet, est opus: hoc non potest lex. Non ergo mediatorẽ Christum reiiciatis, sed hunc suscipite, cuius gratia salui estis, & non lege. Atq; agnoscamus nos adeò peccatores esse, ut legi non posse facere satis, intrepidè fateamur. Lex in manu nostra non erat posita, ut illam impleremus, sed in futuri Christi ueri me-

diatoris eam impleturi. Quare non ut iustificaret posita & addita est, sed ut manum mediatoris requireret. Hieronymus ordinem sermonis confusum ad hunc restituit modum: Lex posita est per Angelos in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per Angelos, donec ueniret semen, cui repromissum erat.

Promissio benedictionis nõ innititur legi.

Lex ergo aduersus promissa. Si lex benedictionẽ adferret, & iustificaret, aduersaretur promissioni, & testamento Dei, qui promisit, Quòd in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes, & non in lege, seu per legem. Promissio benedictionis non innititur legi, neq; nostris iustitijs, sed soli ueritati promittentis: ergo lex non est aduersus promissa Dei, sed pro promissis Dei. Ostendit enim, neminem iustificari per eam, imò potius peccatum augeri occasione accepta.

Sed concluſit ſcriptura. Quẽadmodum iudex non est autor sceleris, uinciendo homines nequam, & pessimos, sed concludit eos, & nocentes sententiæ suæ autoritate pronuntiat: ita lex uinxit, & concluſit omnes sub peccato, & sua autoritate declarat nos reos mortis, ob id indigemus gratia. Et quemadmodum à iudice concluſos, & condemnatos Princeps abſoluit, si uult: ita & à lege concluſos, & peccatores pronuntiatos, princeps pacis IESVS abſoluit. Vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. 1. Timoth. 2. Hanc eandem sententiam Apostolus scripsit Roma. 3. Cõcluſit Deus omnes sub peccato, ut omniũ misereatur, & subditus fiat mundus Deo. Quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo, propterea audacter causatur eodem capite, Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse. Sed August. illud Prouerbiorum ultimo tractans de spiritu & litera 9. Lex & clementia in lingua eius: præclarissimè dicit, Propterea de Sapiẽtia scriptum est, quòd gerat legem & clementiam in lingua: legem, ut reos faciat superbos: & clementiã, ut iustificet humiliatos. Rogabis: Vbi scriptura concluſit omnia sub peccato? Primùm in ipsis promissionibus de Christo. Geneſ. 3. Semen mulieris conteret caput serpentis, & Geneſ. 22. In semine tuo benedicẽtur omnes gentes. Vbiubi ergo in scripturis est promissio de Christo patribus facta, ibi promittitur benedictio, hoc est iustitia, salus, et uita æterna. Ergo per contrarium ostenditur eos, qui benedicendi sunt, subiectos esse maledictioni, hoc est peccato, & æternæ damnationi: alioqui quid opus esset promittere benedictionem?

Vt promiſsio ex fide. Docuit scripturam omnia concluſisse sub peccato. Rogabis: Num in æternum? Respondet Paulus, Non: sed donec daretur promissio. Rogabis: Quæ est illa promissio? Est certè hæreditas illa, seu benedictio promissa Abrahæ: hoc est, liberatio à lege, peccato, morte, & diabolo. Et donatio gratiæ, Iustitiæ, salutis, & uitæ æternæ. hæc promissio gratuita est, neque lege, neque operibus nostris hæc impetratur: sed Dei misericordia donatur. Quibus? credentibus. In quem? In IESVM Christum, qui est semen benedictum, quod credentes à maledicto redemit, ut acciperent benedictionem.

Sub lege cuſtodiebamur. Lex ipsa erat quidam carcer, in quo clausi erant Iudæi ne uagarẽtur, transgressione offendentes. Sed Christus ab illo Iudæos liberauit, frangens, & aperiens carcerẽ morte sua. Mortuus enim est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Tenebãtur, inquam, concluſi in eam fidem: id est, usq; ad fidem futuram, seu in hoc, ut fide futura liberarentur. Quæ fides reuelanda erat per Christum. Priusquàm ueniret fides, hoc est, Christus & Euangelium.

Pædagogus.

Itaq; lex pædagogus. Pædadogus à puero & ago nomen habet. Cùm is non sit pater, alienum ductat puerum, ab eo recessurus, cùm ad legitimũ hæreditatis capiendæ temp

dæ tempus ille aduenerit. Paruulo interim aſsignatur, ut laſciuiẽs refræuetur ætas, & pronus in uitia animus retineatur, dum teuera studijs eruditur infantia, & ad maiores philoſophiæ ac regendæ reipublicæ disciplinas, metu pœnæ coërcita, præparatur. ita & lex Moysi populo laſciuienti ad instar pædagogi seuerioris apposita est, ut custodirct illum, & futuræ fidei præpararet. Quæ postquam uenit, & credidimus in Christum, iam non sumus sub pædagogo: Tutor à nobis curatorq; discedunt, & legitimum ætatis tempus incuntes ueri Dei filij nominamur, cui nos generat non lex abolita, sed mater fides, quæ est in Christo IESV. Caue in hunc modum cõtextum acceperis: Lex pædagogus noster fuit in Christo, quaſi uiuentibus in Christo lex pædagogus noster sit. Sed sic accipito: Sicut pueri sunt sub pædagogo ad hæreditatem, id est, quòd hæreditatem pertingant: ita lex est noster pædagogus in Christo, id est ad Christum, id est ut per legem acti & exerciti ad Christum, ad fidem, ad hæreditatẽ quærendam & suspirandam paremur. Et hoc indicant sequentia, ut ex fide iustificemur. Lex reuera ad gratiam præparat, dum reuelat peccatum, & humiliat superbos ad Christum deſyderandum, in quo solo iustificamur. Vt ex fide, id est fiducia certa, qua apprehendimus Christum, & ei adhæremus (qui est finis legis) iustificemur.

Filij Dei per fidem in Christum deſignati.

Omnes enim filij Dei eſtis. Qui fidunt, & credunt in Christum, moriuntur cum Christo: & simul resurgunt: hoc est, effectus oblationis Christi operatur in tali credente, imò locum crucis Christi tenet fiducia illa, cuius uis à Christo est, condonante illi peccatum. Quò fit, ut non modò à peccato sit absolutus, sed & resurrectionis beneficium consequatur: hoc est, remissum est peccatum, & gratia ac iustificatio illi conceditur. non est ergo carnis sed Dei filius. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Baptiſmus eſt loco paſsionis Chriſti.

Quicunq; enim in Chriſto. Baptismus est loco passionis Christi, qui loco nostro, seu pro nobis mortuus est. Qui ergo baptizantur cum Christo, mori dicuntur, simul & cum illo resurgere. Quare uirtus satisfactionis pro peccato illos induens, & superuestiens, reddit Christo assimiles. Fit igitur ut cùm ille sit Dei filius, & hi hoc uestimento superuestiti & induti sint filij Dei. Sed ille natura, hi uerò gratia & adoptione. Eodem tropo Paulus est usus Roma. 13. Et Epheſ. 4. Christum induere instar uestimenti est. Quemadmodum enim corporis maculam uestis operit, & hac detracta apparet macula: ita & Christo in nobis, & operiente nos, non apparent sordes, & non imputantur peccata & maculæ. Sed Christo per peccatum ablato, apparemus pannus menstruatæ, & maculis pleni.

Chriſtũ superueſtiẽtes sumus filij Dei.

Simile.

Homiuũ distinctio non persona, sed fide & merito.

Non eſt Iudæus quiſquã. Vna est fides, quã diuersæ personæ amplexantes unum sunt in fide. Quare apud Deum nulla personarũ discretio, nisi morũ & uitæ, ut unius fidei homines, meritis distinguãtur, non personis. Fit igitur, ut non dicaris iustus, quia Rex, aut Princeps, aut legis Mosaicæ obseruator, aut quia Papa, Episcopus, aut Curio, aut Græcus, aut Latinus: sed quia in Christum credens, Christum induisti.

Omnes enim uos unum. Neceſsitas huius uitæ corporeæ facit necesse sit in diuersas personas sciuncti simus, ut unus dicatur Sacerdos, alius Princeps, alius Mercator, & huiusmodi. Tamen sicut multis membris conflatur unum corpus sub uno capite, ita & multi una fide coniuncti, unum sumus corpus sub Christo capite nostro, à quo solo pendemus omnes.

Abrahæ semen nos ſumus in Chriſto.

Si ergo uos Chriſti. Quia per baptismum & fidem, Christum induimus, & suprà ostensum est, Christum esse semen Abrahæ, cui factæ sunt promissiones. Nos ergo

in Christo sumus semen Abrahæ,& hæredes designati in Christo. Christus hæres est, & caput est nostrũ:nos uerò sumus membra & unum corpus:quî fieri poterit,separemur à capite? Cùm ergo simus unum cum illo,& per Christum,& in Christo facta est hæreditatis promissio,sit ut in illo hæredes non secundum carnẽ,sed secundum promissionem simus.Frustra ergo quæritur hæreditas in lege & eius obseruantia.

CONCILIATIO.

CVM hìc Paulus dicat,fidem nõ esse nisi ex auditu:quomodo qui surdi sunt,possunt fieri Christiani? Quãdo Roma.10.dicit: Quomodo audiẽt sine prædicãte? Quomodo credent quem non audierunt ? Et ut habet illhic gradatio Apostoli. Primùm est mitti,deinde prædicari,tum audire,tum credere, tum inuocare,& sic salutẽ consequi. REVERA uerbo Dei (ait Hierony.) nihil est surdum, & ad eas loquitur aures, de quibus & ipse ait in Euangelio Luc.8.Qui habet aures audiẽdi,audiat. Apoc.2. Qui habet aurẽ,audiat quid spiritus dicat ecclesijs. Esa.6.Dominus addidit mihi auriculã. Iste est alius homo,cui Deus loquitur in occulto,qui clamat in aure credentis,Abba pater.Et sicut corpus omnia membra & sensus habet,ita anima uniuersos sensus et membra habet, & inter cætera aures etiam, quas qui habuerit, non magnopere indigebit ijs auribus corporis ad Christi Euangelium cognoscendum.hæc ex Hieronymo.

PAVLVS allegans,& producens ueteris instrumenti testimonium, Maledictus omnis qui pendet in ligno: aliter atque illhic legitur pronuntiat.Fit igitur pugnantia quædam quæ ansam detrahendi Paulino honori præbeat. MIHI uidentur,ait Hieronymus,aut ueteres Hebræorum libri aliter habuisse,quàm nunc habent:aut Apostolum sensum scripturarum posuisse, non uerba. Curauit Paulus frequentius sensum ipsum nobis explicare,quàm propria uerba recitare.

DICTIO.

Oculus. OCVLVS tropo sacræ scripturæ,ut Luc.11.doctrinã, cognitionẽ,etiam ipsum doctorẽ significat:ut Iob 31.Oculus fui cæco.Et,Si oculus scandalizat te,&c. Hi sunt, quos scriptura dolosos,illusores,mentiumq; deceptores uocat,Psal.1.& Prouerb.3.

Fascinare. FASCINARE dicũtur Latinis,qui aspectu maleficio lædunt. Verbũ Græcum, quo hic usus est Paulus,significat & inuidere: ut intelligas,inuidia motos quosdam,uoluisse eos ad seruitutẽ legis reuocare.Diuus Hiero.contra Iouinianum legit & uertit, Impediuit.Hinc Fascinus,& fascinum penultima correp.& fascinatio,pro maleficio.

Benedictio. Maledictio. BENEDICTIO interior,est gratia & iustitia in Spiritu sancto:hæc promissa est Abrahæ in Christo.Maledictio interior,est peccatum & iniquitas,ut Psal.118.Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Et Matth.25. Ite maledicti in ignem æternum. Hieremiæ 18. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. Benedictio exterior,est abundantia rerum corporalium : hæc propria fuit ueteris legis. Maledictio exterior, est penuria, ut Malach.3. Et in penuria uos maledicti estis.Sic Christus maledixit ficui,& exaruit : sic Heliseus filios Bethel, 4.Reg.2. Nemo igitur absurdum duxerit, cùm Christum dicimus esse maledictum, maledictione externa, qui tulit pœnam maledictionis nostræ internæ : simul benedictum,benedictione interna,ut Psal.108.Maledicent illi,tu uerò benedices.

Proscribo. PROSCRIBO hoc loco est relegare,dãnare : hinc Proscriptio quæ erat apud Romanos damnationis genus, quam Græci Prographen nominant. Item Proscribere est aliquid per scripturam uenale exponere,ut proscribere domum.

Pædagogus. PAEDAGOGVS penultima producta,puerorũ doctor,siue custos:à puero,& ago

ago dictus.hinc Pædagogium apud Iureconsultos dicitur seruitium,atq; mancipium.

EMERE & redimere differunt. Qui emit,alienum emit : qui autem redimit, id emit propriè,quod suum fuit,& suum esse desiuit.Redemit ergo nos Christus de maledicto legis, quod peccantibus constitutum est, quos ipse increpat per prophetam Esa. 50.cap.dicens : Ecce enim in iniquitatibus uestris uenditi estis,& in sceleribus uestris dimisi matrem uestram.Et Apostolus hoc ipsum replicat Roma.7.dicens, Ego autem carnalis sum,uenundatus sub peccato. Emere. Redimere.

Blanditijs Paulus Galatas ad Christum reuocat. CAP. IIII.

DIco autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos,cùm essemus paruuli,sub elementis mundi eramus seruientes. At ubi uenit plenitudo temporis,misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege : ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniã autem estis filij Dei,misit Deus Spiritum filij sui in corda uestra, clamantem, Abba pater. Itaque iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius, & hæres per Deum. Sed tunc quidem ignorãtes Deum, ijs, qui natura non sunt Dij, seruiebatis. Nũc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa,quibus denuo seruire uultis? Dies obseruatis,& menses,& tempora,& annos. Timeo uos,ne fortè sine causa laborauerim in uobis.Estote sicut ego,quia & ego sicut uos:fratres,obsecro uos. Nihil me læsistis.

Hæres paruulus.

Elemẽta mũdi.

Venit plenitudo] Vel,impletum fuit tẽpus.

Vt adoptionẽ] Vel, adoptiõe ius

Adoptari in filios Dei p Christum.

Spiritus sctus.

Hæres p Deũ.] Hæres Dei per Christum.

Cognosci à Deo.

[imò] Magis autem

Denuo] Rursum ab initio

Vos, ne forte &c.] De uobis ne frustra

Dico autem. Interpretaturus Paulus quæ dixit,hoc modo loquẽdi frequens utitur,Dico autem : ac si diceret, Quod dico tale est.Totus hic æstuat & ardet Paulus de libertate Christiana, de usu legis,& eius abrogatione explicationem facturus non sine tamen ualidissimis argumentis munitus prodit & descendit in arenam, eisdemq; sumptis ab experientia,ab exemplo Abrahæ,à testimonijs scripturæ, à tempore & similitudinibus, ut nihil non tentatum & excussum in iustificationis negotio relinquat : sed omnibus apertissimum sit, nulla alia re nos iustificari, quàm sola fide uiua in IESVM Christum.

Vsque ad præfinitum tempus. Diem explicare uult præscriptum, ad quem ius alicuius durat,ultra quem non licet agere. Tale est ius tutorum. Tutores & Actores possunt & prophetæ dici, quorum uerbis quotidie in aduentum saluatoris erudiebamur, ait Hieronymus. Legitimum tempus, sicut Romanis legibus uiginti quinque annorum spatio terminatur : ita ad humani generis perfectionem, Christi reputatur

Tutores & actores prophetæ dicti.

putatur aduentus. Statim ut ille uenerit, & omnes in uirum perfectum creuerimus, Pædagogus à nobis & tutor discedunt.

Elementa. **Sub elementis mundi.** *Non putauerim elementa hîc, sicut nec ad Colossenses. 2. ignem, aërem, aquam, & terrã dici: sed accipi pro ipsis literis legis, quibus lex Moysi constat. hæc 2. Corinth. 3. Literam uocat, ut iam planè intelligas, frequenti tropo elementa à Paulo scripturam uel legem scriptam uocari: idq; facit per quandam Tapinosim, seu humiliationem, ut extenuet gloriam & opinionem iustitiæ, & operum legis: ut quæ neq; iustitiam, neq; spiritum ipsum confrant: sed uelut exordia data sunt hominibus rudibus adhuc, & nondum capacibus euangelicæ doctrinæ. Mundi dicit, id est, de his quæ in mundo sunt, ut de externis operibus, & carnalibus ceremonijs.*

Litera.

Temporis plenitudo. **At ubi uenit plenitudo.** *Plenitudinem temporis uocat præfinitum tempus à patre, quo benedictio Abrahæ in semine suo Christo impleretur. Seu, in Christo reuelanda erat per orbem benedictio, & manifestandus Christus, quem uenturum expectabant patres, & nos uenisse fatemur: in quo & illi & nos benedicamur oportet.*

Christus factus ex muliere. **Factum ex muliere.** *Roma. 1. cap. Dixit, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem: idem est quod & hoc loco dicitur, ostendens promissum Dauidi impletum esse, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Cùm dicit, Factum ex muliere: non solùm carneam naturam ex muliere sumptam, sed etiam sine uirili semine ex purissimo uirginis sanguine, significat. Mulier non corruptionis, sed sexus nomen est. Commendatur ab Apostolo diuina dignatio, quæ eò descenderit, ut non modò ex natura humana, sed & ex infirmiore sexu nasci uoluerit. Debilia enim elegit, ut fortia quæq; confundat. Est fatẽdum beatam Mariam mulierem & matrem esse, quæ in partu, ante & post partum uirgo permansit. Quare cùm cæteri ex uiro & muliere nasci dicantur, satis indicat miraculum Paulus, dicens, Factum ex muliere, Mariam esse matrem, mulierem, uirginem, & filium ex uirgine natum.*

Mulier sexus nomen.

Virgo maria mulier & mater.

Christus factus sub lege. **Factum sub lege.** *Quemadmodum Christus factus est peccatum, ut peccata nostra deleret, & maledictio, ut de maledictione legis alios eximeret: ita factus est sub lege, sed subditus legi, uolens, ut nos de subiectione legis redimeret. Aut pœnas à lege inditas innocenter tulit, ut ab illis nos illarum reos eximeret, & efficeremur filij adoptiui: statumq; adoptionis recipientes, seruitutem ipsam exueremus, & essemus liberi, seu liberæ, & non ancillæ filij. Erant quidem Iudæi hæredes, cùm sub lege erant, uelut pueri pupilli sub pædagogo. Sed aduentante Christo legato ad redimendum eos de seruitute legis, receperunt statum adoptionis. Hæc adoptio erat illa Abrahæ promissa hæreditas. Filius nimirum in hæreditatem succedit. Reciperemus, dixit, ut ostenderet cœlitus hanc nobis esse adiudicatam.*

Vt adoptionem. *Filius Dei factus homo est, & uolens legi subditus, cùm tamen Dominus legis fuerit: ut adoptionem, id est filiationem diuinam, siue benedictionem illam seminis, Hoc est, filiationem illam, & hæreditatem uitæ æternæ reciperemus. Aut ut nos adoptaret in filios: hoc est, ut ius illud, siue priuilegium quo gaudent filij, nobis impetraret. Nascimur filij iræ, ac per gratiam in locum & dignitatem filiorum assumpti sumus.*

Vnde cognoscimus nos à Deo adoptatos. **Quoniam autem.** *Occupatio est. Rogabis fortasse, Vnde cognoscemus, Deum nos in filios adoptasse? Hoc primum iam dixi (ait) cùm Christum induisti, qui & filius Dei est. Credens enim in Christum, unum cum illo efficeris: & factus illi similis, ex Deo nasceris, & eius filius uerè nuncuparis, tanta est Domini dignatio, qui te ex filio iræ*

filium

filium gratiæ faciat. Hoc idem manifestat: Quia spiritum Dei accepimus, qui in cordibus nostris diuinitus attractis, nos Deum, patrem appellare docet. Quod fieri non potest, nisi in filios Dei adoptati fuerimus. Quare uel natura ipsa docet, ut cùm filij simus, & hæredes, non rei inanis, sed Dei patris nostri: idq; per Deum, hoc est, per Christum filium Dei naturalem.

Abba. **Clamantem Abba:** *Id est, clamare facientem. Abba (ait Hieronymus) Hebraicum est, idipsum significans, quod & pater. Et hanc consuetudinem in pluribus locis scriptura conseruat, ut Hebraicum uerbum cum interpretatione sua ponat. Aduerte quòd Clamor non tam pro exaltatione uocis sumitur, quàm pro toto animo, & uehementi desiderio in Deum: etiam si uox nulla præcesserit: sicut Dominus ad Moysen, nihil antea loquutum, ait Exodi 14. Quid clamas ad me? cui firè addi solet respondendi uerbum pro exaudiri. Ionæ 2. Clamaui in tribulatione mea ad Dominum, & respondit mihi: id est, exaudiuit. Hunc clamorem Roma. 8. uocat Gemitum inenarrabilem: hic clamor spiritus longissimè superat, & perrumpit, clamores fortissimos, ac horribiles legis, peccati, & Diaboli. Penetrat nubes, & cœlum, ac pertingit usque ad aures Dei.*

Clamor.

Itaq; iam non est seruus, sed filius. *Hoc ueluti Epiphonema, & conclusio est. Cùm res ita habeat, quòd per Euangelium Spiritum acceperimus, per quem, & cuius impulsu, clamamus, Abba pater: tum certò definitum est in cœlo, quòd non est amplius seruitus, sed mera libertas, adoptio, & filiatio. Quis parit eam? Iste clamor. Quomodo? Pater Deus offert mihi sua promissione, & misericordia, gratiam, & paternitatem: Reliquum est, ut ego accipiã. Hoc fit, quum clamo, & assentior corde filiali isti uoci Pater. Ibi conueniunt pater promittens, & uocãs me filium per Christum factum sub lege &c. Et contrahuntur sponsalia sine legis apparatu, sine meo opere præcedẽte hanc uocationẽ, non tamen sine me consentiẽte, & adhærente illi clamori. Sed hunc motum uoluntatis meæ præcedit gratia Christi, cui totum debetur, ut salutis meæ autori. Quòd si filius sum, ergo & hæres Dei per Christum: hoc est, salus & æterna hæreditas contingit mihi per gratiam Christi, & non meum opus. Huius filiationis testimonium est, quòd spiritus sanctus clamat, seu clamare facit in cordibus nostris, Pater. Quo fit, ut ex spiritu in cordibus nostris habitante dicamus non sine tuta conscientia, Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum &c.*

Sed tunc quidem. *Hunc sermonem dirigit in eos, qui ex gentibus credidissent, à minori arguens: Si cùm Solem & Lunam deos falsos uenerabamini, Deum uerum ignorantes, non conuertebamini ad infirma, & egena elementa: hoc est, ad ceremonias legis, & dierum obseruantias: quomodo nunc, qui Christianismum recepistis, Deumq; cognoueritis, & maiores facti estis, quàm antea, uultis redire ad ea quæ prorsus uobis sunt inutilia? His certè multa ingratitudine uidemini notati. Recordemini quàm fœdæ idololatria Dijs immundis seruieritis, & nunc misericordia Dei, ad ueri Dei cultum uocati sitis. Pudeat ergo uos tantæ ingratitudinis, cùm à uero Deo receditis, qui è tantis malis in tanta bona uos uocauit. Cùm dicit, Egena, & infirma elementa, Græcos philosophos ferit, qui elementis tribuunt uitam. Sed quàm hoc sit ridiculum, omnes ad unum norunt hodie, cùm sensu careant: siue ignem & aërem per elementa intellexeris, siue Legem. Præterea nihil uirium habent ad æterna illa bona, nobis proposita, conferenda.*

Im•

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cognosci à Deo quid est.

Imo cogniti. *Cauẽdum,tribuamus nobis, tanquam à nobis cognoscamus Deum: sed eam scientiam misericordiæ eius adscribamus. Cognouit eos Deus (ait Auguſt.)ut cognoscerent Deum. Aut,cognitos à Deo dicit,id est, susceptos. Deus nõ uidetur,neq; aliter cognoscitur, nisi per Christum, iuxta illud Ioan.1. Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Is semen Abrahæ promissum, in quod fundauit Deus omnes suas promissiones. Quare solus Christus medium,& ut ita dicam, speculum est,per quod uidemus Deum,hoc est cognoscimus eius uoluntatem. Videmus & apprehendimus in Christo Deum nobis propitium & clementißimum patrem. Dicamus ergo ad hunc sensum, Cogniti estis à Deo: Id est, uisitati estis per uerbum,donati estis fide & spiritu sancto, quo renouati estis.*

Dies obseruatis. *Eos culpat(ait Aug.)qui dicunt,Non proficiscar,quia Luna sic fertur:aut quia exiens domum,obuius factus sum uetulæ:aut,non plantabo hoc anno uineam,quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitratur,obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt,Non proficiscar hodie,quia tempestas est exorta: aut,Tempus seminandi est,quod imbribus autumnalibus terra satiata est:uel si qui forte alij naturales effectus circa motum aëris & humoris ad uariandas temporum qualitates in syderum ordinatißima consideratione notati sunt: de quibus dictum est cùm conderentur,Genes.1.cap. Et sint in signa,& tempora,& dies,& annos. Beatus Hieron.simpliciter & rectè,de Iudæorum ritu hæc intelligit. Dies,inquit,ut Sabbati,& Neomeniæ: Menses autem,primum & septimum mensem: Tempora,quibus ter ueniebant in Hierusalem per singulos annos: Annos autem,septimum remißionis, & quinquagesimum,quem illi Iubilæum uocant. Nos uerò nõ Iudæorum,sed alios obseruamus dies,Natiuitatis Christi,Resurrectionis,Pentecostes,item uirginis Mariæ,& Martyrum,ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo. Illi suis festis Christum uenturum nuntiabãt,quem nostris iam uenisse significamus. Præterea potißimum obseruamus huiusmodi ferias, ut conseruetur ministerium uerbi, ut populus conueniat certis diebus,& temporibus, ad audiẽdum uerbum, ut Christum & sanctos in Christo imitetur,ut discat cognoscere Deum,ut communione utatur,ut oret publicè pro omnibus necessitatibus,ut Deo pro acceptis beneficijs gratias agat,ut Christi crucem in sacrosancta missa meditetur,in qua Christum præsentem adoret. Credo institutam esse à patribus festorum obseruationem præcipuè propter hanc causam.*

Pauli lacrymæ

Timeo uos. *Hæc uerba lacrymas Pauli spirare uidentur. O Galatæ, etsi uestrum malum non satis uos mouet, miseremini saltem mei, condolete mihi, qui in uobis me perdidisse timeo, non rem, non famam, non honorem, nec solum uerbum,aut opus, sed uniuersum laborem. Hieronymus ait, Timeo uos, posuit pro eo,quod est,Timeo de uobis. quasi dicat: Timeo uos perituros esse in æternum, & ita frustra omnia in uobis operatus sum,& inaniter laboraui. Sine causa laborat magister,cùm ad maiora prouocat discipulos,& illi retro lapsi ad minora & humilia reuoluuntur.*

Estote sicut & ego. *Ego aliquando zelo ductus in uerba magistræ legis iurabam, ceremoniarum feruens zelator, quæ omnia propter Christum negligo. Estote ergo mei imitatores. His uerbis,ut bonus,& diligens pater,præcedentium asperitatem mollit,& lenit. Arguerat enim illos insensatos,citò translatos,ad elementa mundi conuersos,carne consummatos, fascinatos,crucifixum in eis Christum,neglectam & contemptam ab eis gratiam,irritum testamentum Dei ab eis factum, seruos ex filijs factos: & ut*

& ut uno uerbo dicam,se frustra omnia fecisse,& laborem uniuersum perdidisse. Nolim,inquit,existimetis,me hæc odio uestri pronuntiasse: sed pro paterna solicitudine, ne uos amitterem filios,uera uobis dixi. Nolite me inimicum uestrum arbitrari. Excepistis me aliquando ut angelum Dei,nihil me læsistis. quo igitur argumento ductus,inimicus uobis essem? Estote sicut & ego,ego quidem non sum læsus à uobis, non exasperastis me, ita rursus nolite à me lædi, & exasperari: sed commune malum utrinque deploremus. Meum malum est,quòd uos reciditis. Ideo nõ à uobis offensus sum,sed à malo iam meo: ita uos nolite offendi mea increpatione, sed uestro malo potius. Quando ego uestro hoc malo non secus afficior,ac si meum esset: ita ut iam uerè cum infirmis infirmer,cum flentibus fleam,omnibusq; omnia factus sum,ut eos Christo lucrifacerem. Ita rursum peto,ut mihi quoque timenti,ne frustra laborarim,assimilemini,& cum timente timeatis, cum dolente perditum esse laborem,doleatis: ut si uestro malo non mouemini, meo moueamini,ut sic ad uestrum quoque peruenietis malum deplorandum.

Iamprídem:] prius: Tentatiónem uestram]uel,experimentũ mei quod erat in carne Vbi est] quæ est Aemulãtur]ambiunt Aemulamini] uel, bonum est æmulari

Scitis autem quòd per infirmitatem carnis euangelizaui uobis iampridem: & tentationem uestram in carne mea non spreuistis,neque respuistis, sed sicut angelum Dei accepistis me, sicut Christum IESVM. Vbi est ergo beatitudo uestra? Testimoniũ enim perhibeo uobis, quia si fieri posset, oculos uestros eruissetis,& dedissetis mihi. Ergo inimicus uobis factus sum, uerum dicens uobis? Aemulantur uos non bene: sed excludere uos uolunt, ut illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono semper,& non tantùm cùm præsens sum apud uos. Filioli mei,quos iterum partu- Filioli Pauli, Galatæ.
rio,donec formetur Christus in uobis. (Vellem autem

Confundor]cõfilij inops, uel, perplexus sum Legistis] auditis?

esse apud uos modò,& mutare uocem meam: quoniam confundor in uobis.) Dicite mihi qui sub lege uultis esse,legem non legistis? Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla,& unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, Vnum quidem in monte Sina,in seruitutem generans, quæ est Agar (Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem) & seruit cum filijs suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim, Lætare sterilis,quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis,quia multi filij desertæ,magis quàm eius quæ habet uirum. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui

Genes.16.d Abrahę duo filij. Genes.21.a

In monte] à monte Qui est]quę est Coniũctus]cõfinis

Agar. Sina. Hierusalem.

Esaiæ 54.a Lucæ 23,d

Isaac. Roma.9.b

Carnalis spiritualem persequitur.

secund

secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

Genes. 21.a

Finis huius capitis cũ sequẽti iũgitur qua libertate, &c. state.

Scitis autem quia per infirmitatem. *Suspicatur Hieronymus, Apostolum quo primùm uenit ad Galatas, ægrotasse, & aliqua corpusculi infirmitate detentum, nõ cessasse quò minus Euangelium cœptum prædicaret. Nam tradunt eum grauissimũ capitis dolorẽ sæpe perpessum: & hunc esse angelum Satanæ, qui appositus ei sit, ut eum colaphizaret in carne. Putauerim infirmitatem carnis hoc loco à Paulo intelligi corporales afflictiones, quibus assiduè afflictabatur, ob persequentes aduersarios. Dici potest in hunc modum, Per infirmitatem carnis, supple, uestræ, euangelizaui uobis, quatenus ferre poteratis. Quia non poteratis sacramẽta ferre maiora, prædicaui uobis quasi paruulis, & meipsum infirmum esse simulaui, ut uos infirmos lucrifacerem.*

Tentatio Pauli.

Tentationem uestram. *Tentatio Galatarum erat, quòd Paulus humilis, abiectus, & malis humanis obnoxius erat, Christum crucifixum prædicans, & multa quæ mundo abiecta essent. Tamen immortalitatem pollicebatur. Græcis legitur pro uestram μου, id est, meam, uocantes tentationem contumelias, persequutiones, & huiusmodi, quæ à Iudæis maximè & à gentibus pro uerbo Christi ferebat Paulus in carne sua, hoc est coram hominibus. Nam in spiritu semper triumphabat eum Deus per Christum: ut 2. Corinth. 2. cap. dicitur. Aut dici potest tentatio Galatarum, ut qui illorum timore à uerbo Christi auerterentur. Sed Galatæ uictores huius tentationis, magno honore exceperunt Paulum summa scilicet reuerentia, quem aduersarij summa cõtumelia affectum, ut omnium pessimum, quærebant ad mortem.*

Vbi est ergo. *Timens Paulus, ne ex dura illa obiurgatione, qua uocauit Galatas insensatos, & fascinatos, Pseudapostoli ansam acciperent calumniandi, & malitiosè interpretandi hæc quæ scribit, lenit, mitigatq; durum illum sermonem, pellicĩs suauiloquentia, & uerborum lenitate Galatarum animos. Cauendum erat ab impostura illorũ. Quid enim non audent huiusmodi Antichristi præambulones? Genius harum uiperarum est, quòd uerba ex pio & candido corde profecta criminentur, uersutè & insidiosè detorqueant prorsus in contrarium sensum, quàm dicta sunt. Non miror, si horum artificium summos etiam rhetores superet: aguntur enim à spiritu maligno, qui ita dementat eos, ut Satanica uirulentia accensi in pios, eorum uerba & scripta non possint non malitiosè interpretari. Quodam ergo melle, & blanditijs præuenit, ne à pseudapostolis peruertantur, quorum uerba & technæ ad hunc fortassis modum disponerentur. Paulus, aiunt, tractat uos inhumaniter, uocans insensatos, fascinatos, inobedientes ueritati: quod certum est signum, eum non quærere salutem uestram, sed habere uos pro damnatis & reiectis à Christo. Huius ergo doctrinam ne recipere quidem debetis. Vbi beatitudo uestra, qua uos beatos arbitrans antè laudabam? Imò quo prædicabamini ab omnibus? Fidem Christi, in qua beatificabantur, expostulans, & exprobrans. Beatitudinem enim eieunt fidem illorum, per quam in spe beati erant. Aut uerecundia obseruatur Apostolica, quasi diceret, Vbi nunc est uestra illa in me reuerentia, & obseruãtia? Maluit uerecundè eorum beatitudini, quàm suæ gloriæ tribuere.*

Testim

Testimonium enim perhibeo. *Exaggeratio est beneuolentiæ & beneficentiæ Galatarum erga ipsum. Vnde ita recidit (inquit Paulus) ut me hostem suspicemini, quem tanti feceris, ut me uel oculis uestris redemisseris? Extollit Galatas supra omnem modum.*

Ergo inimicus uobis. *Rationem indicat, cur sic blandiatur Galatis. Nihil mihi argumento esse potest, quòd me oderitis, nisi quia uos corruptos coarguens uera prædixi: & ueri curatoris officio functus, odiũ mihi peperi. Obseruandũ ex hoc loco, pulcherrimum ueritatis docendæ exemplum. Sic infligendũ est uulnus, ut scias mitigare, & sanare, aliquando durè & asperè tractare, modò benignitatis non obliuiscaris. Hunc in modũ Deus fulgura in pluuiam fecit, & tristes nubes atrumq; cœlum in fructiferos imbres resoluit. Communi paræmia dici solet, Innoxiam esse tempestatẽ fulgurum, quæ pluuia mista fuerit: formidabilem autem & noxiam, quæ sicca & sola. Neq; enim uerbum Dei in perpetuũ irasci, neq; in æternũ comminari, nisi obstinatis, debet.*

Doctoris functio.

Aemulantur uos non bene. *Occupatio est. Aiunt illi: Existimauimus hactenus, non ita sibi sapiendum, ut præceptore non utantur, qui de diuinis edoceri uolunt: Ob id factum est, ut pio studio, & bona (ut dicitur) intentione, nostram salutem quærentes quos dicis, ô Paule, pseudapostolos audiuerimus. Imò ne arrogãtiæ argueremur, illis obediuimus. Respondet Paulus, hos zelum habere, sed non bonũ: Sub prætextu enim amoris, & studij erga uos, hoc agunt, ut uos pertrahant in seruitutem legis Mosaicæ. Quia uolunt uos excludere à libertate Christi, & abducere à fide ad legem, ut semper sub pædagogo uiuẽtes, nunquàm hæreditatem consequamini. Quòd si dixeritis, Neque sibi placendum, neque credendũ esse, sed alios imitandos. Respondeo, præstandam operam imitationi in re bona semper, & nunquàm mala, non tantum cùm præsens fuero, sed etiam absens, ut potius rei honestæ, quàm mei causa imitari uideamini.*

Filioli mei. *Tam uehemens est Pauli charitas, & affectus, ut penè sui oblitus, Galatas in se transformet, & se Galatam potius, quàm Paulum hoc loco profiteatur, de nulla sua re, sed tantum Galatarum solicitus. Hoc faciens sequitur quod 1. Corinth. 13. docuit: Charitas non quærit quæ sua sunt. Audis enim ex superioribus, ut patitur in illis, ut æstuat, ut laborat, nihil non agit illorum gratia. Ideoq; nunc iam, non quasi pater, sed ut mater loquitur in Christo, ut utrinq; anxietatem, & pietatem in se parentis agnoscant. Quasi dicat, Filioli mei, en materna mea uiscera torquentur: pater fui, mater factus sum, porto uos in utero. Ad hunc modum loquitur Moyses Numeri 11. Nunquid ego in utero accepi omnem populum istum? Formo fingoq; uos, uellem uos parere & in uitam si quo modo possem. Neq; putetis satis mihi esse, quòd uos tum pepererim, tum ediderim: sed omnem mouebo lapidem, & diligentissimam nauabo operam, ut lactantem infantiã sedulis nutrimentis & studijs, usq; ad plenam Christi perducam ætatem. Interim ex his obseruabis, quòd qui per peccatum quodam modo homo esse desierat, per pœnitentiã concipitur à magistro, & in eo rursum Christi formatio repromittitur. Quò fit, ut pessime errent Nouatiani, qui nolunt reformari eos, quos semel peccata cõtriuerint. Formatur Christus in corde credentiũ (ait Hieronymus) cùm omnia illis sacramenta panduntur, & ea quæ obscura uidebantur, perspicua fiunt. Obserua: nõ dixit, Donec formem Christum in uobis: sed, Formetur: ut id nõ suum, sed IESV Christi opus esse manifestet. Paulus enim, uelut mater, gestat eos in utero rude semẽ, donec Spiritus cooperatus formet eos in Christũ, & sic formetur in eis Christus. Quia uita Christiani non est ipsius, sed Christi in ipso uiuentis, ut suprà 2. cap. Viuo iam non ego,*

Nouatianorũ hæresis.

Christum formari in corde credentis.

uiuit

uiuit uerò in me Christus. Formabitur in uobis Christus, si in hunc crediderit, & ab ipso solo, non à lege & ceremonijs, uitam & salutem pendere duxeritis.

Vellem autem esse. *Hoc Hieronymo Paulus uidetur dicere, Quia scriptura diuina, lecta quidem ædificat, sed multò magis prodest, si de literis uertatur in uocem, sicut & ad Paulinũ scribit de energia uocis uiuæ: Vellem (inquit) ut essem modo apud uos, ad hoc ut uocẽ possem mutare, non musica mutatione, sed theologica: hoc est, quia epistola, scripta si nimium obiurgat, offendit: sin bladior est, non satisfacit apud insensatos. In tam seria re, scriptura mortua est, tantum dat, quantum habet. At si præsens esset, pro uarietate auditorum posset temperare sermonem: illos obiurgare, hos mitigare: illos rogare, hos increpare: & in omnem affectum, sicut opportunum esset, mutare. Legito Hieronym. in hunc locum.*

Quoniam confundor. *Perplexus, siue indignus sum. Paulus pijssime timẽs, ne utrinq; aut nimium lædat, aut minus, quàm necesse est, percutiat, & ita inter utrũq; hærens confunditur, ignarus quid faciat, nec integrum habens obiurgare, nec commẽdare. Quidam sic reddit hunc textum: Quoniam confundor in uobis, hæreo, perturbor, inops q; cõsilij sum, quid uobiscum agam. Nescio enim quæ primùm uerba promam (ait Hieronymus) & quo uos debeam sanare medicamine. Quia cõfundor in uobis, dubius sum animi, nescio quid dicturus sim de uobis. Nescio quid & quomodo uobiscũ absens per literas agam. Est certè Epistola mortuus quidã nuntius, quia non potest plus dare quàm habet. Nulla epistola tam accuratè scripta est, in qua nõ aliquid desideretur. Sunt enim circunstantiæ uariæ, & momenta temporum, locorũ, personarum, morum, & affectuum uaria sunt, quæ uix ulla, imò nulla epistola exprimere potest. At uiuus nuntius, & uiua uox, si quid asperius, intempestiuius, aut inconsideratius dixerit, potest illud interpretari, mitigare, & corrigere. Quare Paulus nõ abs re dicit se anxiũ & uelle esse apud Galatas, ut mutaret uocem iuxta affectuum circunstantias hoc requirentes.*

Legem non legistis. *Cum Hebræis quinq; libri Moysi, Thora, id est, lex uocentur, non ineptè Apostolus legem appellat librum Geneseos, in qua si nihil aliud, certè circuncisio saltem præcipitur, præcipua Iudæorum lex, omniumq; prima.*

Ismaël quare non dicitur repromissionis filius, sed Isaac. Allegoria.

Abraham duos filios. *Quæritur, quomodo non & Ismaël per repromißionem natus sit, de quo Geneseos 16. tam multa per Angelum Domini promittuntur matri suæ, an tequàm natus esset: Rursus 17. multò plura ad Abrahã de eodẽ ab ipsomet Deo promittũtur cùm iam natus esset? His abunde facit satis August. lib. de ciuitate Dei 15. cap. 2. & 3. Vterq; de semine Abrahæ: sed Ismaël genuit consuetudo, demonstrãs naturam: Isaac uerò dedit promißio, significans gratiam. Ibi humanus usus ostenditur, hîc diuinum beneficium commendatur. Natus est ergo Ismaël, sicut nascũtur homines usitata lege naturæ, ideo dictus est secundum carnem, non quòd ista Dei beneficia nõ sint, aut non illa operetur Deus, sed ubi significandum fuerat Dei donum, quod indebitum hominibus gratis gratia largiretur: sic oportuit dari filium quemadmodum naturæ non debebatur excursibus. Ex scripturis clarum est, quòd Ismaël, non promittente Deo, sed iubente Sara, naturali uirtute in adolescentia Agar conceptus est: Isaac autem de sterili, uetulaq; matre, supernaturali uirtute promittentis conceptus. Nam quòd Angelus ad Agar dixit, Ecce concepisti, & paries filium: certè non est promittentis concipiendum, sed prædicentis futura de iam concepto: Aut etiam præcipientis est. Ideo Isaac filius repromißionis est, tamen ex carne natus: sed non uirtute carnis, quæ iam effœta, & sterilis erat: sed uirtute diuinæ promißionis ex Sara nonagenaria sterili*

sterili natus: & non sicut Ismaël, qui natus est secundum carnem, id est naturalem generationem. Ex his duabus matribus, cum duobus filijs, distinguit Paulus duo testamenta, duas leges, & duos populos. Est uetus testamentum, seu lex Moysi, in monte Sina (seu Sinai) data, quæ in seruitutem generat. Non enim amore liberali, sed seruili timore, Iudæi legi seruiebant. Hanc legem ueterem Agar præfigurabat, & Ismaël Iudeos: Sara autem libera legem Euangelicam, & Isaac Christianos, liberos per Christum à seruitute Mosaica. Quemadmodum Ismaël natu grandior, Isaac persequebatur: Ita & Iudæi, in cultu Dei maiores natu, Christianos persequebãtur. Sed sicut iure Ismaël abiectus est ab hæreditate: ita & Iudæi, seruantes legem seruilem, & abijcientes Euangelium expulsi sunt ab hæreditate cœlesti. Nos uerò Saræ liberæ, seu Ecclesiæ filij, non sequamur Ismaël, sed Isaac uerum hæredem, & iam dicamur liberæ filij, ut hæredes simus. Hæc hoc loco à Paulo per allegoriam dicuntur, quæ in Genesi ad literam accipienda sunt. Estq; hæc allegoria efficax & proximum argumentum ad conuincẽdum hæreticum, non quia allegoria est, sed quia à Paulo dicta.

Hæc enim sunt per allegoriam. *Quam hìc Allegoriam dicit Paulus, alibi uocat Intelligentiam spiritualem. ad Rom. 7. Scimus enim quòd lex spiritualis est: pro eo quod est, allegorica, siue allegoricè figurata. & 1. Cor. 10. Omnes eandem spiritualem comederunt escam, & eundem spiritalem biberunt potum. Bibebant autem de spirituali, sequente eos petra: Petra autem erat Christus. Hæc Hierony. Aduerte, quia Galatæ fideles erant, allegoricis doctrinis eruditi poterant: alioquin ut 1. Corin. 14. dicit, Infidelibus sunt linguæ in signum. Infidelibus uerò allegoria nihil probari potest, ut diuus August. ad Vincentium docet. His utitur Paulus, imitatus Christum, qui in Euangelio parabolis docet auditores, pro captu uniuscuiusq;. Rudiores enim similitudinibus, parabolis, allegorijs, etiam cum uoluptate capiuntur.* Allegoria. Intelligentia Spiritualis.

In seruitutem generans. *Erat lex Moysi seruilis admodum, & illiberalis: recta enim opera terrenis bonis & mercede corruptibili cõpensabat, alliciẽs Iudæos ad sibi parendum, magis formidine & timore, quàm amore quodam ingenuo, & liberali.*

Sina enim mons est. *Mons quẽ Iudæi appellãt Sina (quæ appellationẽ habere uidetur à rubetis, & dumis) Arabes sua lingua uocant Agar: id quod præter Paulũ testantur etiã Ptolomæus, & Græcorũ scholia. Ad eundẽ modũ & alijs montibus alia atq; alia nomina tribuuntur apud diuersas gentes. Sic mons, quẽ Moses appellat Hermon, Sidonius Sirion, & Amorrhæis Sanir dicitur. Cùm Paulus dicit, montẽ Sina coniunctum esse Hierusalẽ, hoc uerum est, quòd continua montana sint ab Arabia Petræa usq; ad Cades Barnea Iudææ. Dicitur ista Hierusalẽ quæ nũc est, nõ est Sara, sed pertinet ad Agar. Est enim in ea lex, hoc est templũ, cultus, ceremoniæ, & quicquid in Sina ex matre lege ordinatũ est, hoc in Hierusalẽ geritur. Quo fit annectam eã cum Sina, & utraq; cõplectar eodem uocabulo, scilicet Sina, seu Agar. Aut, In eã, quæ nunc est Hierusalem: hoc est in Hierusalem seruam. Subdita enim erat tunc Romanis, & serua. Et seruit cum filijs suis seruitute ciuili Romanis: & legali, sub lege data in Sina.* Sina.

Illa autem quæ sursum est. *Cœlestem significat patriam, de qua ad Hebr. 12. Accessistis ad ciuitatẽ Dei uiuentis, Hierusalẽ cœlestem. Quidam intelligunt militantẽ Ecclesiam, quæ non carnalibus & terrenis ducitur, ut synagoga: sed spiritualibus, & supernis bonis: dicente Paulo alibi, Nostra conuersatio est in cœlis. Quæ est mater nostra, multos filios habens, tametsi longo tempore sterilis fuerit, & deserta ante Christi resurrectionem. Postquàm uerò Apostoli clamauerunt, & Christum annuntiantes in*

totum orbem progressi sunt, plures pepererunt, quàm habeat ritus Iudaicus, seu Synagoga, quæ habet uirum, hoc est Moysen legislatorem. magis mihi arridet posterior interpretatio.

Quæ est mater nostra. Ipsa est ecclesia, Christi sponsa, ex qua generamur omnes. Generat autẽ ipsa liberos sine intermissione usq; ad finem mundi, dum exercet ministerium uerbi: hoc est, dum docet, et propagat. Sic omnes inuicem sumus patres & filij, generamur enim alij ex alijs. Ego ex alijs per Euangeliũ genitus, iam alios gigno uerbo Dei, qui deinceps alios gignẽt. Et hæc generatio est non Agar, sed Saræ liberæ, quæ sine lege generat hæredes. Nã quòd Isaac, nõ Ismaël hæres est (licet uterq; Abrahæ naturalis filius fuerit) habet hoc nõ per legẽ, sed per uerbum promissionis. Dictum enim est, Sara uxor tua pariet tibi filiũ, uocabisq; nomen eius Isaac. Quod postea bene intelligens Sara, ideo dixit, Eijce ancillã, & filium eius: quæ Paulus infrà citat. Quare sicut Isaac hæreditatem patris habet solùm ex promissione, & natiuitate, sine lege, & eius ceremonijs: ita nos per Euangelium nascimur hæredes ex Sara libera, id est ecclesia. Ea enim docet, fouet, gestat nos in utero, gremio, & ulnis: fingit, & perficit nos ad formã Christi, donec crescamus in uirũ perfectum ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. Ista omnia fiunt per ministerium uerbi. Liberæ officium est, generare marito Deo sine fine liberos, id est tales filios, qui fide uiua, non lege norunt se iustificari.

Non enim hæres erit. Vide & obserua quemadmodum ancillæ, non Abrahæ filium, qui hæreditate indignus sit iudicatus, dixerit. Hæc uox Saræ, Eijce ancillam & filium eius: ualde molesta fuit ipsi Abrahæ, cuius uiscera super filio suo Ismaël commota sunt, hoc durè accepit Abrahã, dicente scriptura Genes. 21. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo. At Deus Saræ sententiam confirmauit, dicens ipsi Abrahæ: Non tibi uideatur asperum super puero, & super ancilla. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi uocem eius: quia in Isaac uocabitur tibi semen. Ergo secundum promissionem, non autem secundum legem sumus filij & hæredes.

Ancillæ filius esse.

Nõ sumus ancillæ. Esse filiũ ancillæ, est seruire legi, debere legi, esse reũ legis faciendæ, peccatorẽ, filium iræ, filium mortis, alienũ à Christo, excisum à gratia, exortem hæreditatis futuræ, uacuũ benedictione promissionis, seruire carni & huiusmodi.

Qua libertate. Non uosmetipsos à seruitute redemistis, sed Christus hoc dependit pretium. Quo pacto igitur tam inconsultè agitis, uolentes in seruitutem legis redire, neglecto Domino, & redemptore uestro, qui uos liberos fecit, & libertate donauit, ut iam iugo legis non ducamini.

CONCILIATIO.

DVO hîc pugnantia facere uidetur Paulus, & utrumlibet asserere de Prophetis (ait Hieronymus hoc dissoluens) periculosum est. Aut Moyses & Prophetæ Deum cognouerunt, & sic legem non seruauerunt: aut legem nõ seruauerunt, & sic Deum non cognouerunt. Hanc pugnantiam deducit Hieronymus ex hac sententia: Sed tunc ignorantes Deum, &c. Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, &c. RESPONDENDVM, sanctos fecisse quidem ea quæ legis erant, sed sensum legis magis sequutos esse, quàm literam.

VIDETVR hic locus, Imò cogniti à Deo: pugnare cum eo, qui est ad Ephes. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, cognoscit enim omnia ab æterno. TROPVS est Paulinus, ut tunc illos à Deo cognitos dicat, cùm eis Deus se cognoscẽdum præstat, Qui modus loquẽdi non aduersatur loco asserenti, Deũ ab æterno omnia cognouisse.

QVOD

QVOD Sancta mater Ecclesia obseruat, & Parasceuen, & Diem dominicam, & ieiunium quadragesimæ, & Paschæ festiuitatem, & Pẽtecostes lætitiam, & pro uarietate regionum diuersa in honore Martyrum tempora constituta, uidetur reprehensum à Paulo dicente, dies obseruatis, & tempora. RESPONDET Hieronymus: Non eosdẽ Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim non azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis. Nec septem iuxta morem Israël numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti ueneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum pariter omnes ueniremus. uide Hieronymum in hunc locum.

Dies festi Christianorum.

DICTIO.

VERBVM Aemulari, quãquam frequenter idem sit quod imitari, Apostolus tamen familiarẽ eius habet usum, pro inuidere, cũ amore, seu alicuius amore contendere, & cõniti. Et ut plenius res aperiatur, Amare dupliciter cõtingit: in bono, & in malo: ita & Aemulari. Diligimus enim quandoq;, sed non bene: ita Aemulamur quãdoq;, sed nõ bene. Verum ut amor est diligere bonũ, odium odisse malũ: ita Aemulatio seu Zelus, utrunq; inuoluens propriè est odisse malũ in re amata: & quò uehemẽtius ames, eò ardẽtius odias, & inuideas malũ amati. Vnde intelligimus Zelũ iratum amorẽ, uel amorosam inuidiã. Sic Apostolus 2. ad Cor. 11. Aemulor enim uos Dei æmulatione. Vbi de Imitatione nõ intelligitur, quia sequitur, Despondi enim uos uni uiro, &c. Timeo autẽ ne sensus uestri corrũpantur, &c. quasi dicat: Ita diligo castum fidẽ uestram, ut nõ possim non timere, & odisse corruptionẽ uestri: clarè exponens, quid sit Aemulari æmulatione Dei. Aemulatio Dei, id est, secundũ Deum, est odium mali in re amata: seu amor boni, & odium mali in re amata. Sed secundum speciem & erroneè, quia non benè, cùm malum iustitiæ legis, uelut bonum, in Galatis quærerent statuere, iste est stultus zelus.

Aemulor. Zelus. Zelus stultus.

PRAEFINITVM tempus, est dies præscriptus, statutus, & præstitutus.

Tempus præfinitum.

ALLEGORIA, Tropus est, & figura cùm aliud dicitur, aliud significatur.

Allegoria.

GRAECA uox elementi (uidelicet Stichion) anceps est, quæ declarat interim initium ac primordium rei nascẽtis, interim ipsas literas. Iustinianus libros Institutorum, Elementa iuris appellat, ueluti rudimenta.

Elementa.

SINA, siue Sinai, mons in deserto Arabiæ, alio nomine Oreb, uel Choreb, in quo Moyses legem & præcepta accepit à Deo: & interpretatur rubus. Hieronym. ait, Qui confinis est Hierusalem, non quòd mons ciuitatem attingat, sed quòd Iudæa, in qua est Hierusalẽ, uelut medio, & Arabia deserta, in qua est Sina mons, sunt confines. Nam Iudæa ab Oriente habet Arabiam Petræam, & iuxta hanc ad Meridiẽ tangit Arabiam desertam, ut sic propter totius confinitatem, pars quoq; parti & confinis & coniuncta dicatur. Quidam adnotat in Græcis scholijs moneri, Sinam Arabicè dici Agar.

Sina. Oreb. Choreb.

INFIRMITAS carnis, tropo Paulimo exprimit conditionis uilitatem. Infirmitas enim imbecillitas est, qua Apostoli cùm essent pauperes, contempti, uarijs deinde persecutionibus subiecti, & , ut ad Corinthios dicit, noxißimi omnium secundum carnem, & coram hominibus impotentes, & nihili habebãtur: Tamen sub hac infirmitate operabantur uirtutes, & erant potentiores in uerbo, & opere, quàm totus mundus. Quare hic genitiuus, Carnis, absolutè ponitur, ut ad Roma. 1. cap. Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, &c. 1. Petri 3. Mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. Ita & hic infirmitas carnis, id est, imbecillitas quæ est secundum carnem, si uirtutem non uideas, quæ est in spiritu. Quod autem infirmitas significat quod

Infirmitas carnis.

dictum est ex 2. Corint. 11. & 12. notum est, ubi omnia recensens quæ gesserat, & passus fuerat, Libèter (inquit) gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Et, Virtus in infirmitate perficitur. Et, Cùm infirmor, potens sum.

Non circuncisio, sed noua creatura commendat nos Deo. CAP. V.

Verbū State, à multis fini capitis præcedentis iungitur: In libertate igitur qua Christus nos liberauit, state: Euacuati, &c.] nihil uobis prodest Christus.

Act. 15. a

STate: & nolite iterum iugo seruitutis cõtineri. Ecce ego Paulus dico uobis, quoniam si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circũcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nã in Christo IESV neq; circũcisio aliquid ualet, neq; præputium: sed fides, quæ per charitatẽ operatur. Currebatis bene: quis uos impediuit ueritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio hæc non est ex eo qui uocat uos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in uobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis: Qui autẽ conturbat uos, portabit iudicium, quicũq; est ille. Ego autem fratres si circũcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam & abscindantur qui uos conturbant. Vos enim in libertatẽ uocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem.

Ex fide iustitia non ex lege. 1. Corinth. 5. b

Massam corrũpit.] cõspersionem fermẽtat.

Euacuatũ] abolitũ est offendiculum Cõturbant.] labefactant.

State. *Hoc uerbo State, manifestat, quàm nutabundi & instabiles sint Galatæ. Quare hortatur illos, ne redeant in seruitutem. Videturq; maiora de eis concepisse, quàm inuenerit dicens, State: non autem, Surgite. Idq; factum putauerim more optimi doctoris, qui non statim cum desperatione reparandi corripit, imò cum magno spei bonæ argumento.*

Doctoris honesta functio.

Ecce ego Paulus. *Solicitudine Apostolica ductus, repetit nomen suum in pondus autoritatis, suæ personæ dignitatem ac fidem quibusuis argumentis ac demonstrationibus præponens. Exhortatus est, dicens, State: modo terret ac minatur, pronũtians Christum non prodesse si circuncidantur. Hoc est Christum ipsis otiosum fieri, cùm non innitantur merito Christi.*

Omni homini circuncidenti. *Adducit secundum incommodum si circuncidantur. Hoc idem Roma. 3. dixit, Si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est: hoc est, deficis à lege ad Gẽtilismum. Constat nanq;, quæ legis sunt adinuicem connexa esse, & catenata. Nam circuncisio sacrificia deposcit, neomenias, & sabbatha obseruat, sacrificium & locum exigit, & modum, & purgationes.*

Euacuati estis. *Quisquis es, qui iustitiam à lege deposcis, excidisti à Christo, & nullum*

& nullum cum Christo habes commercium: Iustitia enim neq; uestrum, neque legis est opus, sed IESV *Christi. Quò fit, ut non abs re dictum sit, Christianus non uiuit, non loquitur, non operatur, non patitur: sed Christus in eo. Est enim Christus omnia in omnibus. Illarum enim passionum tolerantia, donum Dei est.*

Iustitia est opus Christi.

Non enim spiritu. *Spiritum ad distinctionem Literæ posuit, ac si dicat: Quia credimus, ideo non carnaliter, sed spiritualiter expectamus spem iustitiæ: id est, ipsum Christum, qui est spes nostra, iustitia nostra: cuius nos secundum aductum expectamus, quo iudicaturus omnia, & sua iustitia reddet unicuiq; secundum opera sua.*

In Christo Iesu. *His duabus speciebus enumeratis circũcisione & præputio, intellexit Paulus omnia quibus uel Iudæi, uel Gentes poterãt gloriari nõ iustificare nos, non facere hominẽ Christianũ, sed fidem non historicam, aut Aristotelicã, uerùm eam, quæ per charitatem operatur, hoc est fidem uiuã, ut docuimus in dicto 1. ca. ad Roma.*

Currebatis bene. *His uerbis blanditur Galatis, & quasi deplorando loquitur hunc in modum, Quis uos deturbauit à culmine perfectionis, ad quam euaseratis, ne ueritati Euãgelicæ adhæreretis, sed legi obsequeremini, quæ nunc inanis & inutilis facta est. Obseruabis, Paulum non dixisse Ambulabatis: sed, Currebatis. Cursus enim proficientium ad perfectionem est, Psal. 18. Exultauit ut gigas ad currendam uiam. & 1. Corint. 9. Sic currite ut cõprehẽdatis. Currere in Christo, est ardere in charitate Christi.*

Cursus est proficientium. Currere ī Christo.

Quis uos impediuit. *Si Christũ amplexati fuissetis, quis uos auocare potuisset à ueritate Euangelij, quam me doctore recepistis? Nemo certè. Reuera Galatæ & nimirum transferibiles estis, à tanta perfectionis sublimitate, in tantam contrariæ superstitionis profunditatem tam cito deiecti.*

Nemini consenseritis. *Hieronymus hanc clausulam non interpretatur, quòd in Græcis libris non inueniatur, nec in ullis eorum qui in Apostolum commentati sunt. Quare multi eam reijciunt. Ne nostrum uideamur interpretem contemnere, in hunc sensum sic accipito, Quantum ad fidem attinet, nolite alteri, quàm mihi credere.*

Persuasio hæc. *Vestri nominis Galatæ proprietatem secuti estis, cùm tam cito translati fueritis. Hanc defectionem à Christo non accepistis, qui uocauerat uos in libertatem, & ad fidem qua iugum legis exueratis.*

Modicum fermentum. *Occupatio est. Quid nos (aiunt) tam asperè lacessis, ô Paule? Vnum excesimus mandatum, & tantopere id auges crimen? Respondet: Quemadmodum modicum firmenti omnem massam uitiat, & sibi admistam immutat: ita peruersa doctrina, etiam modica, seu pauci impostores, & hæretici, uos facile decipient, & corrumpent.*

Confido in uobis. *Vt post tonitrua solet pluere: ita post aspera Paulus blanditias affert, ne nimia uerborum asperitate, in desperationem cadant. Quò fit, ut paternè illis blandiri uideatur, dum confidit in illos, sed non nisi in Domino. Maledictus enim, qui confidit in homine. Confido (inquit) quòd quæ ex me didicistis non mutabitis. hæc prophetico spiritu Paulus pronuntiat, Galatas uidelicet ad ueritatis uiam, quam amiserant, regressuros. Id argumento est quod ait, In Domino. Ego confido uobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis. Diuino enim confisus spiritu quæ agnouerat de Galatis, prophetauit.*

Simile.

Qui conturbat uos. *Arguit eos, qui pestilentes doctrinas seminant, quas onera hìc uocat: sicut Christus in Matthæo: Alligant quippe Pharisæi onera grauia, & quæ portari non possunt. Illi certè portabunt suum iudicium, hoc est, suam damnationẽ.*

Hac sententia Paulus uelut iudex pro tribunali sedens condemnat Pseudapostolos.

Si circuncisionem. Eadem est sententia quam prædixit, An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ita si circuncisionem prædicarem, utiq; Iudæis gratus essem. Sed ego ab illis persecutionem patior. Id uobis argumento esse debet, me non docere circuncisionem utilem esse: imò doceo, nihil uobis prodesse Christum, si circuncidamini.

Iudæorũ scandalum.

Ergo euacuatum est. Euacuatum: hoc est, cessauit, & cessatum est, ut ita dicã. Iudæi non ægrè ferunt Christum fuisse crucifixum. Sed cùm audiunt hac morte Christi extincta esse legalia, & partim esse nobis salutem, offendunt in Petram, & scandalizantur. Quare ait Paulus, Si mortuum Christũ, & legalia uim iustitiæ habere prædicarem, cessaret Iudæorum scandalum, & Iudæis gratus essem: imò adhuc hominibus placerem. Sed ego prædico, Mortem Domini esse nostram salutem, ut omnes audiunt, & testificantur. Quare Circuncisionẽ, & legis iustitias dico impias esse: tantum abest, ut illa doceam. Apostolus tribuit Iudæis scandalum in Christo. 1. Corinth. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: nobis uerò, qui credimus, Dei uirtutem & sapientiam. Et Lucæ 2. Simeon ait: Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Quod si dixeris, uitandum esse scandalum. Est reuera pusillorum scandalum uitandum: sed Pharisæorum contemnendum, qui sua malitia, & non doctoris bono opere scandalizantur.

Scandalum duplex.

Vtinam abscindantur, qui uos. Imprecatio est amputationis pudẽdorum, non ex odio, sed ex iustitia. Quasi diceret, Si tanto desiderio uolunt uos circũcidi, opto ut non solùm pelliculam illam abscindant, sed etiam ipsi eunuchi fiant, amputatis omnino testiculis. Aut qui ueritati Euangelicæ ita aduersantur, ut uel filios spirituales gignere non possint, extra ecclesiam eijciantur.

Qui uos conturbant. Labefactant. Labefactatur autem quod à suo statu dimouetur.

Tantùm ne libertatem. Hieronymus, & pleriq; alij legunt, Carni: non Carnis. Sed ad sensum hoc non magni refert. Sensus est, Primum quod libertati Euangelicæ aduersatur, est affectus carnalis. Cauete ab huiusmodi.

Lucæ 19.d
Matth. 22.d
Marci 12.e
Roma. 13.c
Iaco. 1.b
Spiritu ambulandum.
Roma. 13.d
1. Petri 1.c
Caro.
Spiritus.

Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si inuicem mordetis & comeditis, uidete ne abinuicem consumamini. Dico autem in Christo: Spiritu ambulate, & desyderia carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibijnuicẽ aduersantur: ut non quæcunq; uultis, illa faciatis. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autẽ sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnũ Dei non con-

Opera carnis.

sequentur. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudiũ, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autẽ sunt Christi, carnẽ suã crucifixerunt cũ uitijs & concupiscẽtijs. Si spiritu uiuimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Fructus spiritus.

Vitijs] affectibus

Gloria inanis.

Omnis enim lex. Omnium bonorum operum fundamentum docui esse charitatem: Nam omnium functionum fons & regula est dilectio: Id quod dicto Domini, Matth. 7. ostendo: Diliges, inquit, proximum tuum, sicut teipsum. Cùm ergo dico debere uos per charitatem seruire inuicem: idem uolo quod lex uno uerbo comprehendit, diliges proximum tuum sicut teipsum. Quid ergo oneratis uos lege? Quid anxij sudatis, & uexamini ceremonijs legis? desistite ab ijs ineptijs. Tota lex uno uerbo plenissimè comprehenditur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Videte non solum Moysi, sed & omnium legum summam comprehendi hoc uerbo, diliges proximum tuum sicut teipsum.

Quòd si inuicem mordetis. Arguit Galatas tum iracundiæ, tum feritatis, & uoracitatis: aut de inexplebili habendi cupiditate. Proptera, ait: Videte, seu cauete, ne hæc in proximum exercentes, in uos relabantur, & consumamini. Paulus semper eò tendit, ut seruent charitatem, & unum sapiant, qui tametsi differenter dona receperint, non instentur alter in alterum. Nam sic Roma. 12. Et 1. Corint. 12. proponit imaginem corporis & membrorum, quomodo membra pro inuicem solicita sint, & alterum alteri seruiat, ac non lædat. Hæc si fecerint, inuicẽ non mordebunt, non uorabunt, non detrahent inuicem: sed mutuò amabunt. Videtur per Mordere, criminationem, detractionem, uituperia, intelligere: per Comedere, uindictam, & oppressionem: per Consummari, utriusq; perditionem.

Mordere.
Comedere.
Consummari.

Spiritu ambulate. Spiritu ambulare, est proficere in Euangelio, & his quæ sunt IESV Christi, qui suis abundè largitur sui spiritus dona, quibus spiritualiter uiuunt, ueterem hominem abnegantes, & nouum induentes.

Spiritu ambulare.

Et desyderia carnis non perficietis. Vultis, ô Galatæ, libertatem Euangelicam agnoscere: non perficietis concupiscentias, seu carnis desyderia si spiritu ambulaueritis. Carnem Paulus hìc appellat, humanas cogitationes, & mentis affectus, qui terrenis in rebus uersentur. Obserua, Nõ perficietis: Nam Facere concupiscentias, est eas habere, titillari, & moueri ab illis, siue ad iram, siue ad libidem: Sed perficere, est eis consentire, & eas implere. Hæc sunt opera carnis, quæ non habebimus, quando mortale hoc induerit immortalitatem. Quandiu enim huic corpori immersa erit anima, tandiu mouebimur, titillabimur. Sed his motibus ne complaceamus, Spiritu sancto nostrum spiritum dirigente, resistendum est. Quòd hìc dicit, Spiritu ambulandum: &, Tentationi resistendum: uocat Roma. 8. Spiritu facta carnis mortificari.

Caro.
Cõcupiscẽtias facere & perficere non idem.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum. Hunc conflictum non est opus literis explicare, quem uehemẽtius & sentimus & experimur, quàm dicere possimus. Sed inter hoc iurgium (ait Hieron.) media anima consistit, habens quidem in sua potestate Bonum & malum uelle, uel nolle: sed non habens hoc ipsum Velle ac nolle,

perpetuum:quia fieri poteſt,ut cùm carni conſenſerit,et opera eius fecerit,rurſum per pœnitentiam ſe remordens,ſpiritui copuletur,& opera eius efficiat.hæc ille.

Vt non quæcunq; uultis. Tam uehemens eſt carnis & ſpiritus conflictus, ut aliqua uelimus,& non faciamus.Nam ex parte carnis tanta & tam uehemens eſt inclinatio ad carnalia,ut multa,quæ ſecundum rationem uolumus,non faciamus.Hoc manifeſtatur in incontinentibus, & maximè uoluptuoſis. Continens facit quod uult, quo ad exequutionem deliberatam: non tamen facit quod uult,quo ad effectus & titillationes carnis,quas inuitus patitur. Has non ſentire,non eſt poteſtatis noſtræ: ſed illis non complacere,& eaſdem non perficere, Dei gratia adiuti,poſſumus: qui fidelis eſt,non ſinens nos tentari ſupra id quod poſſumus.

Carnalis. **Quòd ſi ſpiritu ducimini.** Carnales ſunt,qui uoluptates ſequuntur.Spirituales qui Spiritum ſanctum præuium habent:hoc eſt,ſpiritu doctore & autore ſapiunt. Ex his facilè intelliges philoſophos animales dici, & carnales,qui proprios cogitatus putant eſſe ſapientiam,de quibus rectè dicitur 1.Corinth.2.Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus.Hunc ergo ſpiritum (ſupple ſanctum)ſi ſequamini,non eſtis ſub lege:id eſt,nihil legi debetis,& à lege abſoluti eſtis,illius conſilio non indigetis.Aut dici poteſt in hunc ſenſum: Quia lex non eſt iuſto poſita, qui Spiritu ſancto ductantur, non ſunt ſub lege,quaſi illa indigeant, tanquàm monitrice & directrice. Nam qui nec ira incenditur,quid habet monitore opus,ne quem occidat?

Manifeſta autem ſunt opera carnis. Quicquid ſpiritui aduerſatur, carnem intelligit.Dicit carnis opera manifeſta,quia uel omnibus ea nota eſſe demonſtrat, cùm ita mala eſſe pateant, ut illorum operatores lucè ipſam fugiãt. Sed & obſeruabis eleganter dictum à Paulo,quòd in carne opera poſuit, fructus in ſpiritu: quia uitia in ſemetipſa finiuntur,& pereunt: uirtutes uerò frugibus pullulant,& redundant. Nec putemus animæ nullum eſſe opus,ſi uitia carni,ſpiritui uirtutes deputentur.Quia anima,ut paulò antè dictũ eſt,in medio conflictu poſita eſt. Vel carni iungitur,& dicitur de ea Geneſ.6.Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternũ, quia caro eſt. Vel ſpiritui copulatur,& in ſpiritus uocabulum tranſit.Qui enim adhæret Domino,unus ſpiritus eſt.1.Corinth.6. Carnis opera recitat. Primo loco occurrit Fornicatio,quam (ut ait Hierony.) qui committit,templum Dei uiolat.Membra noſtra in quibus Chriſtum geſtare debemus,ſunt Chriſti:qui autẽ fornicatur,facit mẽbra illa eſſe meretricis. Adulteriũ,& Fornicatio cum ſoluta nota ſunt. 11.Immunditia,& Impudicitia,quibus modos fœdi concubitus intelligit, quos pro ſcelerum magnitudine innominatos uoluit. 111.Luxuria generale nomen eſt,extenſum etiã ad exceſſum coniugum,Græcis eſt ἀσελγεῖα aſelgia,Laſciuia,uel(ut Ambro.)Obſcœnitas,dicitur,quod ad mores,geſtus quoq;,& uerba pertinere poteſt. 1111. Idololatria,qua laborant (autore Paulo)uentri & pecuniæ ſtudentes.Aut dici poteſt cultus idolorũ,qualis erat in gentibus, qui hodie non eſt. v.Veneficium,intoxicatio,quod malũ hodie mirè increſcit.Hieronymus interpretatur Artẽ maleficã. Pharmacum enim Græcè uenenum, uel medicamẽtum dicitur.Quò fit,ut Magos,Maleficos,Carminatrices,& qui pactis Dæmonũ uſi illudunt,furantur & nocent proximis ſuis,Apoſtolus intelligat. v1. Inimicitiæ, Simultates,& ſilentia inter ſe odia eſſe uidentur.Iræ,notũ eſt.Rixæ,quæ ſunt,quando aliquis ad contradicendũ paratus,ſtomacho delectatur alieno,& muliebri iurgio contendit,& prouocat contendentẽ.Hæc omnia experientia & exẽplo duorum aduerſariorũ melius,quàm deſcriptione colligi poſſunt.Primùm enim ſunt inimici atq; diſcordes,tum

Fructus quare nõ in carne dicitur ſed opus.

Carnis opera. Fornicatio.

Adulterium. Immunditia. Impudicitia. Luxuria.

Idololatria.

Veneficium. Pharmacum.

Inimicitiæ. Simultates. Rixæ.

des,tum data quacunq; occaſione,mox litigant:litigantes autẽ æmulantur,dum quiſq; alteri ſuperior eſſe nititur,æmulantes autem iraſcuntur:irati autem quærunt utrinq; quod dicant,aut faciant,aut omittant quod alterũ mordeat,aut prouocet,hoc eſt rixantur:Rixantes autẽ diſſentiunt,& quiſq; ſua defendere promptus eſt,alienaq; infirmare.Ex quibus,tunc ſectæ & hæreſes fiunt,dum quiſq; alios in ſuam partẽ trahit,et alteri abſtrahit. Hinc alitur Inuidia, atrox malum, tandẽ in cædes & homicidia ruunt: & hic finis huius mali. Diuus Hieronymus ait,omnẽ dici hæreticum,qui ſcripturã aliter intelligit,quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat.Ebrietas tam ex uino,quàm ex cæteris bibendi generibus, quæ uario modo conficiuntur, poteſt accidere. Ex quo & de ſancto dicitur,Vinum & ſiceram non bibet.Sicera interpretatur ebrietas,ſeu quod inebriare poteſt. Comeſſatio,quæ Lucæ 21. Crapula dicitur. Sicut ebrietas ninium bibendo,ita crapula nimium comedendo grauat corda.Addit Paulus & his ſimilia. Quia quis omnem lernã,& ſentinam carnalis uitæ recenſeat? Partes aliquot ſignauit Paulus,ne Galatæ cauſarentur ſeſe neſcire,quomodo carnis concupiſcentijs reſiſterent.

Ebrietas.

Sicera. Comeſſatio.

Fructus ſpiritus. Spiritum hunc eſſe dicit, qui nihil commune cum carne, & eius operibus habet.Is eſt qui ſpiritalem hominem & iuſtificatum reddit:fitq; bona arbor quæ malos fructus ferre nequit, Matth.7. Fructus ſpiritus ſunt Charitas. Hæc eſt omnium bonorum radix: hac ſummè Deum colimus,& proximo obſequimur, & non inuidemus.hic fructus ſumma eſt legis Euangelicæ. 11.Gaudium.Qui charitate afficitur, ſemper lætior eſt in Deo,cuius gratia omnia peragit & tolerat lætus, etiam in mediis mundi procellis laudans,& benedicẽs Dominum,in camino ignis die ac nocte. 111. Pax.Spiritalis ſuſcepta lætitia conquieſcit, nec ullis animi cogitationibus obturbatur.Quòd ſi quos odio habere uidetur,non eos odit, ſed illorum faſtidit nequitiam: hos ut fratres colit,& odiũ præfert,ut corrigantur,& correctis conducat. 1111.Patientia,Benignitas,Longanimitas,Manſuetudo. Non uidetur tam anxiè quærẽda harum uocum diſcrepantia. Paulus enim hanc bonorum congeriem produxit, non quòd hæc ſola ſint,ſed quòd in his ſit ſumma.Patiens in duris ferẽdis. Longanimis eſt animi magnitudine præditus,& ſapiẽtia ornatus,neq; acceleratè,& præcipitanter, ſed ſenſim & lento gradu,decentes ingerit pœnas. Benignitas eſt uirtus lenis,blanda, tranquilla,& omnium bonorum acta conſortio, inuitans ad familiaritatem,dulcis alloquio, moribus temperata. Hanc Ambroſius uocat Lenitatem. Bonitas autem poteſt eſſe triſtior,& fronte ſeueris moribus irrigata, ad benefaciendum tamen expoſita, nemini nocet,omnibus prodeſt. v. Fides, non illa ſimplex, ſed quæ præ charitatis ardore uel ipſos montes transferat, credatq; omnia apud Deum factu facilia, quæ apud homines impoſsibilia ſunt.Aut fides in proximũ,cui ſumus fideles,tenaces,& ſeruantes pactorum, ac promiſſorum. v1. Modeſtia, Continentia & Caſtitas, quæ non ſolùm abeſcis,& carnis illecebris,ſed etiam ab omni nequitia abſtinendum eſſe docent.

Charitas. Spiritalis.

Gaudium.

Pax.

Patientia.

Benignitas.

Bonitas.

Fides.

Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Quemadmodum calcaribus non indigent equi natura uelociores,ita nec lege Iuſti. Si omnes iuſti eſſent ac ſecundum ſpiritum uiuerent,illis nulla lege eſſet opus:cùm iuſti ſic uiuentes,ſint ſibijpſis lex.

Qui autem ſunt Chriſti. Ambroſius legit Chriſti, in nominandi caſu,numero plurali:non genitiuo.Addit enim eos uocare Chriſtos,id eſt unctos,qui Chriſto deuoti ſunt.

Qui dicuntur Chriſti.

Carnem ſuam. Chriſtus pro nobis, ſeu loco noſtro in cruce pretium noſtræ redemptionis dependit. Fit igitur, ut ſicut ille morte ſua reliquit infirmitates noſtras in-

dutas,& affixit cruci chirographum,& exsolutionem pœnæ,quã loco nostro tulit,& soluit: ita illi per fidem uiuam adhærens mortificat seipsum,seu crucifigit carnẽ suam cum uitijs,& concupiscentijs,resurgens cũ Christo,& eundem induens, filius Dei designatur,& in eo uiuit Christus,cuius gratia omnia in eo fructificãt. Quare legi nihil is debet,cùm illi per Christum tam abundè sit satisfactum,ut amplius quæri non possit. Huius crucifixionis claui sunt Verbum Dei,per impulsum gratiæ Dei,penetrantes,& carnem prohibentes,ne sequamur nostra desyderia. Sic Ecclesiastes ultimo ca. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi: quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno:id est,à Christo,per Apostolos & Prophetas.

Non efficiamur inanis gloriæ. Qui firmi estis, non inflemini aduersus infirmos,inani gloria consistente in æstimatione & opinione hominum. Inuicem prouocantes, more pseudapostolorum, prouocantium quodam clamore Christianos ad certamen:quasi Christiani non possent illis respondere de legis abrogatione,quam prædicant,nuntiantes Christum uenisse. Sed imitemini publicanum illum, qui humilitate sua Deum glorificauit,& Pharisæum confudit. Lucæ 18.

CONCILIATIO.

CVM Paulus superioribus dicat: Viuo autem iam non ego, Viuit autẽ in me Christus. Et 2. Corint. 13. An experimentũ quæritis eius,qui in me loquitur Christus? Quid est,quòd hîc sua autoritate loquitur dicens,Ecce ego Paulus dico uobis? NIHIL hîc pugnantiæ est: imò liquidò comprobatur priore autoritate adducta, quòd hæc uerba, Ecce ego Paulus dico uobis: non quasi Pauli uerba tantùm accipienda,sed Domini, Lucæ 10. Qui uos audit,me audit: Qui uos suscipit,me suscipit. Nam cùm 1. Corin. 7. præmisisset, His autem,qui nupti sunt,denuntio non ego,sed Dominus: & statim intulisset, Cæteris autẽ ego præcipio: ne uilis sua putaretur autoritas, Puto (inquit) quòd & ego spiritũ Dei habeo: ut spiritu & Christo in se loquente,non contemptui duceretur,qui prophetas imitans diceret: Hæc dicit Dominus omnipotens. Vide Hieron. in hoc cap.

QVID est quod hîc Paulus prædicat, Si circuncidamini, Christus nihil uobis prodest: cùm uideatur contrarium ad Roma. 2. dicere: Circũcisio quidem prodest,si legem obserues. & infrà: Quid ergo est amplius Iudæo,aut quæ utilitas circuncisionis? Multum per omnem modum: primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei: Si enim his qui circuncisi fuerint, Christus nihil prodest, quomodo legem custodientibus prodest circuncisio? DICAMVS, (ait Hieronymus) epistolam quæ ad Romanos scripta est, ad eos esse dictatam, qui ex Iudæis, Gentilibusq; crediderant: & hoc egisse Paulum,ut neuter populus offenderetur: quò scilicet suum utraq; plebs priuilegium posset ideret,ut nec Gentiles circunciderentur,nec circuncisi præputium adducerent. Ad Galatas autem scribens,alio usus est argumento. Non enim erant ex circuncisione,sed ex Gentibus,qui crediderant. Nec poterat eis prodesse circũcisio,qui post Euangelij gratiam iterum ad legalia reuerterentur elementa. Et ne resideat ulla dubitatio,quòd circuncisio nihil prosit, sed propter eos qui ex Iudæis crediderant, ad Romanos de circuncisione sententiã temperauit: paulatim ad epistolæ eiusdem posteriora descendẽs, nec circuncisionem,nec præputium aliquid ualere monstrauit. Et 1. Corinth. 7. ait: Circuncisio itaq; nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Qui ergo nouo perscripti sunt testamento,neque si circuncisi fuerint,aliquid consequuntur utilitatis: neque qui præputium habent & incircuncisi manent,aliquid detrimenti,& iacturæ habent,quòd non fuerint circuncisi. Quandoquidem in Fide,quæ per charitatem

tem operatur,cunctarum rerum uertitur cardo.

QVAERITVR, Quomodo Paulus discipulus eius,qui ait, Benedicite maledicentibus uobis: & ipse loquens ad Roma. 12. Benedicite, & nolite maledicere: & 1. Corinth. 15. Neq; maledici regnum Dei possidebunt: Nunc & maledixerit eis,qui ecclesias Galatiæ conturbabant, & cum optantis uoto maledixerit: Vtinam & abscindantur qui uos cõturbant. Tam enim detestanda est abscißionis paßio,ut & qui nõ inuitis etiã intulerit, legibus publicis puniatur, & qui seipsum castrauerit infamis habeatur. RESPONDET Hieron. Non tam furoris in aduersarios, quàm dilectionis in ecclesias Dei uerba sunt,quæ loquutus est Paulus. Videbat quippe totam prouinciam, quam ipse suo sanguine, & periculis ab idololatria, ad Christi transduxerat fidem, subita persuasione turbatam, & dolore apostolico, dolore patris se tenere non poterat: mutabat uocem, & quibus blanditus fuerat, irascebatur: ut quos nequiuerat lenitate, saltem obiurgatione retineret. Aut dici potest, quòd Paulus non tam maledixerit eis, quàm orauerit pro illis,ut eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur. Et quomodo Matth. 18. dictum est, Melius est aliquem sine oculo, sine manu, sine pede, & qualibet alia parte membrorum intrare in regnum cœlorum, quàm totum ire in gehennam. Ita & nunc optare eis magis unam partem corporis perdere, quàm per occasionem integri corporis perpetuo igne damnari. Augustinus ex maledictione facit benedictionem, sic interpretans, quasi Paulus precetur pseudoapostolis, non ut circuncidantur, sed abscindantur: hoc est, spadones fiant propter regnum cœlorum: sic enim futurum,ut desinant prædicare Iudaicam circuncisionem. Hoc commentum malim amplecti, quàm tribuere Paulo imprecationem.

CVM Paulus hîc dicat, Si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit: cur in Actu. 16. cap. contra suam prædicationem uidetur egisse, quando Timotheum circuncidit? AVGVSTINVS dicit primos illos Christianos, qui ex Iudæis crediderant, qui secundum legis ueteris præcepta nati erant atq; instituti, iusserunt Apostoli patrium ritum, traditionemq; tantisper seruare, ut eos quibus hoc opus erat, seruarẽt: & non statim carnis circuncisio prohibita est, ne ex hoc scandalum Ecclesiæ nasceretur: sed paulatim persuadendo ad intellectum perfectum ducerentur. Hoc modo Paulus prudenti quodam consilio, & non simulatione fallaci circuncidit Timotheum Iudæa matre, & patre Græco. Refectio illius præputij, quæ circuncisio dicitur, in se, & ex se non est mala. Quod fecit Paulus, non adhibens fidem illi concisioni, ut coalescerent tandem, ad uerum lapidem angularem Iudæi & Græci. Nam Paulus, qui Iudæis Iudæus factus est, & omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret, hac legis similitudine, dum Timotheum circuncidit, usus est, ut quibuscum uersaturus erat Timotheus Christo eos lucrifaceret. Cauendum maximè erat, ne in huiusmodi operibus certam spem & salutem contineri crederent, quod in primis docebat Paulus.

QVOMODO in his, qui fructus spiritus habeant, & aduersum quos lex esse cessauit, crucifixio carnis domunicæ ponatur esse in laude: cùm ad Hebr. 6. in uituperio sit, Rursum crucifigentes in semetipsis filium Dei, & ostentui habentes. RESPONDEO. Aliud est, Rursum crucifigere, seu Recrucifigere filium Dei, & Crucifigere carnem Christi cum uitijs & concupiscentijs, ut notum est ex prænotatis. Quare nulla est pugnantia.

PVGNARE uidetur hic locus: Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege: eum hoc suprà 4. cap. Cùm autem uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum

Universidad de Deusto
Biblioteca

factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Si Christus sub lege fuit, quid est quod hic dicitur, Si spiritu ducimini, non estis sub lege? Hæc oppositio (ait Hieronymus) de suo soluetur loco. Qui enim propterea factus sub lege est, ut eos qui erant sub lege redimeret, utiq; cùm esset liber à lege, legi se subdidit uoluntate, & multò liberior erat Paulo, qui non sub lege, sed quasi sub lege fuisse testatus est. Similiter ex muliere nasci uoluit, & esse sub lege, ut eos qui nati erant de muliere, & sub lege saluaret. Et certè non est natus de muliere, id est, de nupta corrupta, sed de uirgine. Verùm abusiue uirgo Mulier appellata est, propter illos, qui illam fuisse uirginem nesciebant. Vt itaq; propter illos, qui sanctam Mariam arbitrabantur maritum more nuptarum habere, Mulier pro uirgine posita est: sic propter eos, qui æstimabant Christum esse sub lege, nescientes quia factus esset ijs qui erant sub lege, quasi sub lege, dicitur & ipse factus esse sub lege. Hæc Hieronymus.

CVR Apostolus hìc solam commemorauit proximi dilectionem, qua legem dixit impleri: Omnis lex in uno sermone impletur: cùm Christus Matt. 22. dicat, In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ? AVGVSTINVS hunc ad Galatas locum explicans, ait, Qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, Deum diligit, cõsequens est, diligat & proximum tanquam seipsum. Quia hoc iubet ille quem ex toto corde, &c. diligit. Item, Diligere proximum, id est, omnem hominem tanquam seipsum, quis potest nisi Deum diligat, cuius præcepto & dono dilectionem proximi possit implere? Cùm ergo utrunq; præceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare, plerunq; sufficit, cùm agitur de operibus iustitiæ. Sed opportunius illud de quo facilius conuincitur. Vnde 1. Ioan. 4. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidet, Deum quem non uidet, quomodo potest diligere?

DICTIO.

Iugum seruitutis.

IVGVM seruittutis legem uocat duram, difficilem, laboriosam, quæ die ac nocte cultores suos graui opere consumit. Sicut & Petrus Actu. 15. Quid tentatis, inquit, Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri, portare potuimus?

TROPVS scripturæ firmè habet, ut illud fidei & spei tribuat, quod fide & spe attingitur.

Ire. Ambulare. Ingredi.

TROPVS scripturæ est Ire, Ambulare, Ingredi, Via, Iter, Gressus, Vestigia, et similia: pro cõuersari, imò & pro credere, & diligere, accipi. Nam Deo appropinquatur, ut Aug. placet, affectu & amore, quod est cordis, & animi ambulare. Vnde cõuersationem nostram dicit esse in cœlis, dum sapimus ea quæ sursum sunt, ubi Christus est.

Fermentum duplex.

FERMENTVM duplex est, Vetus, & Nouum, quod manifestat Paulus 1. Corinth. 5. dicens: Expurgate fermentum uetus. Et iterum: Non in fermento ueteri. Vetus est pestilens doctor, pestilens doctrina, pestilens exemplum. De primo & secundo loquitur hìc Apostolus: de tertio 1. Corint. 5. ubi fornicarium iubet auferri de medio, tanquam fermentum uetus: Vt sitis (inquit) noua conspersio. Item Matth. 16. & Lucæ 12. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Quod infrà Euangelistæ ipsi exponunt de doctrina Pharisæorum. Fermentum nouum est Christus, uerbum Christi, & huiusmodi. Matth. 16. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.

Cõcupiscẽtias facere & perficere non idem.

INTER Facere & perficere desyderia carnis, uel spiritus sensu Paulino (ut est apud Augustinum lib. 3. contra Iulianum cap. ultimo) hoc interest: quòd facere concupiscen-

cupiscentias, est eas habere, titillari, & moueri ab illis, siue ad iram, siue libidinem. Sed Perficere, est eis consentire, & eas implere. Hæc sunt opera carnis. Sed eas non habere, aut non facere, tunc erit (secundum beatum Augustinum lib. rhetoricorum) quando nec mortalem carnem habebimus.

Indesinenter benefaciendum est. CAP. VI.

Instruite] ĩstaurate, reñcite

Peccãtes quomodo corripiendi.

Onera fratrum portanda.

Catechisat uerbo,] id est, qui docetur mysteria religionis Christianæ, id est, fidẽ in Christum: quod uerbo fiebat, non scripto.

Prædicatores Euãgelij, alendi. 1. Corinth. 3. b 1. Thessal. 3. c

Operari bonũ.

Domestici fidei.

FRatres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. Nam siquis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Opus autẽ suum probet unusquisq;, & sic in semetipso tantùm gloriã habebit, & non in altero. Vnusquisq; enim onus suum portabit. Communicet autem is, qui catechisatur uerbo, ei qui se catechisat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tẽpus habemus, operemur bonũ ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei.

Fratres. *Non inferiores illos uocat, nihil autoritatis sibi hoc loco uendicat: æquales enim cùm fratres appellat, blanda quadam exhortatione alloquitur.*

Si homo. *Infirmitatem humanam, qua labiles sumus, & proni ad peccandum, explicat dicens: Si homo: quasi diceret: Si uideris fratrem lapsum, non rideas, doleas potius & commiserearis, qui in eodem periculo uersaris. Hortatur ut paratiores & promptiores simus extenuare, quàm aggrauare. Hoc enim diaboli & detractorum est, illud uerò spiritualium.*

Præoccupatus.

Præoccupatus fuerit. *Præoccupatus, præuentus, improuidè lapsus: quasi diceret: Si quis deprehensus sit aliquid commisisse, non statim sunt admouenda supplicia, sed ad correctionem adhibenda medela. Idq; fiat in Spiritu sancto: Hoc est, ita placitum est spiritui sancto, ut leniter castigetur ille. Dignus enim uenia est. Nempe, fragilis est, & uelut homo errore deceptus, & mersus in uoraginem, seipsum sine auxilio & adiutore erigere non potens.*

Vos qui spirituales estis. *Oportet spiritualẽ leniter corrigere præoccupatum in delicto, & officium spiritus sancti, patris sui, sequatur. Spiritus sanctus est consolator. Consolemur igitur inuicem promittentes salutem, & repromittentes ueniam.*

Considerans teipsum. *Cõtemplare te hominem esse, & labilem: ne si talem te non agnoueris, cadas. Quòd autem tam citò mutauerit numerum, quo iuxta grammaticos dicendum erat, Consyderantes, &c. Non absre factum creditur: quòd singularis numerus magis esset idoneus ad compellandam uniuscuiusq; conscientiam.*

Singularis numeri efficacia.

Alter

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alter alterius. *Qui spirituales sunt patrem sequantur Christum, cuius filij sunt. Peccata nostra Onera dicuntur. Psal. 37. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meũ, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quod unus Christus Zach. 3. pro nobis tulit. Patris exemplo Christiana ueritate inuicẽ feramus, & aliorum commiscreamur, quomodo & nostri cõmiserere uolumus. Et hunc in modum communi consensu omnes Christi legem perficiemus, cuius summa, & adimpletio, est Dilectio.*

Sũma legis est dilectio.

Nam si quis existimat. *Qui uerè & humiliter sapit, non superbit, nõ se proximo superiorem ducit. Quòd si quid in se est magnificiẽdum, nõ suum, sed Dei donum agnoscet, & charitati debitum. Quæ quoniam pro suo officio omnia in proximi utilitatem profundere solet, non tuum & tibi proprium, sed commune faciet illud donum. Si eruditus es, hanc eruditionẽ indoctis debes: si episcopus, huius dignitatis partes tuis debes. hoc si consideraueris, non teipsum decipis, & dona tibi collata, dum in proximũ effundis augescũt, & illis copiosius abundas. Existimãt se aliquid esse, qui inflati (subscribunt enim se patres reuerendos, nobiles, & doctores, cùm sartorum, aut sutorũ filij sint, insigniter indocti) suis stultis opinionibus, & somnijs inanibus, habẽt de se mirificam scientiæ & sanctitatis persuasionẽ: & tamen reuera nihil sunt, sed seipsos sua phi lautia tantum decipiunt. Manifesta enim deceptio est, cùm aliquis persuasus est se aliquid esse, & tamen nihil est. Hos suis coloribus depingit Ioannes Apoc. 3. Incipiam (inquit) te euomere ex ore meo: quia dicis, diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es, miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Opus autem suum probet. *Quòd infirmitate ad Christianismũ consequendum alius laborat, non propterea firmior & perfectior Christianus iudicaris. Sed si te propria conscientia non remordet, habes in temetipso gloriam, & non in altero. Probet, id est examinet, & diligenter suas quisq; res gestas disquirat, non autem proximi. Non reprehensus à sua conscientia glorietur apud Deũ de seipso, & non aduersus proximum, in modum Pharisæi, iactantis se, Non sum sicut cæteri hominum, uelut etiam hic publicanus. Lucæ 18.*

Vnusquisq; enim. *Quid superbis, aut inflaris, dum uides proximum peccato obuolutum, aut in lege & ceremonijs manentem, te uerò, baptismo & IESV Christi thesauro ditatum? Erras certè. Nunquid pro eo reddes rationem? Eadem est sententia Roma. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Et sequitur, Vnusquisq; pro se rationem reddet. Hieronymus hortatur ex hoc loco, Paulum obscurè nos commonefacere, dum in præsenti seculo sumus, siue orationibus, siue consilijs inuicem posse nos coadiuuari. Cum autem ante Tribunal Christi uenerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquenq; portare suum onus.*

Præceptorũ & discipulorũ mutua beneuolentia.

Communicet autem. *Præmonuit præceptores quales erga discipulos & auditores sese habere debeant. Instruite in spiritu lenitatis, &c. Et, Alter alterius onera portate. Nunc docet, quales esse debent discipuli erga præceptores, ut uitæ necessaria docentibus Euangeliũ ministrent. De his mentio fit 1. Timoth. 5. & 1. Corint. 9. Omnia bona, uocat hoc loco Paulus, ea quibus instructor eget: hoc est, uictum & uestitum, quibus hîc uiuitur: cùm uerbo intentus, proprio opere acquirere nequeat, à discipulo suo accipiat. Non ergo dicit, In omnibus bonis, quòd singuli omnia sua bona communicẽt doctoribus suis: sed ut discipuli liberaliter præceptores alant, quantum satis est ad uitam commodè tuendam. Quæret aliquis (ait Theophylactus) Cur à discipulis Christus alimoniã iussit præceptoribus ipsis deferri? Id nimirum ea de causa fecit, ne insolescerent*

lescerent præceptores, sed humiles se præstarent, quando præsidio eorum ad uitam indigerent, quos ipsi ad fidem instruerent. Et ut nulla præsentium rerum cura distracti prædicationi solùm uacarent, essentq; discipuli non in præceptorem ingrati, & consuescerent bene instituti in omnes tales se exhibere: simul etiam ne inopes suam erubescerent sortem.

Nolite errare. *Prouidens spiritu eos, qui docentur, & debent magistris sumptus, & uitæ necessaria ministrare, posse obtendere paupertatẽ, & dicere, Ager meus hoc anno aruit siccitate: Vineam grando contriuit: Reditus, qui esse poterant, tributa rapuerunt: non habeo unde tribuam. Quod iubetur adiecit, Nolite errare, Deus non irridetur. Scit (inquit) corda uestra, non ignorat facultates. Hæc Hieronym. Sunt & huiusmodi, qui ideo non tribuunt, quòd præsumant hoc ab alijs abunde fieri. Verùm friuolas istas euasiones Paulus egregiè præoccupat, & dicit ne errent, Deum non irrideri, etiam si hominem fallere & ludere possint. Eadem cura in uetere testamento cautum est, ne ullo modo Leuitarum obliuiscerentur, qui aliud non habeant, quàm quod de populo accipiebant. Accedit ad hoc quod uerbi tractator, ut multos offendat necesse est, & inuidiæ pateat, ut sit summè necessarium hoc præceptũ Pauli, tum propter auaros inuidos, tum propter negligẽtes. Perstringit etiam & acutè mores nostratium tangit, qui securissimè ministeriũ nostrum contẽnunt, quod pro ioco & ludo ducunt. Hoc præcipuè habent quidã nobiles, & diuites, siue rustici, siue ciues, qui suos pastores sibi tanquam uiles seruos obnoxios faciunt. Exclamãt (quando pastores postulant mercedem suam, aut queruntur se inopiam pati) sacerdotes auari sunt, omnibus bonis abundare uolunt. Si uerè Euangelici essent, nihil proprij tenere, sed pauperẽ Christum sequi, & omnia indigna ferre deberent. Hos tyrannos, & subsannatores, qui pastores & sacerdotes rident, interim tamen uideri uolunt Euangelici, & Deum summa religione colere, horribiliter hîc comminatur Paulus, Ne erretis (inquit) Deus non irridetur: id est, non patitur se irrideri in suis ministris. Qui (inquit) uos spernit, me spernit. Et ad Samuelem, Non te, sed me abiecerunt. Ideo ô sacerdotum & pastorum contemptores, & irrisores, non Deum, sed uos ipsos decipitis. Non ridebitis Deum, sed ipse ridebit uos, Psal. 2. Notißimus est ille uersiculus, Non me doctorem, sed te deluseris ipsum. At ferox illa nobilitas, ciues, & rustici, hoc exitio, hac comminatione nihil sentire uidentur: sentient tamen morte instante, an nos, imò non nos, sed ut Paulus hic ait, Deum ipsum, an seipsos luserint. Interim iniurias patiemur, quæ nobis solatio erũt, scientes melius esse pati iniuriam, quàm inferre. Tum quòd sciamus Deum suis non defuturum, qui non sinet ministros suos fame perire.*

Quæ enim seminauerit homo. *Quicquid agimus dicitur semen, quod in agro seminatur, aut in carne, aut in spiritu. Si bonum est, & spirituale, uitæ æternæ fructus redundabit: si malum, & carnale, corruptionem proferet. Obserua interim familiarem allegoriam Pauli: Seminant auaritiæ, qui negant communionem bonorum doctori, ideo metent in præmium auaritiæ. Sic in omni opere bono uel malo dicẽdum est. Quare generalem hanc sententiam, Qui seminat &c. accommodat ad particularem illam causam de alendis ministris, dicens, Qui seminat in spiritu: id est, qui alit doctores uerbi, is facit spirituale opus, & metet uitam æternam.*

Semẽ duplex.

In carne. *Hic carnem pro omni eo, quod aduersatur spiritui, accipit.*

Caro.

Bonum autem facientes. *Proponit futuram retributionem, ut perseuerantes in bono opere longanimiter toleremus etiam aduersa. Facile est incœpisse, sed heroicum*

roicum perſeuerare,& perficere,propter huius mundi inſidias. At non deficiamus:id eſt,ne deſides ſimus,neq; defatigemur in benefaciẽdo. Quemadmodum in ſemine, aliud ſationis, aliud meßis eſt tempus: ſic & in præſenti uita. Sementis eſt huius uitæ uel in ſpiritu uel in carne: Meßis uerò futurum iudicium. Curemus ut ſementis fructum centeſimum & abundantißimum cultori reddat.

Ergo dum tempus habemus. *Beneficentia & eleemoſyna utamur quãdiu hîc agimus. Quia cùm hæc uita tranſierit, operandi tempus auferetur. Hoc nobis apertè inſinuauit Chriſtus Ioan. 9. Operamini dum dies eſt: ueniet nox, quando iam nullus poterit operari. Omnibus paßim benefaciamus ſequentes magiſtrum Chriſtum: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Nec tamen pari menſura agendum eſt in omnes. Sed maior erga fideles præſtanda eſt,& effuſior.*

Videte qualibus literis ſcripſi uobis mea manu. *Qualibus literis]* uel, quanta uobis epiſtola. In carne, id eſt carnaliter, tanquã gloriẽtur de uobis acqſitis diſcipulis. Quicunq; enim uolunt placere in carne, hi cogunt uos circuncidi tantùm ut crucis perſequutionẽ non patiantur. Neq; enim qui circunciduntur, legem cuſtodiunt: ſed uolunt uos circũcidi, ut in carne ueſtra gloriẽtur. *Gloriat in afflictionibus propter Chriſtum.* **Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim IESV, neq; circũciſio aliquid ualet, neq; præputiũ: ſed noua creatura.** *Noua creatura.* Janima fide & baptiſmo renouata. Et quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: Ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti cum ſpiritu ueſtro fratres, Amen.* *Regula Chriſtianorum.* *Stigmata]* Notas

Qualibus literis ſcripſi. *Quo meus in uos amor uehementißimus manifeſtaretur, nolui amanuenſi uti in exaranda hac epiſtola, quã mea manu ſcripſi, qui in pleriſq; aliis ſalutem duntaxat in calce cuiq; impertitam, notaui.*

Volunt in carne placere. *Qui obtemperare deſyderant Iudæis hominibus legem ſeruantibus, cogunt uos ad circunciſionem, ut apud Iudæos gloriẽtur. Et ne crucis & fidei cauſa ullam patiantur afflictionem, quam glorioſum eſt pati, ſicut & Chriſtus pro nobis, & gloria noſtra eſt paſſus. Atq; qui hæc agunt, nõ tentandæ religionis gratia faciunt, ſed tantùm ut glorientur ſe magiſtros eſſe, & uos habere in diſcipulos.*

Mihi autem abſit gloriari. *Chriſtus præceptor noſter contemptum mundi, paupertatem, & paßiones elegit, ut nobis manifeſtaret quod dicitur 1. Corint. 1. Perdã ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. His mundi cõtumelijs ornati Apoſtoli, ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniã digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati. Quare gloriari in cruce Domini, eſt gaudere in afflictionibus pro fide defendenda, certò intelligẽtes, non aliter nos mundũ & eius inſidias ſuperaturos, quàm crucifigendo carnem noſtram cum uitijs & concupiſcẽtijs. Quempiam eſſe crucifixum mundo, eſt non mundũ, ſed Chriſtum in ipſo uiuere, habere carnẽ cum uitijs & cõcupiſcẽtijs crucifixam, & mortificatam, ſpiritui ſubiectam, qua nõ ſapiat* *Crucifigi mundo.*

piat ea quæ ſuper terram ſunt, ſed in Chriſto totus ſit, & ab eodem pendeat.

Mundum. *Præſentis uitæ bona appellat, gloriã ſcilicet, opes, & delicias cæteras. His, ſeu mũdo, Paulus mortuus, ſeu crucifixus eſt: id eſt, his rebus nil oĩno deditus.* Mundus.

In Chriſto enim Ieſu. *In cruce IESV Chriſti, ſicut ille Adæ ueteris imperfectiones ſeu infirmitates acceptas reliquit, & reſurgẽs uitã corpori dedit immortalẽ: ita nos mori cum illo ſi uolumus, abnegemus carnẽ, & Adamum ueterem, ut cũ illo reſurgentes ſiue per baptiſmum, ſiue per fidẽ in illum, ſiue per pœnitentiam uiuamus, & ſit in nobis noua creatura, ſeu renouemur ſpiritu mẽtis noſtræ, & induamus nouũ hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate ueritatis: hoc eſt, ut in Chriſto reſplẽdeamus ſancti & ueri, & non in Adamo uetere qui caro eſt: à quo cùm neq; circunciſio, neq; præputium nos liberauerit, ſed ſolus Chriſtus, quid reliquum eſt, quod quærere poßimus ex illis, niſi uanum & inane? Noua creatura, dicitur ſpiritualia uita, à Deo creata per gratiam IESV Chriſti, quæ nũquàm ueteraſcit, ſed ſemper noua fructificat, & augeſcit ad nouitatem futuræ felicitatis æternæ.* Ephes. 4. Noua creatura.

Quicunque hanc regulam: *Id eſt, quiſquis in cruce Domini gloriabitur, & cui mundus fuerit crucifixus, & ipſe mundo, pacẽ illam perpetuam & miſericordiam conſequetur. Pacem, id eſt Dei fauorem remißionem peccatorum & conſcientiæ tranquilitatem, Miſericordiam, Auxilium in afflictionibus.*

Super Iſraël Dei. *Iſraël Dei dicit, diſcernens ab Iſraël ſecundum carnẽ, ut 1. Corinth. 10. appellat, Videte Iraël ſecundum carnem. Super Iſraël Dei: id eſt, ueros Chriſtianos. Neq; enim omnes qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ. Rom. 9.* Iſraël Dei.

De cætero nemo. *Videtur cum indignatione & ſtomacho hæc pronuntiare. Quaſi dicat: Ego docui uos purè Chriſtum, nihil obmiſi, quod duxi in rem ueſtrã eſſe. Qui hãc doctrinam ſequi noluerit, abeat, ſequatur quod uelit, modò in poſterum nihil negotij mihi faciat.*

Ego ſtigmata domini Ieſu. *Stigma Græca uox eſt, ſignificans notam impreſſam. Solent autem ſerui Dominorum ſuorum inſignia, & arma, & colores, imò et notas in facie, candente ferro impreſſas, gerere, ne quis alienus illos pro ſuis poſſet aſſerere. Sentit igitur Paulus ſe certas habere notas, quòd ſit ſeruus IESV Chriſti, pro quo tã multa paſſus fuerat. Toties cæſus uirgis, toties lapidatus, toties obiectus beſtijs, toties coniectus in uincula. Ex his omnibus ſibi parat autoritatem aduerſus pſeudapoſtolos. Illi gloriabantur in cicatricibus circunciſorum: Paulus in ſuo corpore circunferebat notas crucis Chriſti. Tali igitur doctori potius credendum, quàm delicatis, qui in alieno uulnere gloriantur. Dici poteſt præter hæc: Quia Paulus libenter allegorijs et metaphoris militaribus utitur, Stigmata omnino pro inſignibus uitæ Chriſtianæ accipi, quæ ſunt carnis crucifixiones & ſubiectiones, & fructus ſpiritus. Neq; Habeo, dixit: ſed, Porto, & gero, perinde ſcilicet ac trophæum aliquod, & inſigne regiũ altius, & cunctis uiſendum, attollo.* Stigma.

Gratia domini. *Non arbitremini ſi quid forſan durum aduerſum uos audieritis, me odio ueſtri, & malo animo dixiſſe. Ego certè uobis bene precor, & opto abundetis gratia, qua Euangelium recepiſtis, & legem inanem, & inutilem agnouiſtis ad ueſtram iuſtitiam. Cùm Fratres appellat, baptiſmi admonet, quo fratres ſumus omnes effecti à patre uno IESV Chriſto, & non à lege progeniti.*

CONCILIATIO.

QVOMODO hîc Paulus, *Si præoccupatus fuerit, &c. his qui in aliquo peccato præu*

t

Universidad de Deusto
Biblioteca

to præuenti fuerint, non uirgã adhibet sed ſpiritũ mãſuetudinis, cùm 1. Corint. 4. dicit, Se uenire ad peccatores non in ſpiritu manſuetudinis, ſed in uirga? RESPONDEO. Corinthijs hoc modo eſt loquutus, qui poſt peccatum non ſentientes errorem ſuum nolebant maioribus ſuis ſubdi. Sed cùm peccator intelligens uulnus ſuum, tradit ſe medico curandum, ibi non eſt uirga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis.

VIDETVR Paulus in hoc capite contraria & pugnantia ſcribere, cùm ait, Alter alterius onera portate: Et, Vnuſquiſq; onus ſuũ portabit. Si enim onus ſuũ unuſquiſq; portabit, alter alterius onera portare non poterit. NIHIL pugnantiæ habent illi loci. Quòd ibi, Alter alterius, &c. præceperit, ut peccantes in hac uita nos inuicẽ ſuſtentemus, & in præſenti ſeculo alterutrum auxilio ſimus: Hìc autẽ, Vnuſquiſq; onus, &c. de Domini dicat in nos iudicio: quod nõ ex alterius peccato & cõparatione deterioris, ſed iuxta noſtrũ opus, aut peccatores ab eo iudicemur, aut ſancti, recipiẽte unoquoq; ſecundum opus ſuum. Obſcurè (ait Hieronymus) licet, docemur per hãc ſententiam nouum dogma quod latitat dum in præſenti ſeculo ſumus, ſiue orationibus, ſiue conſilijs inuicem poſſe nos coadiuuari. Cùm autẽ ante tribunal Chriſti uenerimus, clauſa erit ianua, & unuſquiſq; ſuum portabit onus. Ad hanc cõciliationem reſpondẽs Auguſtinus lib. 2. de cõſenſu euangeliſtarum, cap. 30. Oneris nomẽ accipi docet. Alia ſunt onera participandæ infirmitatis, alia reddẽdæ rationis Deo de actibus noſtris. Illa cum fratribus ſuſtinenda communicantur, hæc propria ab unoquoq; portantur.

Onus multiplex.

QVID hìc Paulus ait, Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti: cùm alijs in locis de alijs glorietur. 2. Corinth. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Chriſti. Et 1. Corinth. 9. Bonũ autem mihi eſt magis mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. CERTÈ omnis illa gloria ad crucem relata, gloria crucis eſt, & quicquid dignum in uirtutibus perpetratur, hoc fit ob Domini paßionem, & crucem.

DICTIO.

Præoccupatus. PRAEOCCVPATVS, præuentus antequàm potuerit cauere, improuidè lapſus.

Catechizare. CATECHIZARE, eſt tradere myſteria religionis Chriſtianæ, inſtruere, docere, erudire. Vnde Catecheſis, Catechiſmos, id eſt, inſtructio: Catechumenus, inſtructus, ſeu qui uerbum Dei audit. Catechizatur hoc capite dicitur, ſicut dicitur docetur grammaticam.

STIGMA Græca uox eſt, ſignificans notam impreßam, ut præmonuimus.

Meſsis duplex MESSES duæ, corruptio, & æterna uita.

FINIS.

Latini ab Epheſo, Græci ab urbe Roma ſcriptam epiſtolam ad Galatas dicunt.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

ARGVM. EPIST.

Paulus hac epiſtola Epheſios, quum in fide perſtitiſſent, hortatur, ut quà cœperunt pergant, de arduis myſterijs ſubobſcurè tamen cum illis diſſerens, ac demum cuique ætati & hominum conditioni rectè uiuendi modum præſcribens.

LOCI INSIGNES.

1 De diuina prædeſtinatione, Quòd prædeſtinati ſumus, antequam mundus fieret ſecundum beneplacitum Dei. (Cap. I. II. & III.) ut habeamus de quo gaudeamus, nempe de ſalute gratis data.
2 Deus in Chriſto toti orbi omnem dedit plenitudinem. Cap. I. II. III.
3 De cognitione huius gratiæ ut agnoſcamus uirtutem ſpiritus Dei operãtis in nobis. Cap. I. & quod omnes homines naſcuntur filij iræ.
4 Hæc gratia donum Dei eſt, non ex operibus noſtris. Cap. II.
5 Quòd ad hanc gratiam nos gentes pertineamus: & quod antea incognitum erat, reuelatum eſt. Cap. II. & III.
6 De abrogatione legis. Non enim in unum corpus coire potuerunt Gentes cum Iudæis, niſi hoc per Chriſtum ablato interſtitio. Cap. II. III.
7 De unitate ſpiritus, & unitate doctrinæ. Cap. IIII. Poſtquam unum corpus facti ſumus, ne circunferamur omni uento doctrinæ.
8 De unitate Chriſti & eccleſiæ ſub typo matrimonij. Cap. V.
9 De non contemnenda, imò nullis humanis uiribus ſuperanda colluctatione aduerſus & uim & inſidias ueteris ſerpentis. Cap. VI.

Per Chriſtum omnia inſtaurantur. CAP. I.

In Chriſto] uel, ipſi Chriſto

PAVLVS Apoſtolus IESV Chriſti per uoluntatem Dei, omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto IESV Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino IESV Chriſto. Benedictus Deus et pater Domini noſtri IESV Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu eius, in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per IESVM Chriſtum, in ipſum: ſecundum

Gratiarũ actio. 2. Corinth. 1. a 1. Petri 1. a

Benedictio. Electio.

Immaculati] irreprehẽſibiles
In adoptionem filiorũ.] ut adoptaret filios,
In ipſum:] uel, in ſeſe:

Filij.

propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, (remissionem peccatorum) secũdum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentm uoluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. In quo etiam & nos sorte uocati sumus: prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium uoluntatis suæ: ut simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Christo: in quo & uos cùm audissetis uerbum ueritatis (Euangelium salutis uestræ) in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

Propositũ] beneplacitum
Gratificauit] gratos nos reddidit
Quę superabũdauit in nobis.] de quo nobis ubertim impertiuit,
Sacramentum] arcanum
In eo, in dispensatione] in seipso usq; ad dispensationem
Instaurare] ut summatim instauraret
Sorte uocati] in sortem, uel, hęreditatẽ ascíti.
Cõsilium] uel, decretum
Pignus uel, arrabo

Spiritus Sanctus.

Apostolus Iesu Christi. *Epithetis semper Paulus, ad institutum suum facientibus uti solet. Describere uult Ephesijs hac epistola synceriorem Christianismi rationem, & salutem per Dominum nostrum* IESVM *Christũ nobis partã. Se igitur Apostolum & legatum* IESV *Christi dicit: uolens significare, se non aliud, quàm salutis illorum negotiũ ex mandato Christi, & uoluntate patris, apud illos hac epistola acturum: atq; breui hoc titulo Ephesiorũ animos beneuolos & attentos sibi reddidit. Quis enim non ex animo uelit, & studiosè quidem, audire legatum* IESV *Christi, qui suos spiritu sancto donatos, iustos & beatos reddidit? Hìc monemur, Neminem posse legatum Christi esse, gloriæq; eius uerum præconem, nisi ex uolũtate, mißioneq; Dei. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Roma. 10.*

Legatus Christi.

Per uoluntatem Dei. *Nemo legatum* IESV *Christi aget, hoc est, Euangelium synceriter annuntiabit, nisi ad hoc opus ex uoluntate Dei sit extensus, & impulsus. Et non ut pseudapostoli, qui ueniunt à semetipsis, non à Deo uocati. Paulo frequens est, indifferenter loqui per has præpositiones* Per, & Ex, *ut idem exprimat dicens,* Per *uoluntatem, seu* Ex *uoluntate.*

Per & ex præpositiones sunt ad idẽ pronuntiandum.

Omnibus sanctis: *Id est, Deo consecratis, & deditis. Aduerte quàm homines hi, ea tempestate, uirtute pollerent, ut eos & fideles appellet, & sanctos uiros, præsertim huic uitæ temporariæ deditos, qui uxores haberent, & liberos. Istiusmodi forsan neque in montibus hoc tempore, neque in speluncis pleroſque inueneris.*

Sancti.

Fidelis in Christo.

Fidelibus in Christo. *Addidit in Christo: nam & siquis reddat depositum, si quis commodata non abneget, fidelem amicum se exhibeat, animam magis quàm fidem paratus sit prodere (quod de nonnullis philosophis legimus) is fidelis est: sed non in Christo. Hieronymus. Fides ex propriæ mentis descendit arbitrio, sed sanctitas qua quis sanctus est, interdum ex sanctificantis largitate, absque uoluntate nostra, interdum autem cum uoluntate nostra. Oportet ergo rebus nostris agendis Christum præstituere.*

Sanctitas.

Gratia

Gratia uobis, & pax. *Gratia, id est, fauor Dei: Et Pax, id est prosper rerũ uestrarum euentus & successus. Scriptura enim nomine pacis prosperas res intelligit. Sic Ioseph fratres suos rogabat, Genes. 43. Nunquid pax est patri uestro? ac si dixisset, Nunquid bene habet pater uester, & prospero rerum successu fruitur? Sic Paulus precatus est, & optauit, ut beneuolentia Dei & fauore, ac inde uera prosperitate rerumq; beato successu fruerentur.*

Gratia. Pax.

Benedictus Deus. *A gratulatione incipit. Benedictus, supple sit, Deus benedictione laudis: id est, sit laus Deo, gratias ago Deo. Nomen naturæ est Deus, Pater, nomẽ primæ personæ trinitatis. Hic obliquus, Domini nostri* IESV *Christi: potest ad utrunque referri, tum Deum tum Patrem: nam Deus, est Deus Domini nostri* IESV *Christi, secundum humanam naturam: & est Pater naturalis eiusdem, secundum diuinam: iuxta illud: Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum. Deum meum, & Deum uestrum. Deum uocat patrem nostrum, ne trepides accedere ad tantam maiestatem, qui nomine patris uult à nobis appellari.* IESVM *autem uocat Dominum, ne cõtemnas, quòd propter te susceperit formas crucis.*

Deus nomen naturæ.

Qui benedixit nos. *Id est, qui benefecit nobis, non in aliquo tantùm, sed in omni beneficio spirituali supercœlesti: non in nobis ipsis, sed in Christo* ISSV, *cuius sumus membra. Dona Dei ideo Cœlestia dicuntur, quia nihil eorũ uel terrenus Adam percipit: dicuntur & spiritualia, quia operatur ea in nobis spiritus Dei, cùm nihil tale possit caro & sanguis. In his donis agimus gratias Deo. Benedictus Deus: id est, sit laus Deo, gratias ago Deo. In omni benedictione: id est, multiplicatione, siue augmento. Quod corporale est, quando præstat Deus externa: & spirituale est, quando præstat interna, & inuisibilia: ut, gratiam, pacem, hæreditatem cœlestem.*

Donũ Dei duplex.

Benedictio duplex.

In cœlestibus. *Ter ponitur in hac epistola, In cœlestibus: id est, in superioribus: siue, in rebus quæ sunt supra nos, quæ sunt inuisibiles, & iudicio carnis non apparentes. Hoc dictũ putauerim, quòd in fine epistolæ dicitur, Aduersus spirituales nequitias in cœlestibus. In aëre enim isto, qui etiam Cœlum appellatur, agere spiritus nequã Paulus in hac epistola non semel dixit. Aut adiectũ putato, In cœlestibus: ad explicandum quid benedictionem spiritualem uocasset. Eadẽ nanq; bona sunt Cœlestia, quæ et Spiritualia, nimirum quibus ditatos & Corinthios Apostolus scribens, illis gloriatur.*

Sicut elegit nos. *Vt mox omnia diuinæ bonitati, & nihil nostro merito tribuendum doceat, commemorat hanc spiritalem benedictionem, & cœlestes opes cognitionis Dei, & uitæ diuinioris inde nobis prouenire, quòd ante cõditum mundũ nos Deus per Christum in hoc elegerit, ut simus sancti, & ipsius quoq; iudicio inculpati.* Electio, *significat optionem alicuius, refutato aliquo: hoc modo, Deus elegit nos: id est, discreuit nos ab alijs non electis. Sed hæc Electio non est seiuncta, seu ut dicamur seorsum electi, sed iuncti Christo, ut membra capiti. Et hæc Electio non noua, sed ab æterno, & ante mundi iacta fundamenta. Post declaratam segregationem, seu electionem à malis, manifestat prædestinationem, qua ab æterno ordinamur ad bonũ adoptionis per* IESVM *Christum in ipsum, supple Deũ: id est, ut nos essemus eius filij, & ipse esset pater noster. Obserua hìc quendam ordinem: Primũ locum habet Electio, & prædestinatio: proximum Adoptio in filios, quæ aliàs Vocatio dicitur, dum nimirũ spiritu suo donatos, ad se Dominus trahit, suiq; cognitione donat quos ab æterno ad hoc deputauit. Tertio loco succedit Vitæ sanctimonia, & Dilectionis officiositas, qua bona operà proferuntur, quæ uidentes homines, patrẽ cœlestem, cuius beneficio ea prouenũt, glo-*

Electio.

Christianismi summa.

rificant: ut ita quartum in sanctis sit, Gloria Dei, ex iustitia, qua illos dignatio Dei ornat, resultans. Habes ex hoc Pauli textu, summam totius rei Christianæ: Vt simus sancti per fidem uiuam coram Deo: inter nos uerò mutua charitate coniungamur.

Propositum diuinum.

Secundum propositum. Id est, secundum beneplacitum uoluntatis suæ. Nec te lateat, cùm audis Beneplacere: aduerte, quòd uoluntas diuina est sibi ipsi lex, ac per hoc non mendicat bonitatem ab extrinseco superiori, nec à nostris meritis, seu demeritis obiectiuè. Et id est Beneplacere, quod ipsa uult esse beneplacitum. Explicat Paulus in prædestinatione Beneplacitum diuinæ uoluntatis, ad tollendas quæstiones disputantium de uoluntate prædestinantis: apertè insinuans, quòd bonitas huiusmodi propositi est apud diuinam uoluntatem, & non apud merita istius, uel illius.

Diuina gloria unde.

Prædestinatio ex gratia.

In laudem gloriæ gratiæ suæ. Laudanda est diuina gloria, nõ solùm penes gratiam, sed etiam penes iustitiam. Ex utraque enim consurgit diuina gloria. Sed Prædestinatio non ordinatur ad laudem gloriæ consurgẽtis ex iustitia, sed in laudem gloriæ consurgentis ex gratia: quoniã non nostris meritis, sed ex gratia Dei per IESVM designamur filij Dei. Propterea dicitur, In laudẽ gloriæ gratiæ suæ. Dicet aliquis: Est ergo gloriæ cupidus Deus. Respondet Theophylactus: Nequaquã. Nã nullius rei indiga est diuinitas: sed uult sanè à nobis gloriã consequi, hoc est, à nostris rectis operibus, ut illũ maiori charitate sectemur. Nam qui diuina in se collata beneficia demiratur, pro sua uirili dat operam, ne Deum, de se quàm optimè meritum, quoquam pacto offendat. Et quoties bona accepta memoria repetet, magis ac magis largitorem hunc colet. Vult maximè Deus, ut nemo pereat: & ne, qui fuerint deteriores effecti, perdantur.

Deus non est gloriæ cupidus.

Gratia duplex.

Gratificauit. Theologi ex hoc loco uulgatam illam distinctionem accipiunt, inter gratiam gratis datam, & gratum facientem. In qua gratia, seu hac gratia ipse nos gratificauit, id est, gratos & charos reddidit: In dilecto filio suo: id est, per filium IESVM Christum, quem unicè amat, adoptauit nos in filios, & nos sibi recõciliauit: hoc est dilexit nos ut filios, idq; propter amorẽ quo ineffabiliter amat unigenitũ, non enim potuit odisse illos, quos filius suo sanguine redemerat, et sibi in peculiũ cõsecrauerat.

Quare Deꝰ gratiam omnibus prædicari uoluit.

Secundum diuitias. Gratiam omnibus prædicari uoluit, ut scias quòd pater esse maluit, quàm iudex: sic enim dixit in Ezechiele 18. Nolo mortem peccatoris. Abunde effusum est, tantùm accipiamus: Dedit non solùm gratiam, sed etiam gratiæ cognitionem.

Sapientia. Prudentia.

Sapientia, id est, intellectu spirituali: Prudentia, qua cauemus rursus cadere in infidelitatem. Sapientia, qua intelligamus quæ Dei sunt: Prudẽtia facit caueamus seduci iterum uarijs doctrinis.

Sacramentum uoluntatis. Id est, Euangelium. Hieronymus legit, Mysterium uoluntatis.

Secundum beneplacitum. Id est, sua uoluntate & beneuolẽtia patefecit nobis arcanum uoluntatis, siue id mysterij quod apud se decreuerat. Quòd si quis rogauerit, Quare tandiu hoc mysterium celauerit. Respondet Paulus, Sic uisum est ei qui nihil potest uelle quod non sit optimum.

Dispẽsatio plenitudinis temporis.

In dispensatione plenitudinis temporum. Hoc maximè conuenit illi sententiæ, Non est uestrum, nosse tempora, uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Arcana siquidem diuinæ uoluntatis sunt in dispensandis temporibus, non imperfecte, sed plenè. Plenum siquidem tempus dispensauit unicuiq; rei, quam efficere proposuit. Et cuiusque temporis plenitudo latet in mysterio diuinæ uoluntatis. Verbi gratia, Aliam plenitudinem temporis dispensauit pro inchoanda circuncisione, aliam pro donatione

donatione legis, aliã pro promissione Messiæ Dauidi, aliam pro institutione baptismi, aliã pro uocatione gentiũ. Hæc enim dispẽsatio plenitudinis temporũ est ea, quã pater posuit in sua potestate. Ea est, quæ cõtinetur in mysterio, & arcano diuinæ uoluntatis.

Mysteria oĩa habent in Christo.

Instaurare omnia in Christo. Vniuersa mysteria, & omnis dispensatio uetustatis, non solùm quæ in terris, sed etiam quæ in cœlis gesta est, in Christi passione completur: neque necessarium duco (ait Paulus) siue manifesta, siue occulta & incognita mysteria, quæ ante Christum fuere, recensere: Quia in uno Christo omnia teneo. Imò diligenter attendite, quòd non solùm omnes historiæ scripturarum, quas in terra gestas Spiritus sanctus enumerat, sed etiam in cœlestibus, quæ nobis occultæ sunt, in Christi passione recapitulantur, & continentur.

Vocati sorte.

In quo etiam & nos sorte uocati. Vocati, non fortuito, sed sorte, parte, & hæreditate. Adludit ad electionem populi in partem seu hæreditatem Dei, iuxta illud: Pars autem Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius. Ad literam significat, Quod Iudæorum ad Christum conuersio non est ex meritis eorum, unde sunt pars & hæreditas Domini, sed secundum propositum uoluntatis Domini Dei, omnia secundum consilium suum agentis.

Vt simus in laudem gloriæ eius. Hac periphrasi, Nos, qui ante sperauimus in Christo: Iudæos Christo credentes significat: puta se, cum alijs Apostolis, & discipulis, qui crediderunt, siue sperauerunt in Christo antequam Gentes, è quarum numero sunt Ephesij, qui posteri prædicante Paulo. Crediderunt & sperauerunt: de quibus additur, In quo, id est, per quem Christum, & uos scilicet estis, qui audistis uerbum ueritatis Euangelij salutis uestræ. Hæc est uera huius loci intelligẽtia. Gentes enim docet æquè ac Iudæos ad hanc reuelatam quoq; Christi pertinere gratiam, ut uides cap. 2 & 3. Prædestinauit ergo nos sua beneuolentia, ut simus in laudem gloriæ eius: id est, ut nos laudemus gloriam nominis eius, clementiam & bonitatem eius.

In quo & credentes. In quo, Euangelio scilicet in Christo: & uos credentes, id est, hac fide uiua per Christi gratiã susceptã, obsignati iam estis, ita ut notum sit iam, uos de Christi sorte, seu hæreditate esse.

Spiritus promissionis.

Spiritus promissionis. Spiritus promissionis, id est, spiritus promissus, quem promisit Christus credentibus. Qui quia datus est in cordibus, certum pignus est, quòd Deus in reliquis promissis non fallet.

In redemptionem acquisitionis: Hoc est, in redemptionem nostri, quos cõdidit, peccato amissos, sanguine acquisiuit & redemit. In laudem gloriæ ipsius: hoc est, tanto beneficio donati in hoc toti simus, ut gratias agamus, & laudemus liberalissimum & munificentissimum erga nos miserum Deum.

Gratiarũ actio.

Propterea & ego, audiens fidem uestram quæ est in Christo IESV, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro uobis memoriam uestri faciens in orationibus meis, Vt Deus (Domini nostri IESV Christi pater) gloriæ, det uobis spirium sapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis uestri, ut sciatis, quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ

In agnitionem eius,] Per agnitionem sui.

Vocationis eius,] Ad quam ille uocauit.

Universidad de Deusto Biblioteca

Christus ſuſcitatus à patre.

sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Caput eccleſiæ. Pſalm. 8. c

Corpꝰ Chriſti.

Supra omnem eccleſiam,] Super omnia, ipſi eccleſiæ.

Plenitudo] Cõplementum

Adimpletur.] Vel, implet.

Propterea & ego audiens. *Nunc more suo Ephesijs memorat quanti faciat, quòd & ipsi Christum cognouerunt. Nam pro eo indesinenter gratias agit, testaturq; se precari, ut in ea cognitione promoueant.*

Pater gloriæ. *Basilius Gloriam pro unigeniti diuinitate accepit. Ita ut eiusdem sit, & unius Christi, & Deus & pater: Christi quidem, id est, humanitatis Deus: Gloriæ autem, hoc est diuinitatis pater.*

Det uobis spiritum sapientiæ. *Precatur Paulus, ut Ephesijs oculi illuminentur, quò sciant, quid sibi ex uocatione sua sperandum sit, & quæ sit opulenta gloria hæreditatis, ad quã uocati sunt, quæ deniq; præcellens uirtutis magnitudo, qua ex peccatis, & misera mortalitate, ad illam immortalem, & beatam uitam perducentur, secundum efficaciam eandem, qua Christus è mortuis ad dexteram patris, omnium princeps & caput, atq; instaurator huiusmodi est constitutus, ut secundum eandem potentiam & efficaciam, illos electos membra sua, malis omnibus exemptos, beatos in cœlestibus, id est, in inuisibili gloria sit redditurus. Quòd hîc Paulus memorat, Christũ super omnem principatum & potestatem constitutum, facit ad commendationem crucis, à cuius humilitate in tantam dignitatem euectus, iuxta id Philip. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Si etenim ipsi Christo ad tantam gloriam profuit, quòd sese ad mortem usq; crucis humiliauit: & nobis proderit ad gloriam, abnegare nosmetipsos, & crucem nostram quotidie assumere.*

Principatus. Poteſtates. Virtutes. Dominationes Throni.

Supra omnem principatum. *Ac si diceret: Esto, sint uarij angelorum ordines, sint qui Principatus rectè uocentur, quòd inter alios ac etiã super homines principes agant: sint Potestates, quorum auspicijs omnis potestas & magistratus in terris geratur: sint Virtutes, quorũ opera inter homines mira fiant: sint denique Dominationes, quorum auspicio alij alijs dominentur: sint etiam Throni, per quos uaria Dei iudicia exerceantur: Nihil tamen est, utcunq; nominetur, tam excellens, cui non superemineat Christus.*

Chriſtus caput eccleſiæ.

Et ipsum dedit caput: *Id est, dedit illum, ut sit caput ecclesiæ, præpositus uniuersis: Vt non solùm excellat membra sua, uerum etiam uniuersa condita in cœlo & in terra. Cùm ergo ille caput sit nostrum, ecclesiæ suæ, omnia cum ipso cõmunia habebimus, quomodo membra cum capite, nos felicitate cum illo fruemur. Eius præterea erit, nos in omnibus ducere, & uiuificare, qui nihil prorsus sine ipso poterimus. Cumq; omnia in omnibus perficiat, ut per eum omnia condita sunt, nos tamen plenitudo eius idèo rectè dicimur, quod in nos scilicet uirtutem & beneficentiam suam effundit cumulatißimè,*

latißimè, suamq; in nobis potißimè diuinitatẽ ostentat. Dici potest in hunc sensum: Quæ ecclesia est corpus, supple mysticum, ipsius Christi: Et, pro, id est, Aut legatur sine particula coniunctione Et, appositiuè, Plenitudo eius: id est, corpus plenum, seu perfectum, omnibus suis membris & numeris constans. Qui Christus, impletur omnia in omnibus: id est, Christus implet omnia, & singula sui corporis membra, in omnibus partibus, spiritali quadam uita, longè copiosius & excellentius, quàm anima singulas sui corporis partes uiuificando. Verbo Impletur, in textu Græco correspondet participium mediũ, quod actiuè & passiuè sumi potest.

CONCILIATIO.

QVI fieri potest, sanctus quis, & immaculatus sit coram Deo, ut hìc Paulus ait, cùm Propheta Psal. 14. dicat, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. NON dicit Paulus, Elegit nos ante constitutionem, cùm essemus sancti, & immaculati: sed, Elegit nos, ut essemus sancti, & immaculati: hoc est, qui sancti, & immaculati ante non fuimus, ut postea essemus. Quod & de peccatoribus ad meliora conuersis dici potest. Et stabit illa sententia, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: id est, in tota uita sua, in omni quo in mundo isto conuersatus est tempore. Non enim (ait Hieronymus) eliguntur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant sancti, & immaculati: sed eligũtur, & prædestinantur, ut in consequenti uita per opera atque uirtutes, sancti & immaculati fiant. Deinde & sic sentiendum est, quia non dixerit, Non iustificabitur in conspectu tuo quispiam uiuens: sed Omnis uiuens: id est, non iustificabuntur omnes, iustificabuntur uerò aliqui. Vide Hieronymum in hoc cap. Aut, Quia omnes nascimur filij iræ, non est iustus quisquam, nemo ex se est, qui proferat iustificationem: cùm omnes nostræ iustitiæ sint tanquàm pannus menstruatæ.

HVIC loco, Omnia subiecit sub pedibus eius: uidetur alius locus esse contrarius, qui scribitur 1. Corint. 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Cùm autẽ ei subiecta fuerint omnia, & ipse filius subijcietur ei, qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. RESPONDET Hieronymus, aut secundum præscientiam id quod futurum est, quasi iam factum esse commemorat: aut certè si de præterito sentiendum est, sic debemus accipere, quòd etiam ea quæ non sunt ei uoluntate subiecta, naturæ conditione deseruiant: uerbi causa, Dæmones, Iudæi atq; Gentiles. Non enim seruiunt Christo, nec subiecti sunt pedibus eius: & tamen quia ab eo in bonam partem creati sunt, subditi sunt potestati eius inuiti, tametsi aduersum eum regnent liberi arbitrij uoluntate. Lege Hieron. in hoc cap.

DICTIO.

EPHESVS Asiæ minoris metropolis erat: huius incolæ Dianam colebant, non hanc uenatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est: sed illam Multimammiam, quam Græci πολυμάστον uocant: ut scilicet ex ipsa quoq; effigie mentirentur omnium eam bestiarum & uiuentium esse nutricem. Scribebat autem Paulus ad metropolim Asiæ ciuitatem, in qua ita idololatria, & quod semper idololatriam sequitur, artium magicarum præstigiæ uiguerant, ut Demetrius diceret, & magnæ deæ templum Dianæ in nihilum reputabitur, destruetur quoque magnitudo eius, quam cuncta Asia & uniuersus orbis colit. Denique triennio ibi Apostolus moratus est, nocte & die Dei Euangelium prædicans, ut idololatriæ arce destructa, facilè minorum urbium templa caperentur. Vt autem sciatis eos qui in Epheso crediderant dæmoniacis præstigijs & Magiæ fuisse artibus obligatos, Act. 19. dicitur: Plurimi quoque eorum qui curiosa gesserant, Epheſus.

comportantes libros, combusserunt coram omnibus: & computauerũt pretium eorum, & inuenerunt argenti quinquaginta millia: quæ summa supputatore Gulielmo Budæo doctissimo quinque millia coronatorum ualet. Sic potenter Domini uerbum crescebat, & confortabatur. Ea in urbe Ioannes Euangelista relegatus diu uersatus est, & uitam demum multo senio exactam finiuit. Finito triennio ad Pentecosten abijt Paulus relicto Timotheo, ecclesiaste & episcopo Ephesiorum. Ephesij in abeuntis collum ruentes (ut ait Hieronymus) osculis atque complexibus suis indicauerũt unum se cum eo scientiæ habere thesaurum, & magistri desyderium lacrymis contestati sunt. Scribit autem epistolam hanc, sensibus altissimis plenam, refertamq; diuinis mysterijs. Hieronymus in præfatione commonet Origenem tria uolumina in hanc epistolam conscripsisse, quem ipse ex parte sequutus est. Apollinarem etiam & Didymum commentarios scripsisse, ex quibus aliqua decerpsit.

Electio. ELECTIO *significat optionem alicuius refutato aliquo. Nemo enim eligitur nisi de pluribus.*

Sanctus. Immaculatus. INTER *Sanctum & immaculatum hoc interest, quòd Sanctus & immaculatus quoque intelligi potest: Immaculatus uerò non statim & Sanctus. Paruuli quippè immaculati sunt, quia integro corpore nullum fecere peccatum: & tamen non sancti, quia sanctitas (ait Hieronymus) uoluntate & studio comparatur.*

Prædestinatio. PRAEDESTINATIO *est diuinũ propositũ, seu Deus uolens dare creaturæ rationali uitam æternã: sicut reprobatio est diuinũ propositũ nõ dandi uitam æternam.*

Adoptio filiorum. ADOPTIO *filiorum Græcis una uox est* υἱοθεσία, *qua significant eam adoptionem, qua quis in filij locum adoptatur.*

Gratifico. Gratificor. Grator, GRATIFICAVIT: *Id est, gratos siue charos reddidit: sed Gratificor, id est, rem gratam facio: ut, Deus gratificatur hominibus: id est, beneficia confert. Grator uerò, grataris, id est, gratias ego, & quasi supplico.*

Instauro. INSTAVRARE *est idem quod integrare, Hieronymus & Græci legunt Recapitulare. Nam oratores uocant* ἀνακεφαλαίωσιν, *anacephalæosim recapitulationem cum ea, quæ sparsim, ac fusius dicta sunt, summatim repetuntur, ut in summam conferãtur, & simul iudici renouentur.*

Recapitulo.

Signare & obsignare. SIGNATI: *Id est, obsignati, quemadmodum tabulas obsignamus in pactis.*

Pignus. Arrabo. PIGNVS, *arrabo est, siue arra. diuus Hieronymus differentiam dicit inter hæc: nam Pignus, quod Græci uocant Hypothecam, datur in mutuo. Arrabo in contractu emptionis & uenditionis, quo firma sit obligatio.*

Christus mortuos peccato uiuificat. CAP. II.

Colos. 2. d ET uos cùm essetis mortui delictis, & peccatis uestris, in quibus aliquãdo ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desyderijs carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos

Potestatis aëris huius spiritus] Cui potestas est aëris, qui est spiritus

Filios diffidentiæ,] Filijs cõtumacibus, uel inobedientiæ,

Misericordia Dei à peccatis liberatæ gẽtes.

Nimiam] Multam

Et cum] Etiam cum

Christo

In cœlestibus] Vel, inter cœlestes

Christo, (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo IESV, ut ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratię suæ, in bonitate sup nos in Christo IESV. Gratia enim estis saluati per fidem (& hoc non ex uobis, Dei enim donum est) non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo IESV in operibus bonis, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Propter quod memores estote, q aliquando uos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circũcisio in carne, manu facta: quòd eratis illo in tempore sine Christo, alienati à cõuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo IESV uos qui aliquãdo eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans: ut duos condat in semetipso in unum nouum hominem, faciẽs pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso: Et ueniẽs euangelizauit pacẽ uobis qui longè fuistis, & pacem ijs qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem. Ergo iam nõ estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide IESV Christo: in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

Factura,] Vel, opus,

In operibus bonis,] Ad opera bona,

Cõuersatione] Republica

Hospites testamentorũ,] Extranei à testamentis,

Medium parietem maceriæ soluens,] Interstitiũ maceriæ diruit,

Inimicitias in carne sua,] Simultatẽ per carnem suam,

Decretis] In decretis sitam

Gratia Dei salus.

Fides.

Donum Dei.

Opera.

Præputium.

Circuncisio.

Sãguis Christi.

Pax Christus.

Nouus homo.

Accessus per Christum.

Rom. 4. a

Aduenæ:] Incolæ:

Ciues] Concives

Domestici Dei gentes.

Templũ Dei.

Mortui delictis. *Omni uirtute cũ sitis destituti, & nõ solùm corporea morte, quæ ab Adam exordium sumpsit, sed spirituali, quæ à uobis ipsis præcipuè cõstat, affecti, extulit Deus filium suum, & suscitauit, ut nos conuiuificaret cum illo.*

Secundum seculum. *Tropo scripturæ uulgari Secundũ seculũ mundi huius: pro ratione, qua uiuere hic mũdus solet, positũ nõ dubito. Ambulare secũdũ seculũ mũdi huius, est uiuere pro carnis nostræ, hoc est naturæ deprauatæ arbitrio, et cupiditate.*

Ambulare secũdum seculum.

Secundum principem potestatis. *Intelligit hìc Paulus principem Dæmonum. Sed cùm ait, Aëris spiritus, dupliciter quidam interpretantur: Primo, ut Aëris, nomen sit loci, in quo sint spiritus: hoc modo dicito, Secundum principẽ potestatis spiritus: id est, uniuersitatis spiritũ, aëris: id est, quæ est in aëre. Aut Aëris spiritus: id est, aërei spiritus: ut dicatur appositiuè Aëris spiritus, ad differentiã Aëris corporis, aëris*

Princeps potestatis aëris.

qui

qui est elementũ. Appellatione Aëris nõ intelligo, ut quidam ait, elementũ aëris, sed subtile corpus (ut ita dixerim) nostris sensibus incognitũ, corpus simplex ac incorruptibile, quod ille fingit. Crediderim hos esse angelos in aëre, & eiusdẽ esse speciei cum alijs angelis incorporeis. August. in Psal. 126. ait: Nubilosus iste aër ad abyssum pertinet, ubi nubes, ubi uẽti, ubi tempestates, ubi pluuia, coruscationes, tonitrua, grãdines, nix, & quicquid uult Deus super terram fieri de isto humido & caligino so aëre, totũ hoc Terræ nomine appellauit. Quia nimis mutabile est, atq; mortale. Propterea ad ista caliginosa, id est, ad hunc aërem, tanquàm ad carcerem damnatus est Diabolus de apparatu supernorũ lapsus cum angelis suis, ut hìc docetur. Et 2. Petri 2. Si enim Deus angelis peccãtibus non pepercit, sed carceribus caliginosis inferni retrudẽs, tradidit in iudicio puniendos seruari. Inferum hoc appellans, quòd inferior pars mundi sit. Si plura de his desyderas, legito magistrum sententiarum lib. 2. Distinct. 6. Aut si mauis, hoc pacto dicito: Secundum principem, cui ius & potestas est aëris, & spiritus illius, qui agit in filijs diffidentiæ, ut aërem intelligas hanc infimam (ut diximus) orbis partem, in qua regnat ille, non ueluti Dominus, cùm Christus Dominus sit omnium: sed ut tyrãnus, et non nisi nostro uitio potens. Deinde Spiritum accipias affectum mundanum, diuersum ab illo cœlesti spiritu Christi, nihil amantis nisi cœlestia. Et utrunq; genitiuum Aëris & Spiritus referas ad tertium, qui præcesit Potestatis.

Infernus.

Diabolus hic regnat ut tyranus non Dominus.

Filij diffidentiæ.

Operatur in filios. Non ait, Qui cogit: sed, Qui operatur in filios diffidẽtiæ: id est, qui Deo minus obtemperant, & diabolo non coacti obsequuntur.

Desyderium carnis.

Conuersati sumus in desyderijs. Carnis desyderia non hìc intelligit uoluptatem illã libidinosam, sed quod nihil spiritu sapit. Quia Paulus persequutus est fidem Christi, idcirco conuersati, inquit, sumus in desyderijs carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis, id est, hominis spiritum non sapientis, & sequentis. Et cogitationum: id est, mentium prauarum, & dogmatum ueritati aduersantium.

Voluntas carnis.

Filij Iræ.

Eramus natura filij iræ. Eramus naturali pronitate & fomite, in quo nati ex parentibus sumus, filij iræ, id est diaboli: Diabolus enim perditio est, & ira, & mors. Aut, Filij iræ, quia de maledicto mortis uenientes. Aut Filij iræ, id est punitione digni.

Misericordia diuitiæ Dei sunt.

Diues in misericordia. Hæ ueræ diuitiæ sunt misericordiarum, ut non quærentibus ultrò misericordia præstaretur: sicut dicit Esaias, Palam factus sum non quærentibus me. Hæc tamẽ charitas Dei est erga nos, ut quia fecit nos, nolit perire nos: Diligit enim opus suum, cùm nemo suum laborem oderit.

Dei charitas erga nos.

Nimiam charitatem. Id est, multam & abundantem.

Cùm essemus mortui peccatis. Peccatis, ablatiuus est: id est, per peccata: alioqui Paulus uocat Mortuos ipsi peccato, qui iam non peccant.

Conuiuificauit nos. Nos Christo cõuiuimus, cũ quo Deus nos simul uiuificauit: hunc actione & opere, Nos uirtute hoc tempore: & paulo pòst, re ipsa, & factis. Præteritis usus est Paulus pro futuris, idq; eius rei gratia, ne quia futura incerta sunt, hominũ spes fluctuet, & uacillet. Ea quæ Deus futura cognouit, apud quem nihil ambiguum est, quasi iam facta memorantur, ut, quia præterita secundũ philosophos quoq; fieri infecta non possunt, qui audierint quasi iam facta, habeant quæ futura sunt.

Cuius gratia estis saluati. Non uestro labore, uel opere ullo salutem estis adepti: sed sola Dei gratia. Nam quantum ad uestra opera attinet, eratis certè ira & supplicio digni.

Vt ostenderet in seculis. Diluit obiectionem quorundã, dicentium fortassis, Quid

Quid profuerit quòd Christus tam præclara ante tot secula fecerit, & tam dira passus fuerit? Respondet Paulus, Vt ostenderet in seculis superuenientibus &c. Qui locus bifariam intelligi potest: Primùm, ut de seculis regenerationis, & uitæ planè beatæ, intelligamus. Clarissimè enim excellens diuinæ beneuolentiæ opulentia apparebit, relucente magnificentissimè benignitate illa, & beneficentia, qua per Christum nostri reparatorem, patris imago plenè in nobis restituta tum fuerit. Aut dici potest in hunc sensum, quòd Dominus in Ephesios & alios illius seculi sanctos, magnificè bouitatem suam ostenderit, ut & posteris seculis, hinc opes beneuolentiæ suæ ostentaret. Videtur prior sensus commodior. Quia modò uita nostra abscondita est cum Christo in Deo, Colossens. 3. Et nondum apparuit, quod futuri sumus: manifestato autem plenè Christo, cumq; glorioso apparuerit, tunc & nos cum illo manifestabimur in gloria, & similes ei erimus. Colossens. 3. & 1. Ioan. 3.

Dei enim donum est. Fides, qua iustificabimur, est donũ Dei, quòd illam gratuito, nõ autem nostro opere & merito habemus. Non tamen sine opere nostro, & bono uoluntatis nostræ, seu liberi arbitrij motu. Quũ enim fieri potest, credamus, fidamus'ue., nisi interno actu operemur? non tamen nisi attracti, & diuinitus pulsanti credimus. Quare id uerè donum dici debet, quod Deo debemus, & ab eo accepimus.

Ipsius enim sumus factura. Reddit causas, quare gratia saluati sumus per fidem, & hoc ipsum nõ ex nobis, sed ex munere Dei, dicens, Ipsius enim factura sumus: hoc est, quod uiuimus, quod spiramus, quod intelligimus, & credere possumus, ipsius est, quia ipse conditor noster est: tum quòd aliquid, tum quòd bene & studiosè sumus. Post fidem factis opus est: Es à Christo per baptismum in nouam creaturam immutatus, non ut otieris, sed aliquid benè agas, & in bonis operibus ambules, quæ tibi Dominus præparauit, ut bene in illis ambules: idq; facias, non ad tertium, quartum'ue annum, sed quandiu hæc tibi suppetet uita. id enim prætendit, cùm dicit, Ambulemus.

Propter quod memores. Pergit ostendere Ephesis, ex quantis malis ad quãta bona eos Dei benignitas transtulerit: ut his cognitis, fiducia maior, amorq; in Deum gignatur feruẽtior. Ephesij Gentes uocantur in carne, quia secundum spiritũ Israëlitæ sunt, non autem secundum carnẽ, de quibus loquitur Paulus 1. Corinth. 10. Videte Israël secundum carnem. Qui dicebamini præputium, nec eratis ab ea, quæ dicitur circuncisio in carna manu facta: hoc est, uocabamini præputiati, alienati, & seiuncti ab ea, quæ dicitur circuncisio in carne: id est, à Iudæis tantum carnaliter circuncisis. Mementote, inquam, quòd eo tempore eratis sine Christo: id est, nihil de Christo audieratis, ut uestri reparationem speraretis. Etiam in hoc seculo iustis legibus destituti eratis, uera respublica, quæ uel sola apud Israëlitas instituta per Deũ erat, carebatis: postremò, ut nullum uobiscum Deus fœdus percusserat, ita nullis promissionibus, in spem bonam uos erexerat. Agebatis itaque ἄθεοι, id est, sine Deo, & planè impij. Quid autem iam æquè miserum uel fingi possit, quàm esse sine Deo, sine lege, sine promissione, & spe salutis? Rectè igitur hortatur Paulus Ephesios, ut huius suæ miseriæ sint memores, ut nimirum æstiment Dei Dignationem, qua eos, citra ullum suum meritum, ex illa miseria liberatos, summæ felicitatis, cum sanctis omnibus, participes reddidit.

Ephesios hortatur Paulus ut miseriam ante suam uocatiõnem agnoscãt.

Hospites testamentorum. Id est, peregrini, siue extrarij à pactis, siue testamentis, & promissionibus ipsi Abrahæ, & alijs patribus factis. Testamentorum, plurali numero dicit, propter promissionũ multitudinem: tanquam aliud fuerit Testamentum, & Promissio de semine Abrahæ, aliud promissio de terra promissionis, & huiusmodi.

Hospites testamentorum.

Promiss

Promissionis spem non habentes. *Gentes non habebant spem futuram, uidelicet resurrectionis, & præmij.*

Nunc autem in Christo. *Hactenus disseruit in genere de gratia Dei: nunc speciatim De gratia gentibus præstita docet: ostendens misericordiam & gratiam Dei etiam ad gentes pertinere, quas ad humilitatem & gratiarũ actionem prouocat. Quia Gentes cum Iudæis futuri erant unum corpus, sub uno capite Christo, & unum ædificium, constructum supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, seu supra petram Christum: hoc fieri non potuit, nisi interstitium, quod separauit duos maximè diuersos populos, auferretur. Erat autem Lex, quam uocat inimicitias in carne Christi: id est, Iudæis: (tametsi non negauerim Inimicitias dici, & posse intelligi, peccata hominum interfecta in carne Christi, per mortem & passionem suam) Iudæi enim, Gentes (quòd exleges essent) oderant, & secundum legem ut immundos habebant. Porrò circuncisionem sequebantur omnia onera legis; sicut Galat. dicit Paulus: Testificor rursus omni homini circuncidenti se, quòd debitor est uniuersæ legis faciendæ. Hæc onera neque nos (inquit Petrus Actuum 15.) neque patres nostri portare potuimus. Et Paulus Act. 13. A' peccatis non potuistis in lege iustificari. Et Roma. 8. Quod impossibile erat legi, &c. Necesse ergo erat eam abrogari: tantum aberat, ut Gentibus quoque imponeretur. Iudæi lege fidebant: qua ablata, uiderunt se nihilo Gentibus meliores, quandoquidem scriptura conclusit omnia sub peccato. Gentes enim palàm erant impiæ, inde & ipsi inuenti sunt peccatores, postquam intellexerunt, per opera legis nõ iustificari. Porrò Lex, quia Dei erat, abrogari non potuit, nisi ei in æternum satisfieret: cui satisfieri per nos (ut dictum est Roma.) non potuit: necesse erat illum esse sub lege, & legem implere, qui legi nihil debuit: hic est Christus* IESVS, *qui per sanguinem suæ crucis fecit sibi Gentes & Iudæos unum corpus. Is est nostra sanctificatio, iustitia, & satisfactio: cui quisquis fide adhæret, cum eo unum est, & habet quicquid ipse habet. Satisfactio ergo Christi mea est, ita ut lex iam me damnare non possit, & peccatũ in carne mea reliquum propter fidem in Christum, mihi non imputatur. Itaque iam spiritus Christi in credentibus hoc agit, ut ex corde diligatur Deus, & Proximus: id quod lex requirebat quidem, sed dare non poterat: Litera enim erat, non spiritus. Christus pax nostra, qui fecit per suum sanguinem utraque, & Iudæos & Gentes, unum: id est, ut coalescerent, & Christiani essent: Soluens medium parietem maceriæ: id est, inimicitias in carne sua, id est, per passionem suam: Euacuans, id est, antiquans, legem mandatorum, id est, legem Moysi, quæ infinitis constabat mandatis: decretis, id est, dogmatis euangelicis. Decreta enim sunt (ait Theophylactus) quæ ad fidem instituunt. Lex autem quæ dat uiuendi præcepta, ut duos scilicet populos condat, & creet in semetipso Christo, in unum nouum hominem, in nouitate uitæ ambulantem: & facta pace, reconciliet ambos populos Deo in uno corpore ecclesiæ, per crucem. Interficiens inimicitias, siue Iudæorum & Gentium mutuas, siue omnium hominum cum Deo. Theophylactus interpretatur, In uno corpore: hoc est, in suo Christi. Quia pœnas ob nostra peccata nobis debitas Christus per crucem luit, sicut supradictum est, in carne sua: Et rursum cùm in seipso intulit, Duos conciliat.*

Inimicitiæ in carne Christi.

Iudæi & gentes coalescunt per Christum.

Christus soluit medium parietem.

Decreta.

Iam non estis hospites. *Quia ciuitate illa cœlesti iam estis donati & adscripti, non estis peregrini: sed domestici, id est familiares, Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum hoc est, quo Apostoli & Prophetæ, & sancti quilibet, cuiuscunq; ordinis illi fuerint, nituntur. Christus est, in quem omnium scilicet spes recumbit, quo freti, corda eorum solida consistunt, longanimiter præstolãtes, dum liberati malis præsentis exilij, cœlestem hæreditatẽ plenè adeant. Idem summus quoque angularis lapis existit, qui scilicet suo spiritu totam Dei structuram contineat: Duos q; parietes, populum Iudæum & Ethnicum, in se pulchrè iungat, ut ita is cognoscatur, per quem Domini ædificium infernè & supernè constet & cõseruetur: neque conseruetur tantùm, sed & incrementum (donec stet consummatum: quod erit, cùm tradiderit regnum Deo & patri) omne accipiat. Vnde ait, In quo omnis ædificatio constructa, crescit, & exurgit in templum sanctum Deo, dum fideles per gratiam Dei templũ efficiuntur, in quo (inquit) & uos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu sancto: id est, ut per habitantem in uobis spiritum sanctum, templum, & domicilium Dei sitis.*

Ciues non hospites.

DICTIO.

CONSEDERE, *est simul sedere. Hinc Consessus, & Consessio.* — Consedere.

ACCESSVS, *aditus, & introductio, ueluti cùm quis introducitur ad conspectum principis.* — Accessus.

HOSPITES, *sunt peregrini, & extrarij, quasi alieni à iure ciuium.* — Hospites.

NATVRA *filij iræ: id est, proprie, ac uerè filij iræ. Quemadmodum dicimus hominem natura miserum, qui sic addictus est miseriæ, ut nolit effugere, si possit.* — Filij iræ natura.

CIRCVNCISIO, *id est, Iudæi. Populus Hebræorum ob membrum genitale præsectum Circuncisio uocabatur: cæteri Præputium dicebantur: sed dũtaxat Iudæis, quibus ut illud nomen erat honorificum, ita hoc ignominiosum.* — Circuncisio. Præputium.

ANGVLARI *lapide, Græcis una uox est, qua significatur summus lapis in angulo ædificij, qui solet esse ualidissimus. Est autem ablatiuus absolutè positus, ueluti dicas, in qua structura, Christus summus est in angulo lapis. Et statim pòst eodem modo ponitur absolutè. Constructa, id est coaugmẽtata, siue commissa, siue coaptata. Hieronymus legit, compaginata. Ambrosius compacta.* — Lapis angularis.

MACERIA, *est murus, uel septum lapideum, sine bitumine, & harena.* — Maceria.

Gentes participes factæ æternæ salutis. CAP. III.

HVius rei gratia ego Paulus uinctus Christi IESV **pro uobis Gentibus: si tamen audistis dispensationem gratię Dei, quę data est mihi in uobis: quoniam secũdum reuelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum: sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & compartícipes promissionis eius in Christo** IESV **per Euangelium: cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationẽ uirtutis eius. Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euãgelizare inuestigabiles diuitias Christi, &**

Paulus, gentiũ Apostolus.

Sacramẽtum,] mysterium, In breui,] paucis, Prudentiam] cognitionem

In spiritu,] per spiritum,

1. Corint. 15. b

Operationem uirtutis] efficacia etiam potentiæ inuestigabiles] imperuestigabiles

Universidad de Deusto Biblioteca

sti,& illuminare omnes,quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, ut innotescat principibus & potestatibus,in cœlestibus,per ecclesiam,multiformis sapientia Dei,secundum præfinitionem seculorum,quam fecit in Christo IESV Domino nostro:in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius.

Illuminare omnes,] in lucẽ proferã omnibus quæ sit cõmunio mysterij

Multiformis] uehementer uaria

Fiduciam] audaciam

Huius rei gratia. *Rogabis:Cuius? Quia prædico Iesum Christum uestri misertum transcripsisse uos in peculium,& populum Dei:Hoc est, prophetarum promissiones,& benedictionem Abrahæ,etiam ad Gentes,quæ fide uiua ornarentur,pertinere.Propter hanc prædicationem ego sum uinctus Iesu Christi pro uobis Gentibus: id est,quia do operam lucrari & acquirere uos Iesu Christo.Et quod doceo regnũ Christi ad uos pertinere,sicut & ad Iudæos.*

Vinctus Christi.

Vinctus Iesu Christi. *Compedes toleramus & carcerem,& illud gloriæ ducimus,cùm Christi nos dicimus uinctos.Vinctus Christi, id est pro Christo:sicut Martyr Christi,pro Christo.*

Dispensationem gratiæ. *Ac si dicat, Sic gratia diuina est dispensatum, ut & supernè uocatus sim,et splẽdore oppletus,qui cõtumax fuerã,ut saltẽ hoc pacto crederẽ,& illi obsequerer.In uobis (inquit) ab eo data est mihi gratia. Ipse nãq; sic mihi derẽ,& illi obsequerer.In uobis (inquit) ab eo data est mihi gratia. Ipse nãq; sic mihi dixit,In gẽtes longinquas ego te mittã.Quò fit,ut gratiæ id sit adscribẽdũ,et nõ mihi.*

Secundum reuelationem. *De hac reuelatione scripsit Galatis fusius: Notũ autem uobis(inquit)facio fratres,Euangelium quod prædicatum est à me, non esse secundum hominem.Neq; enim ab homine accepi illud,neq; didici, sed per reuelationem*

Christi arcanũ reuelatũ Paulo.

IESV Christi. *Sacramentum autem & Mysterium,seu Arcanum Christi, quod reuelatũ sibi hîc Paulus memorat,quod & supra exposuit,est,Christum esse caput & principem sanctorum,siue ex Gentibus siue ex Iudæis:per Christum enim perficiẽda sunt omnia.Quod mysterium antea absconditum,à tempore mortis & resurrectionis Christi reuelari oportuit,& Gentibus quoq; annuntiari, quæ iam æquè ac Iudæi Christo, imò Iudæis copiosius,adducendi erant. Morte nanque sua Christus interstitium inter Gentes & Iudæos submouit,utrunq; populum compegit,qui spiritu Christi actus cõtinuò magis ac magis purgatur,& pietate plenius imbuitur.*

Sicut supra scripsi. *Quemadmodum præcedente capite paucis absolui.Gentes uocatas esse,& esse conciues sanctorũ,Christum sedere ad dexterã patris,& nos cõsedere fecit in cœlestibus i Christo,et huiusmodi magnifica.Nõ scripsi uobis quatenus dignitas & magnitudo mysterij exigebat,sed quãtũ satis esse uestris uiribus uidebatur.*

Paulus sanctorũ minimus.

Mihi autem omnium sanctorum minimo. *Omnium sanctorũ sum minimus,non solùm quòd persequutus sum ecclesiam Dei, 1. Timoth. 2. sed & quòd ex me nihil sum,non modò minimus Apostolorum,sed omnium etiam Sanctorum, hoc est fidelium. Quod reuera ratione humilitatis maius est longè, quàm illud quod ait, Non sum dignus uocari Apostolus.*

Inuestigabiles diuitias Christi. *Inscrutabilem dicit Dei esse opulentiam. Cùm imperuestigabiles sint Dei opes,minus eius substãtia uestigari potest.Quid ergo*

Cœlestes potestates qualem ante & post in-

Eunomius hæreticus ille iactabat,se huiusmodi Dei substantiam comprehendisse?

Vt innotescat principibus. *De bonis & cœlestibus illis intelligi potest hic*

locus

locus,iuxta sententiam Gregorij Nyssæ, qui, ante incarnationem adfirmat simplicem quandam potestates cœlestes habuisse Dei cognitionem,uidelicet, quòd sola uoluntate cuncta crearit,& eidem licere omnia præuidebant,moderariq; uniuersa,& sapienter curare omnia intelligebant. Incarnato autem Dei uerbo, ex contrario contraria sunt effecta.Nam per mortem uita successit,per infirmitatem potentia,per ignominiam gloria. Hæc ubi nobis, qui sumus Ecclesia Dei, tam uaria Dei beneficia obuenere, statim intellexere cœlestes illi angeli quàm sit de Ecclesia benemeritus Deus. Cùm dicit, secundum præfinitionem seculorum: id est, secundum quod ab æterno proposuerat suo illam tempore reuelare.Aliter:Quasi diceret Paulus, ita in lucem proferimus hoc mysterium nobis creditum, ut sentiat totum infernorum regnum, cui dicitur, Tollite portas principes uestras,& c.utq; sentiãt, quotquot sub principatu tenebrarũ militant, ut feliciter ipsa ueritatis luce deuicti, in regnum lucis contendant. Suspicabatur quidem diabolus,aut etiam scripturis prædicẽtibus,scebat fore,ut genus humanum redimeretur:sed hanc tam uariam,& ignotam Dei sapientiã, quomodo scire potuit, quòd Deus mundi stultitiã esset ducturus ad sapiẽtiam,per crucẽ ad gloriã,per mortem ad uitam? Sicut legis 1. Corinth. 2. Si principes seculi hãc Dei sapientiã, quæ est crucis stultitia, cognouissent,nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent. Certè per ecclesiam cognouerunt:ubi aduerte,præpositionem Per,significare instrumentum: quasi dicas, Opera ecclesiæ,quam scilicet ecclesiam in Christo,id est,per Christum,fecit & constituit.

carnationẽ uerbi cognitionẽ Dei habuerũ.

Dæmones per ecclesiam Dei mysteria cognouerunt.

In tribulationibus meis] Et afflictiones meas quas tolero

Orat Paulus ut Ephesij confirmentur in fide.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis,quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur,ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine: Christum habitare per fidẽ in cordibus uestris, in charitate radicati,& fundati,ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, secundum uirtutem,quæ operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia, & in Christo IESV in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

Paternitas]Familia,uel,à cõmuni patre cognatio

Christum habitare] Vt inhabitet Christus

Gratiarũ actio.

Superabundanter] Cumulatè ultra

Intelligimus,] Cogitamus,

Propter quod peto. *Non solùm petit Paulus pro ipsis Ephesijs:ne in pressuris suis,id est,Pauli,lassescant,atq; deficiant:sed etiam,ait Paulus,peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis,seu pro Euãgelio ad Gẽtes. Totus enim mundus ad detrinam Pauli de potestate principis tenebrarum tollebatur.Deserebãtur idola,& cultoribus templa deserta, squallore,& sordibus replebãtur. Ob quã causam omnis exercitus Dæmonum,omnis turba inimicarum fortitudinum, cõtra Paulum facto cuneo dimicabat,ut per tribulationes & angustias, Paulus Euangelium desineret prædicare,*

u & lassus

& lassus aliquando requiesceret. Hoc quòd Pauli opera & labore, per multas pressuras adducerentur Gentes ad Christum, cedebat in Gentium gloriam. Ait itaq; Paulus, Si meæ pressuræ uobis sunt gloriæ, quantò maiorem ex uestris uendicabitis?

Paternitas. **Ex quo omnis paternitas.** Id est, parentela, cognatio, & familia spiritualis. Explicat hoc loco Paulus, adoptionis gratiam cõmunem esse supernis spiritibus & hominibus ab uno eodẽq; patre Domini nostri IESV Christi, ita ut omnes tam spiritus cœlestes, quàm nos homines dicamur filij adoptionis.

Comprehendere. **Comprehendere cum omnibus.** Orat hoc loco Paulus pro Ephesijs & eorum in patria felicitate. Nam non in hoc statu mortali, sed in cœlis cõmune est omnibus sanctis cõprehendere. Nisi dixeris, imperfectam hoc loco esse comprehensionem, quæ in cœlis postea perficietur. Quia quod ex parte est euacuabitur. Hæc comprehensio cuilibet communicabitur secundum beneplacitum uoluntatis diuinæ.

Crucis mysterium. **Quæ sit latitudo.** Gregorius Nyssenus per latitudinẽ, longitudinẽ, & alia hic pronuntiata, crucem dicit significari. Comprecatumq; Ephesijs Apostolum, ut quirent crucis mysterium contemplari, siquidem hac cruce omnis contineretur dispẽsatio. Paulus ubiq; uult à nobis agnosci, tam immensam gratiam & incomprehensam, ut spiritu fortificati intelligamus huius gratiæ altitudinem, quia penetrat cœlos: profunditatem, quia penetrat inferos: longitudinem & latitudinem, quia replet orbem terræ, ut non solùm intelligas iam in Iudæa notum, sed in toto orbe. Psal. 75. Misericordia Domini plena est terra. Item, Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomẽ tuum in uniuersa terra! Quidam post Photium Græcum sic ait, Vt positis comprehendere quæ sit latitudo, id est, immẽsitas potentiæ diuinæ: & longitudo, id est, æternitas & sublimitas naturæ: & profundum, id est profunditas scientiæ. Scire etiam supereminẽtem scientiæ charitatem Christi, id est, quæ exuperat omnem sensum, aut maiorẽ quàm quæ uirtute humana cognosci possit. Theophylactus refert ad mysterium & ad uocationem gentium. Vsus est Paulus uocabulis omnium dimensionum corporalium, ad exprimendam illius uocationis & mysterij magnitudinem. Aut cùm dicit, Latitudinem, & longitudinem, & altitudinem, & profundum, hoc significat, quòd in sphæra tanta est longitudo, quanta est latitudo, & tanta altitudo, quantũ est profundũ: ita & in Deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra enim definito modo coneluditur, Deus autẽ non solùm implet omnia, sed & excellit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, ut solus ineffabilis, & infinitus habeatur. Nam subiungit Paulus, Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem, id est, quæ charitas, qua Deus pro nobis filium suum tradidit, cognitione maior est, aut quæ excellentior est, quàm homo possit assequi.

Vt impleamini. Vt crescatis ad omnia quæ Dei sunt, ut nihil cognitionis spiritualis uobis desit: ut crescatis in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut sequenti capite dicemus. Aliter, Vt impleamini, id est, perficiamini, & sciatis, quemadmodum in patre, & filio, & Spiritu sancto adorandus sit uobis Deus: hæc enim plenitudo Dei est, ipsa trinitas.

Ei autem qui potens est. Hæc sum precatus, quæ prædixi: Deus tamẽ longè maiora, quàm sint meæ preces, efficiet, & præstabit. Non frustrabimur nostris uotis, qui patrem habemus omnipotentem, qui potest supra modum præstare, quæ petimus, & plusquàm petimus, & excogitare possimus, ut in Lucæ 11. Vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris: quantò magis pater uester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?

In

Secula seculorum. **In omnes generationes seculi.** Periphrasis quædam apud Hebræos est, qua uulgò exprimunt æternitatem, sicut sæpe uidemus hunc tropum in sacris, tum in hoc loco, tum Psalmis, & alibi. In omnes generationes seculi seculorum, id est, illius seculi, quod succedentibus perpetuò seculis nunquàm habebit finem.

CONCILIATIO.

CVM Iacob, Dauid, & alij tam apertè sint de mysterio tum incarnationis, tum eorũ quæ de Messia sunt, uaticinati, ita ut Christus dixerit, Moyses & Prophetæ scripserunt de me, Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me. Quid est quòd hìc Paulus ait, In mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu. CAVTE, signanterq; (ait Hieronymus) Paulus testatus est filijs hominum ignotum fuisse mysterium, non filijs Dei ad quos loquitur, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Quòd scilicet hi, qui spiritum adoptionis acceperunt, de quibus Patriarchæ & Prophetæ fuerunt, Dei scierint sacramentum. Aut dicito, Paulum non definitè & generaliter dixisse, Alijs generationibus ignotum fuisse omnino Domini sacramentum: sed non tam apertè sanctis patribus, Patriarchis & prophetis reuelatum esse, atq; Apostolis. Aliud enim est, in spiritu uentura cognoscere: aliud, Cernere ea opera completa. Vnde & Ioannes propterea maior Prophetis omnibus dicitur, quia quem cæteri prædixerunt, ipse non modò conspexerit, sed & digito ostenderit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Iuxta quem sensum & illud exponi potest, Matth. 13. Amen quippe dico uobis, quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt uidere, quæ uidetis, & non uiderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt. Hæc utique uidere & audire cupiebant, quæ futura cognouerant. Quod si nesciebant, quo modo desyderabant, quæ penitus ignorabant? Dicemus ergo, mysterium hoc absconditum fuisse, quia non apud Gentes, imò ne apud Iudæos quidem palàm uulgatum, apud quos paucissimi sanè fuere, qui rectè, quale esset Christi regnum futurum, prænouissent.

PLVRIMVM dissident, quæ hic Paulus pronũtiat, Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. Et 2. Corinth. 11. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis. CORINTHIIS exprimendum erat, quantum sudauerat explicando Euangelio: ne æstimarent Paulum minoris, quàm par esset. Aliquando enim iure optimo potest apud suos auditores Ecclesiastes quispiam se suis titulis honestissimis, gratia Dei habitis, ornare: ne minuta fama, minuatur doctrina, & tandem nullo modo recipiatur, Cùm sit doctrina illa ad salutem. Hìc autem Paulus nihil huiusmodi agit. Aut si mauis, dicito, Paulum se magnum expressisse, cùm se minimũ sanctorum dixit: iuxta uerbũ præceptoris IESV Christi Matth. 20. Quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Qui uult esse primus, sit omniũ nouissimus. Quod Paulus opere cõpleuit, dicens 1. Cor. 4. Puto enim quia Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, quasi morti destinatos.

DICTIO.

Sacramentum SACRAMENTVM dicitur, quod iurisiurandi sacratione interpositu geritur. Sed hìc pro mysterio, id est, arcano, & secreto ponitur.

Paternitas. PATERNITAS Græcè πατριὰ, id est, familia, autore Hieronymo. Nam Latini uocant Paternitates & familias, quas Græci uocant Patrias, cùm ex una radice, multa generis turba diffunditur.

Ecclesia corpori humano comparata. CAP. IIII.

Hortatur Paulus ad opera. 1.Corinth. 7.d

OBsecro itaque uos,ego uinctus in Domino,ut digne ambuletis uocatione, qua uocati estis, cum omni humilitate,& mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus:sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ.

Obsecro]Hortor

Humilitate,] Submissione.

In uinculo]per uinculum

Roma.12.c 1.Corint. 12.b

Mala.2.b

Vnus Dominus,una fides, unũ baptisma. Vnus Deus & pater omniũ,qui est super omnes,& per omnia,& in omnibus nobis. Vnicuiq; autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum,captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit: quid est,nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios uerò Euangelistas, alios autem Pastores &

Roma.12.a 1.Corint. 12.b 2.Corint.10.d Psalm.67.c

1.Corint. 12.d

Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni uento doctrinæ, in nequitia hominum,in astutia ad circumuentionem erroris: Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia,qui est caput,Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam submin istrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in Charitate.

Cõsummationem] Instaurationem

Occurramus] Perueniamus

Plenitudinis] Plene adultæ

In nequitia] per uersutiam

In astutia ad circumuẽtionẽ erroris:] Per astutiã qua nos adoriuntur, ut imponant nobis,uel,in astutia ad insidias imposituræ:

Compactum] uel cõstructum

Operationem] uel,actum

In mensuram] in mensura

In charitate.] per charitatẽ.

Vinctus in domino Paulus.

Vinctus in Domino. *Potest & in Christi uinculis,& in carcere pro martyrio constitutus hæc scribere. Melius autem est si uinctus in Christi charitate dicamus. Cuius rei testimonium est* 1.Corinth. 13. *Vinculum charitatis Dei quis poterit enarrare? Qui enim Christum diligunt,sequuntur eum charitatis uinculis colligati.*

Digne uocationem ambulare.

Vt dignè ambuletis. *Digne uocatione ambulare credendum est, qui ingreditur per eum,qui dicit,Ego sum uia. Neque ad dexteram,neque ad sinistram declinans: imò auertit pedem suum ab omni uia mala: completurq; in eo, quod Sapiens Prouerbiorum 4.dicit:A Domino gressus hominis diriguntur.*

Vanitas spiritus.

Seruare unitatem spiritus. *Non ignoro(ait Hieronymus)in eo quod nunc exposui,Soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis:spiritũ à plerisque non sanctum accipi,sed affectum mentis,atque sententiam, iuxta quam omnium credentiũ erat anima una,& cor unum. Et ab Apostolo* 1.*Corinth.*7.*uirgini præcipitur, ut sit sancta*

& corp

& corpore & spiritu:carnis uidelicet opere & mẽtis affectu. Sed generalis explanatio ad specialem interpretationem trahi potest. Quod seruet unitatem spiritus in uinculo pacis,qui non rapiatur omni uento doctrinæ,neq; in morem stulti,quasi luna,mutetur:nunc diabolo seruiens,nunc Deo. hæc ille. Primum omnium morum Christianorum tangit caput,scilicet ut seruetur in mansuetudine,& uinculo charitatis, unitas spiritus. Vnum nisi corpus non nisi uno spiritu regi potest,& uiuificari. Huic unitati nihil officit,quòd alij alijs insigniti sunt à spiritus sancti donis. Nam hæc nihil aliud sunt,quàm ministeria unitatis ædificãdæ:quibus si prodes ecclesiæ,rectè habes, & augentur tibi, non solum dona hæc, sed & gratia: Si uerò abuteris, fiet tibi quod Matth.25.dicitur: Omni habenti dabitur,& abundabit: ei autem,qui non habet,& quod uidetur habere,auferetur ab eo. Agnosce ex his Pauli dictis,quàm exosos habeat,qui hãc unitatem rescindunt: & quàm bene apud illum audiat mutuus consensus, ut simus unum. Cùm tam solicitè commendet unitatem,dicens, Vnitatem spiritus, unum corpus,unum spiritum,unam spem,unum Dominum,unam fidem,unum baptisma,unum Deum.

Vnicuiq; autem nostrum. *A ratione donorũ spiritus sancti,quæ singulis in hoc conferuntur,ut utilitatis aliquid cõmuni corpori afferant,ad unitatem animorum, & studium dilectionis hortatur. Ex gratuita Dei beneuolentia dona & facultates spirituales contingunt,& dantur unicuiq; secundum mensuram, quam Christus statuit,respondentem utiq; cuiuslibet uocationi. Pro loco enim quem quisq; in Christi corpore obtinet,& spiritualis ei facultas distribuitur,qua suæ uocationi respõdeat. Aliud enim est opus manuum,quàm pedum:aurium quàm oculorum. Suam ergo quodlibet membrũ facultatem, uirtutemq; agendi suum opus habeat,oportet. Sic cùm in corpore Christi alius aliud membrum exijtat,& ad aliud opus deputatus sit:alio item dono & spirituali facultate instruatur,necessum est. Obserua,Dari secũdum mensuram donationis,seu ex gratia,ut si datus tibi est Apostolatus,tantum tibi gratiæ confertur,quantum Apostolatui congruit. Si donũ Doctoratus,aut Presbyteratus,ea tibi pariter dabitur gratiæ mensura,quæ ad obeunda illa munera erit satis. Dicit aliquis(ait Theophyl.) Omnia sunt,ut inquis,cõmunia. Cur ergo hic gratiæ minus,ille plurimũ habet? Siquidẽ eiusmodi non æqua partitio,inuidiæ seminarium esset,quemadmodũ & Corinthijs euenit, & alijs plurimis. Hæc soluens Apostolus: Vnicuiq;,ait,domum fuisse pro Dei largiẽtis arbitrio mensura quadam collatum. Cùm itaq; gratis sit illud,& dono datum: sat tibi fuerit,quòd acceperis quidpiam,nec prorsus immunis sis gratiæ. Non enim pro debito est aliquid tibi persolutum. Et quia Deus mensuram cuiq; præfiniuit,nihil scrutabere, nec curæ sit si non omnia solus acceperis. Nam si semel mensus est gratiam Deus, id profecto in nostram utilitatem fecit. Atqui omnia communia sunt: Haud dubiè sunt,sine quibus constare Christianismus non potest. Præter hæc si quis gratiæ plusculum habet,nil doleas,cùm ex gratia sit,aut forsan plus laboris ille impendit.*

Mensura donationis.

Ascendens in altum. *Ante hunc ascensum probè colligit Paulus, Christum descendisse in hæc inferiora terræ,uerum hominem egit,mortemq; pertulit, & sepulchro fuit demandatus, sed uictor resurgens diabolum,mortem,maledictionem,insuper & peccatum in seruitutem subegit. Et eduxit,iuxta Zachariæ uaticinium,uinctos suos de lacu,in quo non erat aqua,ad locum omnium diuinissimum.*

Christi uictoria.

Quod autem ascendit. *Qui ascendisse dicitur,propterea ascẽdit,quia prius descenderat. Hunc sermonem,Is qui ascendit,Nicodemo Ioan.*3. *loquens explicat,cùm ait, Nemo ascendit in cœlum,nisi qui descendit de cœlo, filius hominis,qui est in cœlo*

Dicet aliquis: Quid istud est, Neminem ascensurum cœlum, nisi prius descenderit de cœlo? Qui cum Christo die ascensionis ascenderunt, non prius de cœlo descenderunt. RESPONDEO, Caro non hæc concipit, spiritu intelligenda sunt. Qui uiua fide Christo adhærent, unum cum capite Christo fiunt, 1. Corinth. Qui adhæret Domino unus spiritus est. Ioan. 17. Rogo te pater, ut sicut ego & tu unum sumus, sic & ipsi sint unum nobiscum. Qui ergo salui fiunt, & cœlos ascendunt, prius in uirtute cum Christo, qui de cœlo descendit, descendisse dicuntur.

Terræ partes inferiores.

Primùm in inferiores partes terræ. Filius Dei in has partes terræ descendisse dicitur, non motu locali, sed assumptione inferioris & terrenæ naturæ. Ad Philip. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Aut uocat inferiores partes centrum terræ, aut locum sub hac parte terræ, quam habitamus, à qua extraxit patres iuxta Zachariæ uaticinium 9. cap. Tu quoq; in sanguine testamenti eduxisti uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.

Cœli.

Supra omnes cœlos. Hoc est, in cõditionem & locum omnium diuinissimum, ut nimirum perficeret omnia. Dedit enim ei pater omnia in manus, ut ea in unum collecta plenè tandem consummaret. Idq; est, quod ait, VT impleret omnia. Alij, VT impleret omnia: eò referunt, quòd ascẽdens in cœlum, & inde mittens spiritum sanctum, impleuerit omnia de se scripta, scripturarum oraculis plenè satisfaciens.

Et ipse dedit quosdam. VT Christus inter homines dona acciperet cùm nihili sumus, oportuit eum dona dare. hoc est, spiritu suo instruere & ornare, qui alios sibi adducerent, & adductos perficerent: non quòd proptera aut plantans, aut rigans aliquid sit: sed quòd hic ordo in sua Ecclesia Domino placuit. Ne insurgerẽt superbi hæretici, dicentes, Omnes ex æquo homines esse Sacerdotes, aut Presbyteros, aut Episcopos, & nullo ordine sacro homines à Deo insignitos. Quidam ergo facti sunt à Christo Apostoli, qui Euangelij legatione ad multas gentes & populos fungerentur. Quidam Prophetæ, qui ex afflatu spiritus per reuelationem docti scripturas interpretarentur, & Ecclesiam monerent de ijs, quæ in utilitatem eius essent. Quidam Euangelistæ, qui annuntiandi & prædicandi Euangelij dexteritate pollerent, ut præconium Christi cum fructu detonarent. Quidam Pastores, qui singulas ecclesias rite gubernant, & instituunt. Quidam Doctores, qui Christi plebes sanctè formantes, fideliter docent ab alijs accepta.

Apostoli. Prophetæ. Euangelistæ.

Pastores. Doctores.

Ad consummationem. Hieronymus legit, Ad instructionem. Significat autem dictio Græca illi correspondens refectionem, siue reparationem, aut instaurationem rei collapsæ. Doctores enim succurrunt lapsis & deiectis. Idq; probè congruit, quod sequitur, In ædificationem corporis Christi, nimirum ut corpus undiq; sit perfectum. Non putent se hìc comprehensos, qui ecclesiæ utilitate solis inflantur nominibus & titulis.

Doctorum functio.

In uirum perfectum. Virum perfectum & ætatis mensuram, perfectiorem dogmatum dicit cognitionem, Quemadmodum & Christi plenitudinem dicimus absolutam & integram Christi cognitionem & fidem. Potest & hìc textus hoc modo explicari. Futuri sunt hi gradus & ordines in ecclesia, donec eò perueniamus omnes, ut eadem sit omniũ fides, & æquè cognitus siue agnitus filius Dei: hoc est, ut pertingamus ad perfectam, solidam, & uirilem ætatem: uidelicet ad eam mensuram ætatis, quæ nos planè reddat adultos in Christo, ne posthac simus infantes, qui circumagantur, ac circunferantur quouis uento doctrinæ, imponente nobis, siue decipiente nos, hominum

Vir pfectus mẽsura ætatis perfectæ. Christi plenitudo.

astu: hoc agentium, non ut Christũ nos syncerè doceant, sed callidis artibus adorti nos illaqueent, capiantq;. Sed potius his neglectis, quæ Christo digna sunt sequentes, adolescamus, per omnia in illum, qui est caput omnium, IESVS Christus. Et quemadmodum spiritus per neruos à cerebro ipso descendens sensum omnibus mẽbris ad proportionem cuiq; partitur: sic Christus nostris animis, qui illius sunt membra, sua dona suppeditat. Nec fortuitò, & temerè, sed pro mensura membri cuiusq;, hoc est, ut quodq; capere potest: & hunc in modum coædificari sibi uniuersum corpus, & coalescere facit. Aliàs enim nequiret anima à spiritu descendente supernè (à quo & uitam accepimus, & incrementum) subministrata excipere, siue recipere, nisi charitate, corporis instar unius, compacti essemus, & iuncti. Nam ut manus à reliquo corpore auulsa, haudquaquam ultrà est uegetantem spiritum receptura, ut quæ à membrorum nexu sit discissa: sic sanè & nos, nisi unitatem seruemus & animorum coniunctionem, spiritus gratiam non recipiemus, quæ à Christo (qui caput est nostrum) profluxit.

Veritatem facientes: Id est, ueritatem sectantes, uel præstare quod dixeris, uel uera loqui. Hoc opposuit nequitiæ, uersutiæ, & impostura.

In domino:] p Dominum: Iam] posthac Per] propter Desperantes,] uel, posteaquã dolere desierũt In auaritiã.] in auaritia, uel, cũ auiditate. aut, in abundantia. Veritas i Iesu] omnis uera doctrina & ueritas Veterem hominẽ] ueteres pec candi affectus Nouum hominem] nouã mẽtem fide Christi inuouatam

Malus] spurcus, uitiosus Fidei] uel, opportunitatis, id est, quoties opus est

Blasphemia] maledicentia Benigni] uel comes

Hoc igitur dico, & testificor in domino: ut iam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant, in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habẽtes intellectum, alienati à uita Dei per ignorantiã, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderũt impudicitiæ, in operationem immũditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamẽ illum audistis, & in ipso edocti estis (sicut est ueritas in IESV) deponere uos, secundũ pristinam conuersationem, ueterem hominẽ, qui corrumpitur secundum desyderia erroris. Renouamini autem spiritu mẽtis uestræ: & induite nouum hominem, qui secũdum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Propter quod deponẽtes mendacium loquimini ueritatẽ unusquisq; cum proximo suo, quoniã sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiã uestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: magis autẽ laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patiẽti. Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audiẽtibus. Et nolite cõtristare spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cum omni malitia. Estote autem inuicẽ benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit uobis.

Non ambulandum ut gentes. Roma. 1.c

Vetus homo. Coloss. 3.b Roma. 6.a Coloss. 3.b Hebr. 12.a 1. Pet. 2.4.a

Zach. 8.c Psal. 4.b

Iaco. 4.d

Sermo uitiosus.

Coloss. 3.g

Hoc igitur dico. Redit ad id, quod instituit in principio huius capitis, Vt spiritu renouati, in nouitate uitæ ambulemus.

In uanitate sensus. Sensus hîc non pro sensualitate, sed mente ponitur, atq; ad eum modũ statim uertit interpres, Renouamini spiritu mẽtis uestræ. Quidã sensum interpretantur sensualitatem, cùm Græcis νῦς, id est mens, sit ea pars animi, quæ maximè semota est à materia corporis, quæq; sola putatur aliquid agere sine corporis organis. Vanitas sensus. Hîc Paulus breui arguit etiã sapientissimos Gẽtiles, Philosophos, oratores, poëtas, & huiusmodi. Quia mens eorũ in omni suo opere uanũ finẽ sibi præstituit, siue fuerit immortalitas famæ, siue gloria præsens, siue uirtus præsens speculatiua, &c. Hæc omnia uana sunt, quia non fundata supra firmam petram IESVM Christum, qui est finis legis. Agnosce ex his, quæ portenta impietatis illhic sunt, ubi uerbi illuminatio non est.

Alienati à uita Dei. Vita Dei proprie dicitur quæ inchoatiuè est uita fidei uiuæ: iuxta illud, Iustus ex fide uiuet. Ioan. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESVM Christum. Consummata autem erit hæc uita in patria. Vita Dei.

Qui desperantes. Hieronymus ait, rectè uerti posse Indolentes, pro Desperantes: quòd uox Græca hinc uidetur deducta: cùm quis uacat dolore, & sensu sui mali, & ob id stupens fertur in omne uitium. Atq; eò duritiæ peruenit, ut ad omnem duritiæ sensum obsurduerit. Magis tamen quadrat, ad sententiæ tenorem desperantes. Siquidem qui desperant esse uitam à morte corporis, auidissimè rapiunt huius uitæ uoluptates, atq; his sese ingurgitant, uelut amissis illis, nihil habituri suaue.

In auaritiam. Auaritiam positum putat quidam pro omni concupiscentia immoderata. Auaritia.

Vos autem non ita didicistis: Id est, non estis ita edocti, ut desperantes sitis in hac sententia, uolentes hic summis uoluptatibus inuolui, quasi post hanc uitam non sit alia uita futura: sed est uobis spes, sicut est ueritas in Christo IESV, qui nobis pollicetur regnum cœlorum, & beatitatem æternam.

Si tamen illum, &c. Id est, Siquidem: aut, Si sane. Admonet Theophylactus nõ dubitantis, sed confirmantis esse. Atqui tamen additum dubiam reddit orationem.

Sicut est ueritas in Iesu. Nos Christo insiti sic didicimus, ut abnegemus nosmetipsos, & uolũtati Dei iam uiuamus: hoc est, renouemur spiritu mẽtis nostræ, ut qui praua & fœda tantum sectabamur, nunc donati Dei spiritu, & nouo, ac sancto mentis iudicio sancta duntaxat, & Deo grata quæramus. Omnia ueteris hominis sunt falsitas, mendacium, uanitas, cæcitas, infidelitas, quibus omnibus ueritas IESV opponitur. Veteri homini ueritas Iesu opponitur.

Qui corrumpitur: Id est, in corruptione consistit, nempe secundum desyderia erroris. Deponere ueterem hominem, est pristinæ conuersationis modum, & uitam illam antiquiorem & peccatis obnoxiam, interimere charitate, Dei timore, & Dei sermone, qui est gladius anceps. Veterem hominem deponere.

Qui secundum Deum creatus est. Hunc nouum hominem uocat Nouam creaturam, ad Galat. ulti. iuxta Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus. Obserua: iustitia ueritatis ad spiritum pertinet, sanctitas ueritatis ad munditiam: ut iustus in spiritu per fidem, & mundus in carne per castitatem uiuat. Nam ueritatis, dicit contra iustitiam & sanctitatem speciei & simulationis, quæ ex lege sunt, nec faciunt nouum hominem secundum Deum. Sed gignitur hic nouus homo uerbo ueritatis. Iaco. 1. Voluntariè enim genuit nos uerbo ueritatis, ut essemus initiũ aliquod creaturæ eius. Induere Noua creatura. Nouus homo.

nouum

nouum hominem, est ad similitudinem Christi reformari, qui restituit nobis Imaginem & similitudinem Dei, ad quam eramus conditi. In hoc enim sumus conditi, ut sancti & integri coram ipso ambulemus.

Sol non occidat. Præmisit Paulus ex Psal. 4. autoritatem admodum scitè. Sicut enim hîc hortatur, ut non sinamus solem occidere super iram nostram: hoc est, ut illico exortam iram reprimamus, non ferentes, ut illa durante sol occidat, ne sit locus apud nos diabolo, ad perturbandos fratres nos impellenti: Ita psalmus iubet loqui cum corde in cubili, & silere: hoc est, in se redire, remq; probe expendere: nimirum ut affectum malum cohibeamus. Ira reprimẽda.

Nolite locum dare diabolo. Qui tanquam leo rugiens, quærit aditum, per quem possit irrumpere. Solet autem antequam ueniat quædam iacula præmittere, & præcursorem aduentus sui facere cogitationem. Hanc si in corde nostro susceptam nutrierimus, cùm in nobis prolem suam auctam uiderit, & ipse audebit intrare. Sed in fide resistamus iaculo eius.

Qui furabatur, iam non. Vides qualia sint uetusti hominis membra, mendacium scilicet, odium, furta, & huiusmodi, quæ etiam morbi animi dicuntur. Veteris hominis membra & morbi.

Vt habeat unde tribuat. Operetur manibus suis quod bonum est, siue bonam, & nõ turpem operationem. Non solùm ut restituat, quod furatus est, sed ut quod honesto labore, & sancto, & laudabili exercitio nactus est, tum sibi necessitatẽ & indigentiam patientibus communicet. Manuum operatio.

Omnis sermo malus. Malus, id est spurcus, et fœdus. Ita uanitas sumus, ut uix ullum inter profanos uideas agitari conuiuium, quod satis hilare ducant, sine spurcis, & insanis fabulis transactum.

Nolite contristare. Non quòd in Spiritu sancto aliqua sit tristitia, sed contristamus Spiritum sanctum Dei in nobis, cùm aliquid displicens ei loquimur, aut committimus, unde nos deserit.

In die redemptionis. Diem redemptionis uocat diem baptismi: quia baptizato applicatur passio IESV Christi, redemptio nostra per baptismum, in quo uirtute & opera Spiritus sancti obsignatur os nostrum, ut nihil indignum se proferat. Noli ergo signaculum illud dissoluere spurcis & fœtidis uerbis. Dies redẽptionis.

Omnis amaritudo & ira. Amaritudo iracũdiæ & furoris est radix. Quidã ait, Amaritudo refertur ad cor, furor ad impetum, ira ad uindictam: Clamor in uoce comes est illorum trium: at Blasphemia frequẽs est comes furoris & clamoris. Amaruleuti sunt usqueadeò animi impotentis, ut licet iram apud se consenescere non sustineant, tamen si quid accidit quod non probent, continuò exacerbantur, amariq; fiunt, commouẽtur ira, conciti tumultuãtur, uociferantur, & maledicunt, planeq; insaniunt. Quæ animi eorum intemperies etsi breui, ac paruo negotio resideat, plurimum tamen dedecet sanctos, qui suauitate & lenitate Christum referre debent. Hortatur ergo Paulus, ut hæc reijciantur cum omni malitia, id est studio lædendi. Amaritudo. Furor. Clamor.

CONCILIATIO.

QVID EST, quod hîc Paulus unam spem uocationis dicit, cùm alibi Christus dixerit, In domo patris mei mansiones multæ sunt. VNAM spem uocationis dicimus regnum cœlorum, quasi unum bonum Dei patris esse, & in una domo uarias mansiones. Alia est enim gloria Solis, alia Lunæ, alia stellarum. Aut certè illud subtilius indicatur, quòd in fine, & consummatione rerum, in pristinum statum restituenda sint Vna spes uocationis.

omnia,quãdo omnes unum corpus efficimur,& in uirum perfectum reformamur,com pleta pro nobis saluatoris oratione Ioã.17.Pater sancte,serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi,ut sint unum,sicut & nos.

DICTIO.

Humilitas. HVMILITAS,*pro uirtute,superbiæ opposita,siue pro animi habitu contrario arrogantiæ.*

Patientia. PATIENTIA, *hîc pro longanimitate,& animi lenitate,ac moderatione: qua fit,ut non facilè commoueamur,neq; rapiamur ad uindictæ cupiditatem.*

Apostoli. APOSTOLI,*missi,& legati ad annuntiandum uerbum Dei.*

Prophetæ. PROPHETAE,*qui spiritu Dei ducti sacra interpretantur.*

Euangelistæ. EVANGELISTAE, *quibus refulget donum scribendi,& dictandi,quæ ad eo gnitionem scripturarum faciunt.*

Pastores. Doctores. PASTORES,*& doctores,qui uerbo & exemplo docent.Hæc discernit offi ciorum genera,Hieronymus.*

Nequitia. Cybeutæ. NEQVITIA,*in Græcis est* ἐν κυβείᾳ,*quod uerbum ductum à lusu tesserarum,in quo qui potest imponit & circumuenit alterum,& hi Cybeutæ dicuntur,talis,scu tes seris pro uoto utentes, Gallicè Pipeurs. Eiusmodi sunt falsi doctores transponentes simpliciores ceu talos,prout uolunt.*

Iunctura. IVNCTVRA, *commissura est, seu commissio:à iungo, sic ut utrunq; se mutuò contingat:ueluti membrum membro connexum.*

Diabolus. Satan. Belial. Apostata. DIABOLVS *Græcum uerbum est,quod Latinè dicitur Criminator,lingua ue rò Hebræa Satan appellatur, id est aduersarius, siue contrarius,& ab Apostolo Be lial,id est absq; iugo:quòd de collo suo Dei abiecerit seruitutem,quem Aquila Apostatam transtulit. Interdum dicitur Pestilentia, unde filij pestilentiæ, id est diabo li. hæc Hieronymus.*

Imitatores Dei

In luce ambulandum Christiano. CAP. V.

Iob 13.& 15.b

1.Ioan.4.d

EStote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos,& tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem, & omnis immũditia,aut auaritia,nec nominetur in uobis,

Colos.3.a sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquiũ,aut

Scurrilitas,] Vrbanitas, facetia, aut, iepos,

scurrilitas,quæ ad rem non pertinẽt,sed magis gratiarũ actio. Hoc enim scitote intelligẽtes,quod omnis forni

Ad rẽ non pertinent,] Non conueniunt,

2.Thess.1.a Matth.14.a Marci 13.a Lucæ 21.b

cator,aut immũdus,aut auarus (quod est idolorũ seruitus)non habet hæreditatẽ in regno Christi & Dei. Ne mo uos seducat inanibus uerbis.Propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici partícipes eorũ. Eratis enim aliquãdo tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate(fructus enim lucis,est in omni bonitate,& iustitia & ueritate)probãtes quid sit beneplacitum Deo: & nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarũ,magis autem redarguite,

Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur,lumen est. Propter quod dicit, Surge qui dormis,& exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Videte itaq; fratres,quomodo cautè ambuletis,non quasi insipientes,sed ut sapientes; redimentes tempus,quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudẽtes,sed intelligentes quæ sit uoluntas Dei. Et nolite inebriari uino,in quo est luxuria: sed impleamini Spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus,cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri IESV Christi Deo & patri.

Surge] Expergiscere

Caute] Circunspectè

Quasi] Vt

Tempus,] Vel occasionẽ, aut, opportunitatẽ,

Luxuria:] Luxus

Coloss.4.a

Roma.13.a 1.Thess.4.a

Gratiarum actio.

Estote imitatores Dei. *Hoc exponitur Matth.5.ut non solùm amicos,sed & inimicos beneficio afficiamus,* Vt *sitis,inquit, filij patris uestri,qui in cœlis est,qui solem suum oriri facit,&c. Et addit Paulus summum illud charitatis exemplar, dicens, Sicut & Christus dilexit nos.*

Sicut & Christus dilexit nos. *Qui pro aliorum salute usq; ad sanguinem contra peccatum dimicat,ita ut animam suam tradiderit pro eis,& crucem pro salute omnium uolens sustinuerit.*

Charitas Christi.

In odorem suauitatis. *Adludit ad oblationem & incensa quæ olim fiebant in templo, siue in tabernaculo Moysi. Solet scriptura,quæ uult sacrificia grata fuisse Deo significare, dicere ea odorem suauem dedisse Deo. Sic Noë sacrificium gratum suauemq; odorem dedisse Domino scribitur Genes.8.*

Grata sacrificia odore explicantur.

Auaritia. *Auaritiam Paulus ferè ubiq; scribit,idolorum seruitutem,ut scias ex diametro pugnare cum Deo uero:unde Christus,Non potestis Deo seruire,& mãmonæ.Qui enim pecuniæ fidit,Deo fidere non potest,1.ad Timoth.6. Existimãt quæstum pietatem.*

Auaritia.

Turpitudo. *Turpitudo hîc significat absconditam cogitationem, cùm inflammatur sensus noster ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur. hæc Hieronymus.*

Turpitudo.

Quæ ad rem non pertinent: *Id est,Quæ uobis non conferunt,nec ad bonos mores,nec ad uitam,quam quærimus,faciunt.*

Christi & Dei. *Vtranq; personam, Patris & Filij insinuat: Filij quidem cùm Christum nominat: Patris autem,cùm Deum dicit. Solet enim ex consuetudine sermonis apostolici significari Pater,cùm absolutè Deum nominat.*

Dei nomine pater intelligitur.

Inanibus uerbis. *Verba quæ decipiunt,& supplantant,inania sunt & uacua, utpote quæ uidentur florem quendam habere sermonum & blandiri peccantibus. Et hæc dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna supplicia. Quæ uerò ædificant audientes,cumulata,plena,& conferta dicuntur.*

Filios diffidentiæ. *Filios diffidentiæ dicit, qui plurimum sunt contumaces,& Deo diffidunt,decreta aduersus peccata decernenti.*

Filij diffidentiæ.

Bonita

Bonitate & iustitia. *Intellige bonitatem in Christo, quòd non secũdum opera, sed secundum misericordiam det gratiam credentibus in se. Iustitiam in Christo, dum unicuiq; (ait Hieronymus) retribuit quod meretur. Porrò ueritatem, dum ipse solus causas creaturarum omnium rerumq; cognoscit.*

Propter quod dicit, surge. *Hieronymus se omnes editiones ueterum scripturarum, ipsaq; Hebræorum uolumina diligenter euentilasse, & nunquam hoc scriptum reperisse dicit. Dicamus hoc, quomodo olim prophetæ in concione populi loquebantur, Hæc dicit Dominus: &, Quoniam dominus loquutus est: Ita & Apostolus Spiritu sancto plenus repente in uerba, quæ Christus in se loquebatur, erupit, atq; dixit: Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge, &c. Somnus animæ, est obliuisci Deum suum. Qui auertitur à Christo, lumen fugat à se, & in tenebris, & somno est, in quo uana somniat. Propterea qui Christum accipit, canit cum Dauide, Deus Deus meus ad te de luce uigilo. Et orãdum est cum Dauide, Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam. Scio me audisse (ait Hieronymus) quendam de hoc loco in ecclesia disputantem: qui in theatrale miraculum nũquam ante uisam formam populo exhibuit, ut placeret, Testimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur, in loco Caluariæ sepultum, ubi crucifixus est Dominus. Qui Caluariæ idcirco appellatus est, quòd ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tẽpore, quo crucifixus Dominus super eius pendebat sepulchrum, hæc prophetia completa est dicens, Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis: & (non ut legimus, Orietur tibi Christus: sed) continget te Christus. Quia uidelicet tactu sanguinis ipsius, & corporis dependentis uiuificetur, atq; consurgat: & tunc typum quoq; illum ueritate compleri, quando Helisæus mortuus, mortuum suscitauit. Hæc utrũ uera sint nec ne, lectoris arbitrio derelinquo. Certè tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plausu ac tripudio sunt excepta. Hæc ille. Et illuminabit te Christus, ex cap. 60. Esaiæ deprompta uidetur hæc sententia: illhic enim sub alijs uerbis dicitur, Illuminare, quia uenit lumen tuum. Et secundum tempus futurum subditur, Super te orietur Dominus. Quod translationi Hieronymi respondet, in qua habetur, Orietur tibi Christus. Si diligenter locum citatum Esaiæ cum hoc Pauli loco contuleris, maximè uideris sensum unum ex utroq; loco.*

Somnus animæ.

Caluaria.

Redimentes tempus. *Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum uenditum fuerat.*

Redimere tempus.

In quo est luxuria. *In quo, id est, in qua uini inebriatione: ut non referat ad uinum solùm, hoc enim esset uinum condemnare, cuius moderatus usus commẽdatur. Luxuria, id est superfluitas, & nulla necessitas. Hinc leuitas cordis sequitur, stultiloquiũ, inanes fabulæ, facetiæ, ineptiæ, & sordidæ cantiones, indecora conuersatio, ob quæ despiceris: despecta autem nostra conuersatione, quis rectè sentiet de nobis? Itaq; hæc res maximè uergit in blasphemiam nominis Christiani.*

Vini commendatio.

2. Corint. 11. a
Coloss. 3. c
1. Petri 3. a

Subiecti inuicem in timore Christi. Mulieres uiris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres uiris suis in omnibus. Viri, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans

In uerbo] per uerbum uitæ

Immaculata.] irreprehensibilis.

dans eam lauacro aquę in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta, & immaculata. Ita & uiri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquàm carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Veruntamen & uos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat uirum suum.

Genes. 2. d
Matth. 19. a
Marc. 10. a
1. Corinth. 6. d

In carne una.] in carnem unã. uel, ę duobus fiet una caro.

Sacramentum] mysterium

Timeat] uel, reuereatur

Mulieres. *Hanc subiectionem non exprimit seruilem: nempe dicit, Sicut Domino, id est, Christo: id est, uoluntariè, & ex amore.*

Caput est mulieris; *Id est, uxoris.*

Saluator corporis eius. *Hic locus est de officio capitis, quo caput saluat corpus: quemadmodum Christus caput saluat ecclesiam, eidem largiens, quæ sunt ad salutem: ita uir uxorem saluat, eandem pascens, gubernans, regens & protegens. Et sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & uxores uiris non solùm in re uxoria, sed in omnibus: hoc est, nihil admittant uiris lege Christi directis contrarium: alioqui non essent subiectæ, sicut Domino.*

Vxor uiro subiecta.

Nemo enim unquàm. *Quasi dicat, Ne unus quidem fuit unquàm, qui ad naturæ sensum sic obsurduerit, ut corpus proprium uel oderit, uel neglexerit, utcunque gibbosum, obesum, macilentum, deforme, onerosum, & infirmum fuerit: sed nutrit, & fouet corpus languidum, & quæ deformia sunt in eo occulit, & abdit. Ad hunc modum nec Christus repudiauit Ecclesiam suam, quòd in ea multa & languida & deformia essent membra: sed suo spiritu languidos curat, multa longanimis dissimulat, condonat, & purgat deformitates. Hoc ipsum faciat & in uxore maritus. Et quod Christum uidet facere Ecclesiæ, & quod suo uellet corpori fieri, id faciat etiam suæ uxori.*

De carne eius, & de ossibus. *Ecclesia non solùm est corpus Christi, sed etiã est corpus formatum de carne Christi, & de ossibus Christi in cruce. Multò enim plus contulerunt caro Christi & ossa Christi in cruce ad formandum corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, quàm contulerint caro Adæ, & ossa Adæ, seu costa Adæ, ad formandam uxorem eius Euam. Nempe caro & ossa Christi in cruce contulerunt uitam propriam ad formandum corpus ecclesiæ: quod non fecerunt caro & ossa Adæ, ad formandam uxorem Euam. Ad hanc alludens Paulus formationem, dicit quòd sumus de carne eius, & de ossibus eius. Vide infrà secundam conciliationem.*

Ecclesia de carne Christi.

Sacramentum hoc magnum est. *Collatio hæc, quæ est Adæ uiri, & Euæ uxoris, ad Christum, & sponsam suam ecclesiam, magnum est mysterium. Gregorius Nazianzenus (ait Hierony.) cùm de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere, Vide quantum istius capituli sacramentum sit, ut Apostolus in Christo illud & in Ecclesia*

interpret

Universidad de Deusto
Biblioteca

interpretans nõ se ita asserat,ut testimonij postulabat dignitas,expressisse, sed quodam modo dixerit, Scio quia locus iste ineffabilis plenus sit sacramentis, & diuinum cor quærat interpretis. Ego autem pro pusillitate sensus mei in Christo interim illud, Et in Ecclesia: intelligendum puto, non quòd aliquid Christo & Ecclesia maius sit, sed quòd totum, quod de Adam, & de Eua dicitur, in Christo & in Ecclesia interpretari posse sit difficile.

CONCILIATIO.

CVM Paulus hic Ephesios imitatores Dei suadeat fieri, dicens, Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: quomodo 1. Corinth. 11. ait, Imitatores mei estote? CORINTHII non poterant statim imitatores Christi fieri, sed grande illis erat, si imitatores possent imitatoris Pauli existere. Ephesijs uerò, quasi his, quos iam mysteria tanta docuerat, non ait, Imitatores mei estote, nec imitatores Christi, sed imitatores Dei. Non quòd minus sit imitatorem Christi esse, quàm Dei: Deus quippe Christus est: sed quòd aliud sit, secundum hominem imitari: aliud, secundum Deum. Imitemur in quo similes possumus fieri, quod suprà testatus est Paulus dicens, Donantes uobis, sicut & Deus in Christo donauit uobis. Similiter sicut ille clemens est, & pluit super bonos & malos: sic etiam nos bonitatem nostram super omnes homines effundamus. Quod cùm fecerimus, erimus filij dilecti, siue ipsius Pauli, siue, quod melius puto (ait Hieronymus) ipsius Dei.

VIDETVR pugnantia esse in hac sententia, Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Quomodo enim uni atque eidem dicitur quasi uiuenti, Surge qui dormis: & quasi mortuo, Exurge à mortuis? QVIA & spiritus est hominis, quem semper in bonam partem meminimus: & anima, cuius & infirmitates, & mortem legimus peccatorum. Id quod nunc dicitur, Surge qui dormis: referatur ad spiritum. Et quod sequitur, Exurge à mortuis: animæ coaptetur. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Spiritus autem mortem (ait Hieronymus) nunquam omnino legimus. Christus ergo lux uera orietur ei, qui surrexerit de somno, & ex mortuis fuerit suscitatus.

SI CHRISTVS adhæsit ecclesiæ, ut essent duo in carne una: quomodo reliquit patrem, quomodo reliquit matrem? RELIQVIT patrem, quia cùm in forma Dei esset, no rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Hoc est enim, Reliquit patrem: non quia deseruit, & recessit à patre: sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est patri. Quomodo reliquit matrem: Relinquendo synagogam Iudæorum, de qua secundum carnem natus est, & inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit, & quam illuminauit per Apostolos Deus, ut ostenderet nobis, quid ibi quæreremus. In ipsa una sententia Erunt duo in carne una, sacramentum magnum in Christo & in ecclesia. Iam licet nobis ubique Christum quærere, & de omnibus hydrijs uinum potare. Dormit Adam, ut fiat Eua: Moritur Christus, ut fiat ecclesia: Dormiẽti Adæ, fit Eua de latere: Mortuo Christo, lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur ecclesia. Et huic ecclesiæ suæ sponsæ adhæsit adeò Christus, ut ipse & ecclesia sint unum corpus, & sit hic uerum coniugium. Et ne existimes quòd de quocunq; coniugio dicat Paulus, subiungit Paulus, Erunt (inquit) duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Fit ergo ex duobus una quædam persona, ex capite & corpore, ex sponso & sponsa. Sacramentum, seu mysterium horum uerborum magnum est. Continet enim multa. I. Coniugij indiuisibilitatem, quam Dominus apud

apud Matthæum explicat. II. Ius naturæ, quod abhorret à coniugio filij cum matre, & filiæ cum patre. III. Officium debitum à uiro plus uxori, quàm patri & matri. IIII. Hoc quod hîc Paulus tam apertè insinuat uxorem esse mariti carnem. V. Virum esse caput, seruatorem, & dominum uxoris.

DICTIO.

IN ODOREM suauitatis: id est, redolentiæ, siue fragrantiæ.

INTER Stultiloquium & Scurrilitatẽ hoc interest, Quod Stultiloquium nihil in se sapiens, & corde hominis dignũ habet: Scurrilitas uerò de prudenti mente descẽdit, & cõsultò appetit quædã, uel urbana uerba, uel rustica, uel turpia, uel facета, quã nos Iocularitatem alio uerbo possumus appellare, ut risum moueat audiẽtibus. Verùm & à sanctis uiris penitus propellenda, quibus conuenit flere, atq; lugere, ut in Hebraico quoq; Euangelio legimus, Dominum ad discipulos loquentem, Et nunquam, inquit, læti sitis, nisi cùm fratrem uestrum uideritis in charitate. Hæc Hieronymus. Odor suauitatis. Stultiloquiũ, Scurrilitas. Iocularitas.

IDOLVM, penultima producta, est simulacrum. Idolum.

VENIT ira in filios, &c. Venit, hoc loco præsentis temporis est. Nam non rectè esse potest præteriti: ut intelligamus, ob huiusmodi, diuinam iram solere sæuire in filios malè morigeros.

DIFFIDENTIA, pro inobedientia, siue incredulitate accipitur. Diffidentia.

REDIMENTES tempus: quasi mercãtes, & emẽtes. Tempus hoc loco occasionem sonat, siue opportunitatem, quam uult Paulus emi cæterarum rerum dispendio. Redimere tempus.

PSALMVS, canticum: Psaltes, cantor: Psalterium, organum laudatorium. Psalmus.

HYMNVS, laus diuina. Hymnus.

LAVACRVM à lauo, Balneum in quo quis lauari potest commodè. Hinc Lauatrinæ, quæ & Aquariola dicuntur. Lauacrum.

RVGA, non solùm in corporibus dicitur, quæ sit ex cutis contractione & præsenecta: sed etiam in uestibus. Ruga.

Parentum & filiorum, Dominorum & seruorum officia. CAP. VI.

FIlij, obedite parentibus uestris in Domino: hoc enim iustum est, Honora patrem tuum, & matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione) ut bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Et uos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini. Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed ut serui Christi, facientes uoluntatem Dei ex animo, cum bona uoluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quoniam unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et uos domini, eadem facite illis, remittentes minas, sciẽtes quòd & illorum, & uester Dominus

Filij. Colo. 3. d
Exod. 20. d
Deuter. 5. e
Eccle. 3. b
Matth. 15. a
Marc. 7. d
Coloss. 3. d
Tit. 2. c
1. Petri 2. c

Quasi hominibus placẽtes:] uelut hominibus placere studentes:
Bona uoluntate] beneuolentia

minus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud Deum. De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius. Induite uos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei: ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est uerbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orãtes omni tempore in spiritu: & in ipso uigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euãgelij, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. Vt autem & uos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia uobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quę circa nos sunt, & consoletur corda uestra. Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Gratia cum omnibus qui diligũt Dominum nostrum IESVM Christũ in incorruptione. Amen.

Deut.10.d
2.Paralip.19.c
Iob.34.b
Sapient.6.b
Ecclesiast.35.b
Roma.1.b
Galat.1.b
Coloss.3.d
Act.16.e
3.Petri 1.c

1.Thess.5.b
Esaiæ 59.c

Coloss.4.a
2.Thess.3.a
Petit Paulus orationes fratrum.

Tychicus.
Pax.
Charitas. Fides.

De cætero,] quod superest. Confortamini in Domino,] ſtis fortes per Christum,
Insidias] assultus
Spiritualia nequitiæ.] spirituales negtias.
In omnib⁹ perfecti] omnibus perfectis
Loricã] thoracem
In præparationem Euãgelij] ut parati sitis ad Euãgelium
In ipso] in hoc ipsum
Instantia,] sedulitate,
Fiducia,] libertate,
Notum facere] ut notum faciam
Circa me sũt,] ad me pertinẽt,
Quæ circa nos sunt,] de rebus nostris,
Incorruptione.] uel synceritate.

Filij obedite. *Obediamus parentibus, qui nos in domino genuere, ut Paulo, Apostolis, & eorum successoribus: ea facientes, quæ præceperunt in domino. Similiter & parentibus nostris carnalibus, & hoc fiat in Domino, implentes quæ non sunt uoluntati Domini contraria.*

Hoc enim iustum est. *Præceptioni de honore parentibus exhibendo stimulos addit: Nam id iustum est. Ac si diceret: Ipsa naturæ æquitas hoc poscit. Hinc subiungit utilitatem, quam potissimè spectare solent homines, allegans legem Exod.20. Vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Vide infrà primam conciliationem.*

Et uos patres. *Sicut in filijs obsequium, & subiectionis merces est demonstrata, ita parẽtibus moderatum iubetur imperium: ut non quasi seruis, sed quasi filijs præesse se nouerint. Nec hoc solo præcepto contentus Paulus addit: Sed educate illos in disciplina, & correptione Domini, siue in eruditione, institutione, & admonitione.*

Cauend

Cauendum enim est, ne senili morositate, aut sæuis imperijs, aut immoderata austeritate non sanctis, sed exacerbetis illorum animos, si autoritate uestra in illos abutamini.

Cum timore & tremore: *Id est, summa circunspectione, & diligentia, simplicitateq; cordis, ne quid aliud scilicet spectent serui, quàm syncero & uigilãti animo gratam Dominis seruitutẽ seruire. At domini eadem facite. Quæ eadẽ: Bona & æqua remissis minis, ablegata seuitia: ut iustam & clementem seruitutem apud uos serui seruiant. Id facilè impetrabitur ab ijs, qui uerè Deũ timent, norunt q; seruos illi curæ esse, atque liberos, ut apud quem nõ sit personæ respectus. Nullam à principio seruitutẽ instituit Deus, sed habendi cupiditas hanc adinuenit, ut captiuos abducerẽt hi, qui bello uicissent. Tametsi hæc sunt à Deo permissa, hìc tamen obedientiam hanc ipsam instituit Paulus, ut rerum series seruaretur, nec redundaret uita hæc sanguine.* Seruitus unde.

De cætero fratres. *Docui uos, ait, quid unumquenque in suo statu, ut hominem Christianum facere oporteat, hoc didicistis. Quid aliud restat, nisi ut fortes atque constantes sitis in Domino: hoc est, propositi tenaces sitis, & studeat quisque uestrum officio suo strenuè fungi. Nã qui in Christo baptizati sunt, & illi adhærere cogitant, milites eos esse oportet, & nunquam nõ armis ac telis instructos & paratos, ueluti in acie stantes & agentes in loco periculoso, & hostibus obsito. Alluſit hoc loco Paulus ad militiam, & ab externis penetrauit ad interna: à terrenis, & carnalibus, ad cœlestia, & spiritalia. His addit, In Domino: id est, per Dominum, & potentiam uirtutis eius: ut doceat duplicem esse uim, & fortitudinem, quibus nos oportet esse præditos. Harum una est, ut firmi & constantes in eo quod credendum & faciendum est, permaneamus. Altera est, ut non tantùm id quod nobis est, probè munitum cõseruemus, & nosmet defendamus, sed ut uim quoque & hostilem impetum propulsare queamus.*

Induite uos armaturam. *Aperit quibus hostem feriamus, ac euertamus, atq; cuiusmodi apparatus, & arma nostra esse debeant, Induite uos armaturam, nõ quamlibet, uel æream, uel ferream: sed panopliam, hoc est, armaturã Dei: nimirum quòd bellũ ipsius Dei sit, & nos ipsius mũlites, qui pro Deo & eius causa pugnamus: ideo ipsius etiã armatura ferenda est, qua ille pugnat, ne nostris uiribus freti, temerè in carne gloriemur, quasi ex proprio aduersus tantũ hostem dimicare uellemus. Colligamus ex his armaturam Dei, qua indui iubemur, Christum intelligi, ut unum, atque idem sit dixisse, Induite armaturam Dei: & Induite IESVM Christum. Finis autem, ad quẽ nos armari iubet, hic est, ut positis stare aduersus insidias diaboli. Inducit enim diabolum in nos, uelut uisibilem irruere hostem. Is aperto marte nos nõ aggreditur, ut hostis, cuius impetum cauere queamus: sed ex insidijs clandestinos quærit aditus, ut nos furtim, & oscitantes opprimat. Quare horrendum, & periculosum est cum tali hoste, & antagonista in harenam descendere, & dimicare, qui nos tam astutè & insidiosè aggreditur.*

Quoniam non est nobis. *Cum hoste congressuri & in harenam descensuri duces cogitabundi paulisper apud se manent, & mente reuoluũt cuiusmodi aduersariũ sint habituri, tum quæ sint ipsius consilia, quàm fortis & potens sit, & quid periculi, quantumq; curarum ipsum certamen secum adportet. Deinde docent suos, quibus horribilem hostis imaginem & insidias pingunt, quãta cum prudẽtia & uigilia expectandus & excipiẽdus sit. Cõparatione peruenusta Paulus terrificam huius hostis depingit imaginem. Videtur ad hunc sensum Paulus loqui: Validissimus (inquit) hostis est caro & sanguis, id est, status seu conditio mundi, id est, hominum in terris degentium in carne & sanguine (licet homo laudabiliter sit institutus, & Deus illũ sic obseruare*

beat)cupiditas inquàm praua,ambientiũ tyrannis,persequutio ueritatis,hominum uersutia & malitia,sed parui momenti hæc fuerint,& hostes parum admodum, aut nihil metuendi.si conferamus eos cum Satana, & Diabolico illo in nos irruente exercitu. Addit his Paulus miram uerborum congeriem,qua non plus explicare uidetur quàm Petrus,1.Petri 5. Aduersarius,inquit,uester Diabolus circuit,quærẽs quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Cùm pugnamus aduersus hæreticos,qui reuera caro & sanguis sunt,non tamen pugnamus aduersus illos ut carnem & sanguinem,sed contra ipsissimum Diabolum,qui per illos (Sunt enim ministri Diaboli) contra nos,nec corporaliter,aut carnali pugna nobiscum manus conserit,sed fidem nostrã,ipsum præterea Dei uerbum,Sacramenta,& articulos fidei hostiliter inuadit, & impugnat. Hæc non tam durè & grauiter proponuntur,ut desperemus,& meticulosi animos despondeamus,sed ut uigilemus,erectisq; animis in cœlum,indefessè poscamus auxilium, qui opportunè aderit. Maior autem est qui in nobis est,quàm qui in mundo.

Sed aduersus principes. Cùm dicit hos principes & Dominos, uerisimile est,ipsos non esse solitarios,sed numeroso exercitu in armis esse, ac multò fortiores ac instructiores ad pugnam,quàm ullus in terris princeps esse queat. Quare cùm homo ex se miser sit,ærumnosus,solitarius,& contemptus, pugnam inire & congredi cum tam exercitatis principibus non debet,suis solis uiribus fretus:Sed fiducia in Christum armatus audaciter congrediatur, nihil perterritus. Aiunt (dicit Hieronymus) quia uult Apostolus nos docere,non ex natura corporis,& de materia carnis & sanguinis hæc uitiorum genera procreari:sed instinctu Dæmonum, propterea ait, Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem,sed aduersus principatus, & potestates,&c. Ideo retundenda est eorũ opinio,qui putant,omnia uitia esse carnis & sanguinis,& nullam habere Dæmones potestatem,ut nos incitent ad peccatũ. Hæc omniũ doctorum (ait Hieronymus) opinio est,quòd aër iste,qui cœlum & terram medius diuidens,Inane appellatur,plenus sit contrarijs fortitudinibus. Sunt enim quidam Dæmones amoribus & amatorijs canticis seruientes,ut Oseas 4.cap.narrat,dicens: Spiritu fornicationis seducti sunt,& sicut in urbibus eos qui aliquid commisere flagitij uidemus,uel bestias alere,uel secare marmora,uel mũdare spurcitias cloacarũ,uel præesse gladiatoribus,& fundendo reorum sanguini destinari: ita & Dæmones ex proprij arbitrij libertate,insidiarum,fraudum,scelerum,atque periurij,& reliquam uitiorum prouinciam esse sortitos:ut sint rectores tenebrarum,quia esse lucis principes noluerunt. Hi ergo rectores mundi atque tenebrarum,cùm aduersum aliquem colluctantes,eundem supplantauerint,fecerintq; corruere,statim illum suo mundo, & suis tenebris,quibus principantur,annectunt.

Rectores mundi & tenebrarum.

Dæmones in hoc aëre nos ad malum prouocantes.

Mundus.

Mundi rectores. Non dicit rectores,quòd orbi præsint,imperium´ue habeant: sed quia prauis præsident facinoribus. Tropo scripturæ praua opera, & qui hæc factitant,dicuntur mundus:ut illud,Non estis de hoc mundo:id est,ex ordine eorum, qui mundana pertractant.

Rectores tenebrarum harum. Id est,regnant in tenebris. Quia ubicunque Diabolus regnat & dominatur,meræ sunt tenebræ,hoc est, nulla Dei & uerbi diuini uera certaq; est cognitio. Internæ dicũtur tenebræ,quum fide uiua cor uacuũ est,quod Diaboli sedes est & diuersorium:hoc ut inquilinus occupat,facitq; ne uerbum Dei cognoscatur,recipiaturq;,aut toleretur,sed illud potius contemnit & insectatur, cuius loco sua mẽdacia pro ueritate & lumine adducit. Non tamen tam captiua corda occupat,

pat,ut adimat liberum arbitrium. Foris stat Christus,& pulsat,paratus adiutare uolentem resilire. Huius uocem audiat,sequatur,& statim,Laqueus contritus est,& nos liberati sumus.

Contra spiritualia nequitiæ. Nomen illorũ,quo uocantur,& qui sint,prodit. Non sunt,inquit,caro & sanguis,sed proprio nomine uocantur nequitiæ,seu mali spiritus,hoc est,qui non tantùm astuti,uafri & uersipelles sunt, omnem humanam sapientiam excellentes,sed etiam mali,acerbi, & pestiferi, quorum omnis cogitatio, & agitatio animi diu noctuq; tantùm eò tendit,quomodo hominibus damnosi sint & exitiales. Hoc unicè habent,ut subindè aliam atq; aliã nocẽdi occasionem excitandis dissensionibus atq; seditionibus,eripiendis uxoribus,liberis,fortunis omnibus,uitæ,prospera ualetudine nanciscantur,atq; ut totum deniq; mundum bello, cædibus & sanguine perdant. Cùm dicit,In cœlestibus:id est,in aëre,de quibus multa scribit Hieronymus, quorũ pauca paulò antè recensuimus. Nondũ enim in tartarum præcipitati sunt, sicut Petrus ait,2.Petri 2. Sed tantùm catenis ad hoc alligati,quòd sunt adhuc in tartarum præcipitandi. Hoc est,habent iudicium suum,iamq; decretũ est,& lata super ipsos sententia,& hæ sunt ipsorũ catenæ & uincula. Propterea in nos tantopere sæuiunt,cùm certò sciant sese suam arcem & pulchras illas sedes amisisse,& nobis cessisse,locumq; dedisse:& quòd,quum hinc excedimus,ad perpetuam gloriam simus exaltandi, & loco ipsorum cœlum habituri:ipsi autem in abyssum ad perpetuos cruciatus,inq; æternam damnationem præcipitandi. Ideo nobis inuidentes tanto studio conantur, quo possunt nos ab illa sede beata deturbare. Sed frustra conantur,si Christo adhæserimus.

Catenæ Diaboli.

Propterea accipite. Diabolum hactenus proprijs depinxit coloribus: non ut pictores,qui nigrum & horribile monstrum aspectu horridum, acutis unguibus, & dentibus,ac flammeis & ardentibus oculis informant:sed quomodo Christianos inuadere consueuit. Cùm ergo uideatis (inquit) uobis negotium esse cum hoste periculosissimo, facite quod strenui solent milites. Induunt arma, & omni nisu nituntur hostem repellere. Assumite & induite armaturam Dei,hoc est,induite IESVM Christum, in quo omnis fortitudo & uictoria est:& sine quo nemo uictor euadit. Hic per nos hostem cæsurus est, suamq; ingentem fortitudinem atque potentiam per nos imbecillos monstraturus.

In die malo. Diem malum,uocat tempus tentationis,siue qua mundus contra nos sæuiens,confessionem Dei conatur extorquere,siue qua aliàs insidiatur Satanas,ut indigna nobis committamus. Cõsolatur præterea nos,cùm huius certamini tempus breue futurum explicat:nam Diem ducens,breuitatem designat. Aut,In die malo:id est,iudicij die,in quo cum his malè agetur,qui nequiter uixerint.

Dies malus.

State ergo succincti. Nominatim nostrã armaturam perstringit, qua muniamur,ut ubiq; defensi simus,ac Diaboli ictus,ubicunq; nos adortus fuerit,caucamus,declinemusq;. In primis opus est robusto animo. State ergo immobiles, & imperterriti. Sunt enim inertes quidam,qui ad primũ protinus congressum,uel non uulnerati cõcidunt metu,uel sese in pedes conijcientes loco suo turpiter cedunt,& fugã sibi cõsulunt. Quò fit ut uigilandum standumq; sit nobis in ueritate,in qua consistit robur nostrum. Deme Christiano ueritatem,& corruet protinus. Alludit ad id quod dicebat Christus Luc. 12. Sint lumbi uestri præcincti,& lucernæ ardentes in manibus uestris. Hoc est, omni tẽpore parati sitis,ut serui expectantes aduentũ domini sui. Et 4.reg.4. Elisæus propheta iubet seruum suum lumbos præcingere,& accipere baculũ,hoc est,apparere

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſeſe,& accingere itineri.

Et induti loricam iuſtitiæ. Thorax ſiue lorica crates & pectus hominis munit. Alludit hoc loco Paulus ad partes illas internas uitales. Sunt intra crates pectoris uitalia illa membra abdita, quæ uel modicè impulſa mortem homini conſciſcunt. Neceſſe eſt ut pectus thorace iuſtitiæ muniatur, quæ eſt bona conſcientia. Nam Chriſtiano ſua uita ſic inſtituenda & transigẽda eſt, ne quem lædat, ne quiſquam de eo queri poſſit. Sicut Apoſtolus paſſim in ſcripturis gloriatur, potiſſimum uerò 2. Corinth. 1. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſynceritate Dei conuerſati ſumus &c. Hoc ergo uocat loricam iuſtitiæ, nimirum iuſtam & innocenter tranſactam uitam erga omnes.

Calceatus euãgelio quis dicitur.

Calceati pedes. Qui habet pacem, calceatus eſt Chriſti Euangelio: & cùm calceatus fuerit, præparatus eſt: præparatus autẽ nõ ſe putet perfectum eſſe, ſed pergat, & pergens ad finem perueniat. Paulus Euangelica doctrina uult animũ noſtrum muniri, quæ greſſus noſtros dirigat in uiã pacis. Lucerna enim pedibus (ait Propheta) & lumẽ ſemitis meis. Summa doctrinæ Euãgelicæ eſt pax, ut ſecura & pacata cõſcientia quieſcamus in Deo per Chriſtũ, & quantũ in nobis fuerit, cũ omnibus hominibus pacẽ habeamus. Hæc ſi animis inſideant, uia noſtra plana erit, nec impingemus grauiter.

In omnibus ſcutum fidei. Vt alacriores in arenam aduerſus diabolum deſcendamus, munit nos Paulus ijs, quibus inimici tela & iacula etiã ignea referiamus. Vt militi neceſſarius eſt clypeus, item gladius: ita & Chriſtiano militi fides clypei loco, & uerbum Dei uice gladij erit. Iaculatur Satan ignea tela diffidentiæ & cupiditatum. Sentimus ardorem illorum in carne & conſcientia noſtra. At facilè retorquebimus illa gladio, hoc eſt, uerbo Dei & fiducia in uerba Dei, & flagrãtes illas curas extinguemus, atque uerbo Domini non ſolùm repellemus, ſed & iugulabimus ipſum Satanam. Hoc telo fartaßis petet te Satan: Meus es, qui peccaſti, & totus peccato maduiſti, non omnibus ut debebas ſatisfeciſti. Reſponde, in Chriſtum ego confido, huic adhæreo, hunc unum tuis accuſationibus oppono. Chirographum quod habebas mei delicti, ille cruci affixit, & pro me ſatisfecit, qui eſt ſufficientia mea. Abi hinc in malam crucem. Protinus fugiet ille, & tela eius in ſuam crucem retorquebũtur. Huc pertinet pugna & congreſſus ille Chriſti & diaboli apud Matth. 4. cap. Nam ad omnem congreſſum umbonẽ umbone repercutit, educit uerbũ Dei, & hoſtem proſternit Dominus.

Et galeam ſalutis aſſumite. Galeam ſalutis uocat ſpem & expectationem alterius uitæ in cœlo nobis paratæ, cuius gratia in Chriſtũ credimus, & omnia quamlibet dura patienter toleramus, ſine cuius ope, nullo modo omnes plagas & ictus, quibus caput & uita noſtra petitur, perferre poſſemus.

Et gladium ſpiritus. Iſta uerè militaris armatura eſt, qua diabolum perſequimur, proſternimus, uincimus. Hic gladius, inquit, eſt uerbũ Dei, nullo ære aut chalybe ſeu ferro fabricatus, aut incude formatus, ſed ſpiritualis, quo feriendus eſt malignus, & nequã ille ſpiritus. Stringitur, euaginaturq; hic gladius, quando uerbum Dei pro concionibus purè & diligenter annuntiatum & prædicatum fuerit. Siquidem ipſius mendacia & malitiam retegit, & in apertum producit, quibus homines fallere, inq; falſam fiduciã, aut incredulitatem ſeu ſuperſtitionem, in triſtitiam, aut deſperationẽ pertrahere ſolet: Deinde cùm quiſque Chriſtianorum pro ſe ſeu priuata agitatione, & meditatione, ſiue cum alijs, illud uerbum Dei, uel audiendo, uel legendo, ſeu cantando, ſiue loquendo exercuerit. Inſuper uerbũ Dei indicat nobis Chriſtum, qui caput diaboli contriuit:

triuit: ideo uerbum Dei plurimum pertimeſcit ille, & auerſatur.

Per omnem orationem. *Sicut pro Petro, etiã catenis detento, ut eſt in Actis, enixius precabatur Eccleſia: ita Paulus hortatur, & exigit à ſuis diſcipulis, ut pro ſe, compedibus & catenis ob Chriſti gratiam inuoluto, orent: nec id quidem ſimpliciter, ſed per omnem orandi & precandi intentionem: hoc eſt, cum gemitu (ait Theophylactus) & pectoris tunſione, genibus procumbendo, & iſtiuſmodi reliqua factitando. In omni inſtantia, id eſt perſeuerantia, & patientia, exemplo Chananææ, & uiduæ illius filium emortuum ſuſcitari petentis, quæ ſumma in patientia perſtiterunt. Diſcamus, non diffidentiæ fuiſſe, quòd ſancti pro ſe orare alios ſubinde hortati ſunt: ſed magni ardoris & charitatis uehementis gloriam Dei propagandi: quòd cuperent ſcilicet, in Deum omnium & deſyderia eſſe intenta, unde & ſalus omnium pendebat.*

Oris apertio, quid.

Vt detur mihi ſermo. *Hanc oris apertionem 2. Corinth. 6. dixit, Os meum ad uos apertum eſt ô Corinthij. Explicatur & alijs pleriſque locis. Matth. 5. Aperiẽs* IESVS *os ſuum. Pſal. 118. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Pſal. 77. Aperiam in parabolis os meum. Et ſimilia ſunt in ſacris. Hoc ſic accipiendum eſt, quaſi dixerit Paulus, Aperiantur theſauri, & abſcondita à ſeculis ſacramenta pandantur, ut ſpiritus ſanctus introeat ad ea proferenda, quæ latitant, & liberrimè cum audacia eloquar myſterium Chriſti, uincula & carceres nihil ueritus.*

Pro quo legatione. *Hoc eſt, meo Apoſtolatu ſiue legatione mea fungor, & Euangelium etiam catena oneratus, & in uincula, ſiue cuſtodiam coniectus prædico. Has catenas uidere eſt Act. 28.*

Animæ corruptio.

In incorruptione. *His ſit gratia, qui peccati uinculis non tenentur. Animæ corruptio dici ſolet peccatum, quo non ſolum corrumpimur, ſed tandem illo perimus, & peſſum imus.*

CONCILIATIO.

QVARE PAVLVS hìc dicit, *Quod eſt mandatum primum, Honora patrẽ, &c. cùm primum mandatum ſit Exodi 20. Non erunt tibi Dij alieni præter me?*

NONNVLLI *ita legunt, Quod eſt mãdatũ primum in promißione, quaſi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta ſunt, non habeant promißiones: & in hoc ſolo pollicitatio feratur adiuncta, Vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper, &c. Videtur tamẽ mihi in ſecundo mandato addita promißio: dicitur enim Exodi 20. Non facies tibi idolum, neque omnem ſimilitudiem eorũ, quæ in cœlo ſurſum, &c. ſequitur in textu, Facio miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt mãdata mea. Obſerua enim quòd ſunt uerba ſponſionis, Faciens miſericordiam in millia, &c. Quare dicendũ uidetur cum beato Hieronymo, Quia decalogus exeũti de Aegypto populo, prima lex data eſt, unumquodq; mandatum decalogi primum mandatum eſt appellandum, ad comparationem eorum præceptorum, quæ poſtea in lege conſcripta ſunt. Alij reſpondẽt, duas fuiſſe tabulas Moyſi: In priore mandata ad Deum duntaxat contineri: In ſecunda uerò mandata ad proximum, quorum primum eſt de honorandis parentibus.*

QVID HIC PAVLVS *docet, Serui obedite dominis carnalibus cũ timore & tremore: Necnon, uxor timeat uirum: cùm Prouerbiorum 7. dicatur, Fili, præter Dominum ne timeas alium.* CVM *uxores uiris, & ſerui Dominis cum timore ſeruire iubẽtur, quid aliud quàm ad Deum timor ipſe refertur? Hic timor nõ ſeruilis, ſed filialis eſt, atq; in uxore magis reuerentia, quàm timor dicitur. Sicut enim ſi bene obediatur Dominis propter Deum, ad Dominũ ipſa bona obſequia referũtur: ita ſi Dominis contradicatur,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tradicatur,non ad eos, ſed ad Deum ipſa iniuria infertur, dummodo illi contraria uoluntati diuinæ non iubeant. Dicente Moyſe Exodi 16. Nec contra nos eſt murmur ueſtrum,ſed contra Dominum,Nos enim quid ſumus?

DICTIO.

Longæuus. LONGAEVVS, *longi temporis,unde Longæuitas.*

Diſciplina. DISCIPLINA, *& correptio pro quibus Pædia, & Nutheſia, id eſt, eruditio,ſiue inſtitutio & admonitio. Cæterum utraque uox Græca anceps eſt. Pædia tum eruditionem ſignificat,tum caſtigationem: à puero dicta. Nutheſia admonitionem,& obiurgationem,ſiue correptionem. Inde dicta, quòd in animum alicuius ponas, & ingeras,quid factum oporteat.*

Correptio.

Armatura. ARMATVRA *ſignificat quicquid ad armandum in pugnã militem pertinet.*

Inſidiæ. INSIDIAE, *fallaciæ,& technæ.*

Diabolus. DIABOLVS, *Latinè calumniator & delator.*

Colluctatio. COLLVCTATIO, *Idem quod lucta.*

Mundi rector. MVNDI RECTOR, *Græcis Coſmocrator dicitur: id eſt,mundi Dominus. Dictio Pauli noua,& primùm ficta,ut putat Hieronymus.*

Timor. TIMOR, *dicitur fuga à malo: excuſsio autem illa membrorum exterior à tali*

Tremor. *fuga mali producta,uocatur Tremor.*

FINIS.

Miſſa fuit à Roma ad Epheſios per Tychicum.

STATVS EPISTOLAE AD PHILIPPENSES.

Hortatur Philippenſes Paulus ut pergant creſcere in fide Chriſti,& mutua inter ſe charitate.

LOCI INSIGNES.

1 Collaudatos Philippenſes ob fidei donum & ſanctam conſtantiam erudit,ne cruce & uinculis ſuis offendantur. Cap. I. II.

2 Hortatur iuxta ſuam uocationem ambulent: quos ardentiſsimis argumentis inflammat, ut à pſeudapoſtolis caueant, ubi & de myſterio Chriſti diſſerit, qui dat uelle, perficere, & pro Euangelio pati. Cap. I. II. III. & IIII.

3 Præter cognitionem unius Chriſti: omnia nihili facit Paulus in hac uita. Cap. III.

4 Diſpẽſatores eleemoſynarũ carere debent auaritiæ ſuſpicione. Cap. II.

EPIST

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

Aperit Paulus cordis ſui deſyderium. CAP. I.

Diaconis,] Miniſtris,

PAVLVS & Timotheus,ſerui IESV Christi, omnibus ſanctis in Christo IESV qui ſunt Philippis, cum epiſcopis & diaconis, gratia uobis, & pax à Deo patre noſtro, & Domino IESV Chriſto. Gratias ago Deo meo in omni memoria ueſtri (ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus uobis, cum gaudio deprecationem faciens) ſuper communicatione ueſtra in Euangelio Chriſti à prima die uſque nunc: confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti IESV: ſicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus uobis: eò quòd habeam uos in corde, & in uinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei omnes uos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes uos in uiſceribus IESV Chriſti. Et hoc oro, ut charitas ueſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu: ut prophetis potiora, ut ſitis ſyncerí, & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ, per IESVM Chriſtum, in gloriam & laudem Dei. Scire autem uos uolo, fratres, quòd quæ circa me ſunt, magis ad profectum uenerunt Euangelij: ita ut uincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus, ut plures è fratribus in Domino confidentes in uinculis meis, abundantius auderent ſine timore uerbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam uoluntatem Chriſtum prædicant. Quidam ex charitate: ſcientes, quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſyncerè: exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare uinculis meis.

Cleru̇ Philippenſiu̇ ſalutat.

Super cõmunicatione ueſtra in euangelio Chriſti,] quòd ueneritis in cõmunionẽ Euãgelij.

Cõfidens] perſuaſum habens

Habeam uos in corde,] mihi amiciſsimos

Socios gaudij mei, &c.] cùm ſitis omnes mihi cõſortes gratiæ.

In omni ſcientia, & ſenſu:] in perfecta diſcretione & iudicio.

Opus bonũ, fides data à Deo

Vincula Pauli.

Manifeſta in Chriſto] celebria in Chriſto & per Chriſtũ

Syncerè:] purè: Suſcitare] uel, addere

Paulus & Timotheus serui. Apostolum se tacet, quia his scribit, qui de illo rectè sentirent: ideo dignitatem suam supprimit. Aut ut communi sibi & Timotheo nomine utatur. Atque hic est uerè titulus Christianorum & ministrorum uerbi Dei cùm dicitur, Serui IESV Christi.

Episcopi non erant plures, unius ciuitatis.

Cum episcopis. Honoris gratia Sacerdotes & Presbyteros appellat Episcopos. Etenim, ut indicat Chrysostomus, non erant unius ciuitatis plures episcopi. Nondum erant huiusmodi nomina dispertita, ut ex Paulo, & 20. cap. Act. deduci potest: licet reuera diuersi essent ordines sacri, alius Episcopatus, alius Presbyteratus, aut Sacerdotij, alius Diaconatus. Neque enim Sacerdotes consecrabant episcopos: sed contrà, episcopi ipsos Sacerdotes & diacones. Episcopi nomen sortiebantur, qui populo suo inuigilarent, purgarent, & illuminarẽt, quos foret necesse. Cuius rei gratia ad clerum nunc scribit, quod aliàs (ait Theophylactus) nunquam egit.

Ordines sacri diuersi.

Episcopi functio.

Gratias ago Deo meo. Veri Apostoli est, non solùm prædicare, sed & orare, ut spiritus Dei operetur in cordibus auditorum: & præterea iugiter gratias agere, sicui senserit uerbum Dei promouisse. Talis enim ostendit se uerè à Deo missum, & auditorum quærere, & sitire salutem: cuius hîc egregium uides in Paulo exemplum.

Super communicatione uestra. Hic locus docet, Qui opem tulerit pertractanti aliquid boni, huius boni non erit expers: ut qui martyribus, uel in eremo diuersantibus, uel ecclesiastis, & uerbum Dei prædicantibus prouident, omnem his seculi curam adimentes, cum his certè, & coronarum & præmij fient participes. Super communicatione uestra: id est, beneficentia, & eleemosyna, quam leuandæ meæ necessitatis gratia ad me secundò uinctum misistis, ait Paulus. A' prima die usque nunc: id est, ex eo tempore, quo primùm fidem hanc, & sacrum Euangelium excepistis, ad hoc usque tempus. Aut cum dicit super communicatione uestra in Euãgelio Christi, commendat illos quod indiuulsè & syncerè à primo die in illud usque tempus, quo hæc scribebat Apostolus, præ cæteris perstabant, manebantq; in fide & cœtu fidelium.

Confidens in hoc ipsum. Id est, persuasum habens hoc ipsum, quòd is qui cœpit in uobis bonum, id est, qui dedit uobis fidem & Euangelij cognitionem, perficiet, id est, dabit ut perseueretis in finem usque. Colligamus ex his, spei & perseuerantiæ bonum esse à Deo, imò & initia fidei & auctus boni operis.

Dies Christi.

Vsque in diem Christi Iesu. Hic dies respectu singulorum est in cuiusque morte, respectu uerò omnium est dies iudicij uniuersalis.

Defensio Euãgelij.

In defensione, & confirmatione. Confirmationem & defensionem Euangelij uocat uincula, & pressuras, quibus ipse afflictabatur. Est nanque manifestũ, quod si pro re comperta Paulus non habuisset remunerationes, & bona cœlestia tanti esse, ut explicari uerbis non possint, quòd non prorsus uincula fuisset perpessus: nec effero Neroni pertinacius obstitisset, nisi imperatorem alium præuidisset, qui firmior esset, & illo incomparabiliter longè potentior. Pressuræ ergo, & mala quæ patimur, Euangelium confirmant. Primæ suæ defensionis quum ad tribunal Neronis productus est, meminit 2. Timoth. 4.

Confirmatio Euangelij.

Socios gaudij mei omnes. Gaudebat Paulus in uinculis esse pro defensione Euangelij. Propterea, inquit, uos cordi habeo, quòd participes uos habeam huius gratiæ: id est, pressurarum, & compedum pro Christo. Quòd autem pro gratia uincula habeantur, ex eo liquet, quod Dominus ait Paulo, Sufficiat tibi gratia mea: Virtus nanque, supple mea, in infirmitate perficitur. Vel illud, quòd paulò pòst est dicturus,

Pati uincula est gratiæ Dei.

Nobis

Nobis donatum est pro Christo pati. Hæc adnotaui sequutus Theophylactum, qui hîc legit, Socios gratiæ. Ambrosius legit, Socios gaudij. Existimarem, Gaudium hîc pro gratia positum, ut insinuat dictio Græca huic loco respondens.

Viscera.

Viscеribus. Viscera uocat affectus, purè Christianos, hos amabat nõ ob aliud quàm quòd Christum syncerè diligerent.

Synceri. Synceri primùm in fide, ne patiamur Christi cognitionem falsis doctrinis permisceri. Deinde charitate, ut talis sit affectus in proximum, qui etiam sciat tolerare eius infirmitatem, ne scandalo simus quocũque modo. Charitas enim omnia suffert, sicut uidemus Christum in infirmis discipulis tolerasse, & (adsit honor uerbo) simulasse. In summa, sic nos scire uult, ut nostra scientia non abutamur. 1. Corinth. 8. Scientia inflat, charitas ædificat.

In diem Christi. Rursum perseuerantiam notat: uocans diem Christi, horam mortis, ut suprà.

Scire autem uos. Docet hoc loco uincula non obfuisse Euangelio, imò potius multum profectum attulisse. Nam Pauli uincula hoc dederunt, ut Euangelij prædicatio nõ ad paucos ut plebeios solùm peruenerit, sed etiam uniuersam Neronis regiam peruaserit, & per Romam uniuersam inclaruerit. Hoc etiam addiderunt, quòd quidam timiduli fratres, uidentes quàm nihil me, inquit, perterrerent mea uincula, quodq; Dominus me in Apostolatu meo periclitantẽ seruauerit, animati meis uinculis, depositio omni metu imperterriti cœperunt liberrimè Euangelium annuntiare.

In omni prætorio: Id est, non tacui Euangelium etiam in uinculis, adeò ut uerbi præconium peruaserit usque ad regiam Neronis. Et in cæteris omnibus: id est, in omni Iudaismo, & per uniuersas Ecclesias: ita ut qui prius timidi erant, cum fiducia, & sine timore ubique uerbum Dei prædicauerint, Vincula manifesta: id est, celebria fierent per Christum. In omni, id est, toto prætorio, ac cæteris omnibus fratribus qui Romæ erant.

Quid enim? subaudi, mea refert

Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per ueritatem Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proueniet ad salutem per uestram orationem & subministrationem spiritus IESV Christi, secundum expectationem & spem meam, quòd in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si uiuere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coartor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter uos. Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus uobis ad profectum uestrum, & gaudium fidei: ut gratulatio uestra abundet in Christo IESV in me, per meum aduentum iterum ad uos.

In nullo cõfundar, nulli' mei pudebit ob Christum, Fiducia, liber tate,

Hic]ea res Viuere in carne, id est, uita, si uita mea affert fructum,

Cõfidens, exploratũ habẽs.

Cupit mori Paulus & manere propter fratres.

Conuersatio.

Tantùm digne Euangelio Christi conuersemini: ut siue cùm uenero & uidero uos, siue absens, audiam de uobis, quia statis in uno spiritu, unanimes, collaborantes fidei Euangelij. Et in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis: uobis autem salutis, & hoc à Deo, quia uobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes quale & uidistis in me, & nunc auditis de me.

Collaborãtes } concertantes

Pati pro Christo Donũ Dei.

Siue per occasionem. *Non ait, Annuntia: ne iubere uideatur Christum annũtiandum per occasionem: sed, Annuntietur, siue occasione, id est, contentione, & astu, & similatione: Siue per ueritatem, hoc est, animi rectitudinem.*

Scio enim. *Precibus uestris fiet, ut neque afflictio aduersariorum, neque insidiæ eorum, qui non purè annuntiant Euangeliũ, neque technæ eorũ qui me inuisum Neroni reddunt, in meam perniciem tendant. Imò spiritus* IESV *Christi, cui nihil difficile, aut impossibile est, felicitabit omne negotium. Facit ad hæc quod ea spe ducor, quæ neminem confundit. Qui enim fidit Deo, ait scriptura, non confundetur. Vnde subdit,*

Secundum expectationem. *Hoc loco in Græcis est dictio significans uehemens cordis desiderium, quo toto animo quidpiam expectatur, modo & gestu uehemẽter inhiantium, totoq; capite inflexo, perinde ac si caput totum nutet & uergat ad id, quod firmiter, & certò speratur. Tanquam inquiat Paulus: Spero equidem, ut primum illud discrimen euasi, sic præsens hoc me euasurũ. Commonefacit præterea hoc loco, non omnia esse alienis precibus permittenda, quinetiam sperandum per nos erit, quod cupimus, & uotis deposcendum: ut est apud prophetam, Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speranimus in te. Et Romanis Paulus ait, Spes non confundit.*

Mihi enim uiuere. *Christus est mea uita, & mortem pro lucro habeo. Nam si mea prædicatione Christus uiuat, eiusq; ueritas splẽdescat, fiatq; illustrior in Mundo, reuera putabo me uiuere. Quod si pro causa Euangelij & nominis Christiani defensione moriar, multum lucrabor, nimirum periculis, afflictionibus, falsorum fratrum insidijs liberatus, cum Deo æternùm gaudebo.*

Quod si uiuere in carne. *Si uita hæc mea, Si adhuc uobiscum uersari est utile & necessarium uobis per Euangelicam prædicationem. Quid eligam nescio.*

Et quid eligam ignoro. *Si uiuo, Christi causa uiuo, ut promoueat Euangelium: Si morior, meo commodo morior. Quòd si procedit mea prædicatio, & prosum Ecclesijs, adeò non præfero meum commodum uestro bono, ut dubitem etiam utrum eligam.*

Coartor equidem. *Vtrinque teneor: id est, si optio detur, utrum mori, an uiuere malim: equidem in ancipiti sum, ita ut non facilè sciam, quid horum sim electurus. Mori etenim, & esse cum Christo, melius est mihi: Viuere autem, necessarium uobis est.*

Confidens. *Exploratum habens.*

Gratulatio uestra. *Gloriatio uestra. Hoc est fiducia & confidentia uestra.*

Per meum aduentum iterum ad uos. *Apparet hæc epistola fuisse scripta*

ptã intra illud biẽnium, de quo in Actis scribitur, Quòd sub custodia militis permissum est Paulo manere nullo prohibente illi quòd euangelizaret Christũ. Hæc incarceratio, autore beato Thoma, facta est primo anno Neronis, post quam uixit septẽ annis. Videtur mihi ex historijs Paulum post hoc biennium incarcerationis uixisse decenniũ, usq; ad decimumquartũ Neronis annum: Vtrum autẽ ad Philippenses redierit, incertũ est.

Quia statis uno spiritu. *Si rogaueris, Qui dicũtur dignè sua uocatione ambulare? Respondet, Qui unanimes sunt, nihil non facientes pro Euangelij defensione, & nullis aduersariorum calumnijs, ui, & truculentia franguntur.*

Quæ illis est causa perditionis. *Pro Euangelij defensione uos afflicti remunerationem grandem consequemini. Qui uerò uos affligunt, pessum ibunt cum suo præceptore Satana. Dices fortassis, dum pios pessundant aduersarij, omnia habẽt pro uotis. Respondet Paulus, Horum nequitia & felicitas mundialis, erit causa dãnationis seu perditionis illorum, uestræ uerò salutis argumentum certißimũ. Est re uera impiorum tranquillitas uitrea, quæ dum splendet frangitur.*

Idem certamen. *Eandem pro Christo tribulationem.*

CONCILIATIO.

ADVERSATVR *dictum hoc Pauli, Cupio dissolui, & esse cum Christo: Et, Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum: ei qui scribitur 2. Corinth. 5. Qui sumus in habitaculo ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri.* MIRAMVR *hic Paulum, quomodo amet quod refugiat, refugit quæ amet. Ecce enim, mori desyderat, & tamen carne expoliari formidat: Cur hoc? Quia etsi uictoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilo minus ad præsens pœna perturbat. Et quãuis uincat amor subsequentis muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim uir fortis cùm uicino iam belli certamine, cum armis accingitur, palpatur, & festinat, tremit & sæuit, quasi paucre per pallorem cernitur, sed per iram uehementer urgetur: ita uir sanctus cùm passioni propinquare se conspicit, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur: & de uicina morte trepidat, & tamen quòd moriendo uerius uiuat, exultat: ad regnum quippe non potest, nisi interposita morte, transire. Quapropter confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit: & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quòd ad brauium quietis non perueniat, nisi quod interiacet cum labore transcendat. Sic nos, cùm morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim peruenire corpus aliter ad salutem non ualet, in potu libet etiam quod tædet: cumq; amaritudini inesse uitam animus conspicit, mœrore turbatus hilarescit.*

DICTIO.

PHILIPPI, *orum, urbs Macedoniæ, à Philippo rege condita, prope quã Cæsar & Pompeius, deinde Augustus & Brutus pugnarunt. Apud hos Synagogæ princeps Christo credidit: apud hos Paulus flagris cæsus, cum Sila coniectus fuit in carcerem: apud hos præterea & carceris custos, cũ eius domo & uniuersa familia, ad Christi fidẽ cõcessit: apud hos demum & milites Paulũ ueriti, ut abiret quò uellet precati sunt.* Philippi.

EPAPHRODITOS *penultima producta, Græca uox est: fuit cõmilito Pauli, Latinè uenustus dicitur, siue iucundus.* Epaphroditus.

DIACONVS, *penultima correpta, est minister, à diaconeo, id est, ministro: Diaconia, ministerium. Nos Diaconium dicimus, & Diaconatum, pro ordine Diaconi.* Diaconus.

Raro

Rarò admodum Latini dicunt Diacones, in tertia inflexione.

Prætorium. PRAETORIVM, *domus in qua Prætor habitat, siue Dux: pro domo iudiciaria etiam usurpatur.*

Proximorum commodis studendum. CAP. II.

Ad concordiã inuitat Paulus.

SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua uiscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes: non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo IESV, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei patris. Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mea tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore uestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in uobis, & uelle & perficere, pro bona uoluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus: ut sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: uerbum uitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi, quia non in uacuum cucurri, neque in uacuum laboraui.

Societas] communio

Sapiatis, Jsentiatis, sitis concordes,

Christus humilis considerandus.

Hoc enim sentite in uobis, quod] is enim affectus sit in uobis, qui fuit

Habitu] figura

Iesus. Roma. 14. b Esaiæ 45. d

Velle & perficere dat Deus.

1. Petri 4. c

Peruersæ] Tortuosæ

Si qua ergo cõsolatio. *Paulò antè de cõcordia et eius studio disseruit: nũc amplificatiõe quadã, psequitur idẽ negotiũ, potißimũ adducẽs charitatẽ, sine qua reliquæ animi dotes lãguẽt et pereũt. Si qua ergo cõsolatio in Christo, id est, si exhortatio Christiana locũ et autoritatẽ apud uos habet. In Christo dicit, p eo q. est Christiana. Si quod solatiũ charitatis, id est, si reliquiæ charitatis aut aliquid illius adhuc apud uos supereſt unde*

unde speretur consolatio. Si qua societas spiritus, id est, si ille spiritus cuius gratia unanimes uiuunt fideles, à uobis magna autoritate recipitur. Si qua uiscera miserationis, id est, si animi uestri ullis & eisdem pijs ducantur affectionibus, nec uestri sensus obriguerint. Implete gaudium meum, id est, perficite & consummate lætitiam, quam de uestro profectu concepi, ut sapiatis idem, hoc est, eadem miseratione, eademq; charitate erga pios sitis propensi, hoc est, idem sentiatis unanimes.

Nihil per contentionem. *Morbos unanimitatis, contentionẽ scilicet & inanem gloriam adducit. Nihil per contentionem: id est, per nisum quendam à liuore productũ: ut uulgò dicitur, Nitar totis uiribus, ut nemo me superet. Neq; per inanẽ gloriã: hæc nãq; inuidiã parit. Sed in humilitate: si existimaueris alium quempiã te superiorẽ & potiorem, hoc modo nemini inuidebis. Nã inuidia inter æquales oboritur, nõ inter impares, & longè abinuicem alienos. Humilitatem hîc uocat modestiã animi, qua quis sibi nihil arrogat. Contentio inuidiam, mendacium, iram, cõuitia ac suspiciones malas generat. his uitijs opponitur modestia animi: nihil de se altum sapiens, sed humile.*

Contendere.

Inuidia.

Hoc sentite in uobis: *Id est, sitis affecti uicißim alij in alios, ut Christus fuit erga uos. Paulus ad humilitatem Christi nos inuitat, qui nostri gratia, cùm dives esset, est inops effectus. Cùm ergo Dei filium, qui omne excedit fastigium, ad infimam dicat se contulisse, quemnam eorum qui alta sapiant, nõ cogat pudere? Exemplum enim dedi uobis, dicebat ille Ioan. 13. ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis. Non quæsiuit ille gloriam suam, nihil exprobrauit nobis, non contendit, sed summa animi humilitate deiecit ac humiliauit sese, ut nos exaltaret.*

Qui cùm in forma: *Id est, esset uerus Deus, in eadem cum patre substantia. Aut, qui cùm ab æterno fuisset Deus, nequaquam cogitauit rapinam, quando Deum se manifestauit, tamen homo factus, non semper ostentauit quantus esset, sed quàm humilis esset, quàm mitis, quàm obediens, hanc nobis ostendit uiam ad summa perueniẽdi. Beatus Augustinus hunc locum exponens lib. 2. contra Maximinum Arrianorum episcopum cap. 5. Rapina res est aliena, inquit, quæ per iniuriam possidetur. Cùm ergo Dei filius esset filius, Deo per omnia æqualis, non rapina, id est, alieno modo, sed natura æqualis Deo. Proinde in forma Dei esse, est Deo æqualem esse. At inter diuersa nõ est æqualitas. Consequitur ergo in sancta Trinitate unũ adorari Deum, treis orthodoxè agnosci personas. Cùm dicit, nõ rapinã arbitratus &c. alluſit ad ingenium quorundã tyrannorum, qui malis artibus ad imperium uenientes, quia ueri reges nõ sunt, & se tales conscientia reclamante & inquieta agnoscunt, miserè se in animò torquent, & sibi metuunt, nec longius recedunt à regno, ne hoc occupetur, & ipsi expellantur. At Christus uero & iusto titulo, fidenti & firmo animo se regem & Deum asseuerauit.*

Exinaniuit semetipsum. *Humilimum se fecit, hominis naturam assumens, in similitudinem hominum factus. dixit, In similitudinem hominum factus: quia non id solùm quod ex facie exteriori apparebat, inerat illi, sed & diuinitas ipsa. Erat nanq; hic Deus, & humanitati unita erat Diuinitas. Non homo simplex erat. Nos enim ex anima corporeq; cõstamus, Christus ex anima, & corpore, & diuinitate constabat: ob id, In similitudinẽ, dixit. Aliter intelligi potest, In similitudinem hominũ: id est, tanquã homo factus. non quòd hæ particulæ, Similitudo, & Tanquàm negent eum hominẽ factum: sed iuxta uulgatum loquendi morem dicetur: ut cùm dicis, Incedit in similitudinem regis, aut tanquam rex: non quòd negaueris eũ uerè regem esse: sed qualis ipse est rex uerus: ita incedit. Sic dicitur Christus in similitudinẽ hominum factus: id est, planè instar*

Tanquàm & quasi particularũ acceptio.

instar hominum,ac uerus homo factus.Ad hũc modum interpretare.Vidimus gloriam, quasi unigeniti:id est,qualem habere unigenitum decet.

Factus obediens usque ad mortem. *Amplificatio est illius quod prædixit,Exinaniuit semetipsum.Exinanitio filij Dei non est euacuatio,sed humiliatio. At humiliatio aliud nõ est,quàm incarnatio,& mors in carne perpessa.Per epitasim,hoc est,uehementem intentionem,quasi per exaggerationem subiungit,mortem autem crucis.Quasi dicat,Hæc mors & grauissima & turpissima erat.Hic reuera pro nostri expiatione uolens mortem obiuit,ut nos per mortem ipsius innocentissimam æternùm uiueremus.*

Christi nomẽ. **Quod est super omne nomen.** *Cui enim Angelorum dixit, Filius meus es tu,ego hodie genui te? Quæres,Quòd nomen illi ob humanam naturam cõtulit Deus? Nimirum ut filius in carne dicatur & Deus.Nam & homo Dei est filius,sicuti & ab Angelo pronuntiatum est Lucæ 1. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum,uocabitur filius Dei.Acto.4.Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.Danielis 7.Et dedit ei potestatem,& honorẽ,& regnũ,& omnes populi,tribus,& linguæ ipsi seruient.Dicitur hoc loco nomen usurpari pro potentia, & maiestate.atque cùm Paulus meminisset de filij Dei humiliatione, nunc adiscit de gloria,& regno filij Dei,ne quis offenderetur scandalo crucis iam audit Christum regnantem.Exaltatus dicitur propter naturam humanam.*

Vt in nomine Iesu. *Alia dicendi formula Paulus gloriam & regnum Christi explicat.Genuflexio seu geniculatio adorationem,cultum & uenerationem importat. Cùm dicitur,cœlestium,terrestrium,& infirnorũ:ostendit magnum exercitũ omnium creaturarum intelligibilium subiectum Christo.Vt omnis lingua confiteatur: id est,ut omnes tum Angelorum tum hominum linguæ cum laude & gratulatione cõfiteantur, Quia* IESVS *Christus est Dominus & omniũ princeps,& est in, id est, ad gloriã patris.Quia ut Deus, æqualis est patri:Vt homo,est in potioribus bonis ad dexteram patris supra omnem creaturã.Est ad gloriam patris.Nam Ioan.5.legimus Dominum dixisse,Pater omne iudiciũ dedit filio,ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem.Qui non honorificat filiũ,non honorificat Patrem,qui misit illum.Gloria ergo & laus quæ Christo Domino tribuitur,non tendit in ignominiam,sed ad gloriã patris,dicentis de ipso,Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui:ipsum audite.*

Vestram salutem operamini: *Id est,facite ea quæ sunt salutis:atq; ea non sunt alia quàm quæ supra in principio huius capitis pronuntiauit, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes,unanimes &c.Et hoc,inquit,cum timore & tremore,scilicet Dei.Qui enim aliter conuersantur,certum est eos timorem Dei non habere.*

Deus est enim qui operatur. *Occupatio est.Obijciet aliquis, Cùm iubeas nos operari nostram salutem:Erit ergo nostræ potestatis operari nostram redemptionem? RESPONDET Apostolus.Voluntas & facultas bene agendi est Deo.Deus est is,qui agit in uobis,ut & uelitis & efficiatis.Vide infra Conciliationem secũdam.*

Hæsitationibus, disceptationibus.

Sine querela. *Tales uos præstate,de quibus nemo conqueri possit.*

Inter quos lucetis. *Scholia Hieronymo adscripta in hunc locum legunt, Lucete,imperatiui modi: atq; ad hunc modũ uidetur Ambrosius interpretari,qui ait Paulum non hæc pronuntiare,quòd fiant:sed præcipere,ut fiant.Commonet ut memores, professioni suæ respondeant, inter diffidentes tam clari appareant,uita,cõuersatione, moribus,*

moribus,quemadmodum Sol & Luna inter stellas splendore sublimes sunt.

Sed & si immolor suprà sacrificium & obsequium fidei uestræ, gaudeo & congratulor omnibus uobis.Id ipsum autem & uos gaudete,& congratulamini mihi. Spero autem in domino IESV, Timotheum me cito mittere ad uos: ut & ego bono animo sim,cognitis quæ circa uos sunt.Neminem enim habeo tam unanimem, qui syncera affectione pro uobis solicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt IESV Christi.Experimentum autem eius cognoscite,quia sicut patri filius,mecum seruiuit in Euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad uos,mox ut uidero quæ circa me sunt.Confido autem in Domino,quoniã & ipse ueniam ad uos citò. Necessarium autem existimaui, Epaphroditũ fratrem,& cooperatorem,& commilitonem meum,uestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meę,mittere ad uos: quoniam quidem omnes uos desyderabat:& mœstus erat,propterea quòd audieratis illum infirmatum.Nam & infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est eius, non solùm autem eius,uerum etiam & mei,ne tristitiam super tristitiam haberem.Festinantius ergo misi illum,ut uiso eo, iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino: & eiusmodi cum honore habetote: quoniã propter opus Christi, usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id,quod ex uobis deerat,erga meum obsequium.

Timotheus qualis. Act.16.a

1.Corint.13.b

Experimentũ] Probationem Cognoscite.] Cognoscitis. Quæ circa me sunt.] Vel mea negotia.

Necessitatis meæ.] In necessitate mea.

Festinantius.] Vel, studiosius Sine tristitia sim.] Magis uacem dolore. Cum honore] In pretio Tradẽs animã suam] Vel,non habita ratione uitæ suæ.

Sed & si immolor. *Ideo occidor propter fidem uestram,quam me prædicante suscepistis.Facit hîc Paulus uelut duas uictimas: Alteram illorum fidem,quos Christo obtulit, cuius se ministrum & sacrificum facit:Alteram,se,si dum studet illam uictimam ritè Deo exhibere,ipse mactetur,& fiat uictima:quod quidem nõ recusat,modò id efficiat, ut illos Deo dignos exhibeat. Vide hîc iterum egregiam charitatem, & sublimem sanctorum affectum.*

Cognitis quæ circa uos. *Vbi cognouero de rebus uestris.*

Confido autem. *Desyderat,& proponit redire ad Philippenses Paulus,sed suum reditum Domino committit.Confido in Domino:id est,si Dominus uolet.*

Ministrum necessitatis meæ. *Nemo debita laude fraudãdus est.Propterea Paulus Epaphroditum Philippensium episcopum suo præconio suisq; laudibus ornat. Hunc uocat Paulus ministrum necessitatis suæ,quòd hic attulisset Philippensium munera,quibus necessitati Pauli subueniebant.*

Nam

Nam infirmatus est. Quærit Ambrosius, Cur ad mortẽ infirmari Epaphroditum permiserit Paulus, qui tamen suscitabat mortuos? RESPONDET, signa infidelium causa fieri, Deinde fideles uarijs probari afflictionibus, ægritudine, liberorum amissione, pecuniarum ablatione, aut huiusmodi, ut appareat quàm sint stabiles. Præter hæc dicere possumus sanationum dona non ita in sanctorũ manu fuisse, ut quos uellent sanitati restituerent, sed quoties & quos Dominus sanare uellet. Cùm autem orant sancti Dominũ in uiua fide pro infirmis & aliorũ necessitatibus, nec exaudiuntur, non ideo credendum est sanctorum orationes esse uanas & inutiles, sed potius cogitandum est quòd ei melius prouisum sit, cui non impetramus quod orabamus. Deus enim alia ratione ipsi consulit, quia postulatio nostra proculdubio non erat ipsi salutaris. Exauditur ergo oratio precantis, tametsi uideatur alius nonnunquam euentus rerum. Nil tamen de bona Dei uoluntate & ueritate dubitandum est.

Vt impleret id quod ex uobis. Epaphroditus ministrando mihi uestram beneficentiam, uicem uestram suppleuit: id est, fecit, & mihi exhibuit eam operã, quam præsentes exhibuissetis.

CONCILIATIO.

CVM hic Paulus asseueret de filio Dei, Non rapinam arbitratus est se æqualem Deo patri: quomodo in Euangelio dicitur, quòd Pater est maior: & hìc, Exinaniuit seipsum filius, formam serui accipiens. REGVLA catholicæ fidei sic habet, ut cùm aliqua in scripturis dicuntur de filio, quòd sit minor patre, secundũ assumptam humanitatem intelligantur. Cùm uerò ea dicuntur, quibus demonstratur æqualis, secundum id, quod Deus est, accipiuntur.

PAVLVS dicens, Deus enim est, qui operatur in uobis, & uelle, & perficere: auferre uidetur liberũ arbitrium. RESPONDEO, Operatur Deus in uobis, id est, suggerit uobis, ut quæ bona sint capiatis, & uestram hanc optimam cupiditatem augebit, incendetq; ut fiat feruentior. Nec per hoc nobis liberum arbitrium adimit, sed uult ut gratiæ Deo per nos semper agantur, & illi uniuersa bona committamus. Præterea aduerte, Paulum hac sententia propulsare errores eorũ in primis, qui aiunt, hominem proprio libero arbitrio saluari, absq; diuino auxilio: quos reprobat Christus Ioannis 15. Sine me nihil potestis facere. Secundò tollit eorũ errorem, qui tollunt liberum arbitrium, & dicunt, Hominem fato uel prouidentia diuina necessitari: sed excluduntur hi, cùm ait, In uobis: Quia per internã instinctionem mouet uolũtatem ad bene operandũ, & aliquando non insequimur illum instinctum diuinum, iuxta id quod nobis obijcit Christus Matth. 24. Quoties uolui cõgregare te, &c. Et noluisti. Ergo libera est uoluntas, aliter nõ illam argueret Christus. Sed ad hanc bonam uoluntatem requiritur gratia Dei. Quare nõ est uolentis, scilicet uelle sine auxilio Dei: nec currentis, scilicet currere: sed miserentis est Dei. Tertiò tollit errorem dicentium. Deum operari in nobis secundũ meritum nostrum, cùm ait, Pro bona uoluntate, supple sua, nõ pro meritis nostris. Primũ enim illum bonum motum ad iustificationem nostram sola sua gratia nobis impertit, & nullo nostro aut opere, aut merito præcedente. Quia nullum illam præcedit gratiam. Psal. 40. Benigne fac Domine in bona uoluntate tua.

Liberum arbitrium.

DICTIO.

CONSOLATIO Græcis est Paracleſis, penultima producta: hinc Paracletus, id est consolator, & aduocatus.

Paracleſis.

COOPERATORI præstat cõmilito, ait Theophylactus: Cooperator enim & operam

Cooperator.

& operam aliquis præstat in rebus tamen nullius discriminis. Commilito uerò in admodum periculosis, & in quibus de uita agitur, & salute.

Commilito.

In Christo, & non in proprijs operibus gloriandum. CAP. III.

De cætero] Quod superest Mihi quidẽ nõ pigrũ,] me quidẽ haud piget, Necessarium.] Tutum.

DE cætero fratres mei, gaudete in Domino. Eadẽ uobis scribere, mihi quidem non pigrum, uobis autem necessarium. Videte canes, uidete malos operarios, uidete concisionem. Nos enim sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo IESV, & non in carne fiduciam habentes; quanquam & ego habeam confidẽtiam in carne. Si quis alius uidetur confidere in carne, ego magis, circuncisus octauo die, ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundũ æmulationem persequens ecclesiam Dei, secũdum iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESV Christi domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, ut & inueniar in illo non habẽs meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide: ad cognoscendum illum, & uirtutem resurrectionis eius & societatem passionum illius: configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.

Gaudere in Deo.

Præter cognitionẽ uni⁹ Christi omnia nihili facit Paulus. Act. 13. b

Veruntamen] Quin etiam.

Videte] Cauete, & infrà.

De cætero fratres. Quædam ueluti necessaria hactenus uobis exposui, & de eisdem præcepta dedi. at de cætero, hoc est, at nunc quod supereſt, & quod summo studio curandum est, uidete ne in ulla alia re gaudeatis quàm in Domino IESV Christo. Eadem scribere &c. Quasi dicat, dum apud uos Christum prædicarem, docui nullam extra Christum salutem esse, sed omnia, quæ ad puritatem uitæ pertinent, ad Christum pertinere. Hæc eadem uobis scribo, cùm scribo in solo Domino gaudendum esse. Non ergo me piget eandem rem, & uiua uoce, & scriptis inculcare uobis.

Videte canes. Obseruate, & cauete, ne huiusmodi falsi Christiani sub specie euangelij legalia prædicent obseruanda. Hunc locum adducens Ambro. ad uirginem deuotam sic ait, Vitate canes, uitate malos operarios. Canũ enim more oblatrabant illi pseudapostoli. Inuidebant, & mordebant. Oblatrabant doctrinæ Euangelicæ, inuidebant Paulo, inuidebant & libertati Christianæ, mordebant alienã uitam, imò & morsum doctrinæ uenenatæ infigebãt simplicioribus. Existimabãt illi neminem à peccatis purgari, aut recipi in populum Dei, nisi circũcideretur circuncisione illa externa &

Iudaica. Quos arguit hoc loco Paulus, Dicens inutilem illam circunciſionem, & ſe nõ metiri populum Dei ab externis: ſed palàm & publicè pronuntiat homines populum Dei fieri, ſi Deum ſpiritu, id eſt, rebus ſpiritualibus colant. hoc loco, Nos enim ſumus &c. circunciſio ponitur pro cœtu populi ſancti & eccleſia Dei.

Conciſio. Circunciſio. **Videte conciſionem.** Diſtinguit Conciſionem à Circunciſione. Conciditur enim quod diſcerpitur, & planè diſtrahitur. Circunciditur, quod expolitur reſectis ſuperuacaneis. Hæc Hieronymus in Michæam. Hi ut canes concidunt & diſcerpunt eccleſiam cùm circunciſionem docent.

Qui ſpiritu ſeruimus Deo. Hoc loco, Seruimus, dicit pro eo quod eſt, Religione colimus. In hunc ſenſum enarrat Theophylactus, Spiritu & mente Deum colentes, non corporeis ceremonijs tantùm, ut Iudæi.

Quanquam & ego. Ne quis putet me damnare circunciſionem, quaſi gentilis ſim, & nullam habeam gloriandi cauſam in carne: id eſt, uel in generis nobilitate, uel inſecta pellicula. Ego, ſi liceret optimo iure, generis mei nobilitatem & gloriam in Iudaiſmo enarrare poſſem, ſi quis alius eſt qui apud uos uerſatur. Sed hæc omnia iam mihi planè fœtent propter IESVM Chriſtum iuſtitiam meam.

Circunciſus octauo die: Id eſt, circunciſio octaui diei. Se uocat Circunciſionem, ut ſæpe alias gentes uocat Præputium. Rectè circunciditur qui uitia ex animo demit.

Ex genere Iſraël. Iſraël, hoc loco nominatiuus eſſe uidetur, non genitiuus. Vt enim ſe modo uocauit circunciſionem pro Iudæo, ita ſe hic nominat Iſraël, pro Iſraëlita. Quemadmodum & aliàs frequenter Iſrael pro Iſraëlitis ponitur. Addidit autem,

Proſelyti. Genere, ad diſtinctionem Proſelytorum, qui erãt quidem Iſraëlitæ, ſed uelut adoptione, non ex genere.

Secundum legem Phariſæus. Hoc eſt Phariſæus in legis diſciplina. Erat enim apud Iudæos Phariſæorum ſecta omnium probatiſſima.

Sine querela. Is fui in lege illa, de quo conqueri nemo poſſet.

Propter eminentem ſcientiam: Id eſt, propter eminentiam cognitionis.

Vt Chriſtum. Chriſtum lucrifacere, eſt illi per fidem coniungi, & per eius iuſtitiam iuſtificari ac abſolui. Vocat ſuam iuſtitiam quæ ex lege eſt, obſeruationem legis Moſaicæ, quam non curat, modò ueram conſequatur iuſtitiam, hoc eſt ſui iuſtificationem, quam ſuam non uocat, quia illam gratis à Chriſto accipit.

Non habens meam iuſtitiam. Nõ conſequor iuſtificationem meam ex iuſtitia, id eſt, operibus legis, ſed per fidem in Chriſtum, qua etiam cognoſcam quæ Plato, Ariſtoteles, & huius ordinis uiri, neſcierunt, dicamq; cum Dauide, Credidi propter quod loquutus ſum. Quî enim fieri poteſt, mens ulla humana, uel cogitatio, natiuitatem, reſurrectionem, & aſcenſionem Chriſti complectatur? profectò nulla. Quin potius fides uel ſola hanc contemplabitur.

Ad cognoſcendum. Potentiã reſurrectionis Chriſti cognoſcit, qui ſcit Chriſtum regnare, & triumphare ſuper mortem, peccatum, & inferos, qua eadem potẽtia nos credimus, Epheſ. 1. Vnde ad Rom. 4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, ut & nos eſſemus iuſti. Epheſ. 2. Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiã, &c. Cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos. Hæc in ſpiritu docentur.

Societatem paſsionum illius. Communionẽ afflictionum Chriſti agnoſcimus, dum Chriſti afflictiones, noſtras eſſe intelligimus, & rurſus noſtras Chriſti & in Chriſto

Chriſto eſſe benedictas. Et eſſe bonam Dei uoluntatem quicquid nobis acciderit. Idq; bono animo fiet, ſi Chriſto configurati ſumus: id eſt, comparauerimus & illum imitati fuerimus. Vt ille pro nobis mortalibus perpeſſus eſt, ita & nos pro Chriſto uincula & carceres feramus: ille mortuus eſt & reſurrexit, ita & enitamur ipſi peccato mori, ut Chriſti uirtute cum illo reſurgamus.

Sequor] ſector

Vnum autem] ſubaudi ago

Deſtinatũ] præfixum

Brauium] palmam

Sapitis,] ſentitis.

Sapiam⁹,] ſentiamus,

Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto IESV. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem: quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea uerò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ uocationis Dei in Chriſto IESV. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc uobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, ut idem ſapiamus, in eadem permaneamus regula. Imitatores mei eſtote Roma. 16. c fratres: & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam uobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus: quorum Deus uenter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt: unde etiam ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum IESVM Chriſtum; qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem uirtutis ſuæ, qua etiam poſsit ſubijcere ſibi omnia.

Conuerſatio in cœlis.

Reformabit] uel, trãsfigurabit

Humilitatis noſtræ,] noſtrum humile

Cõfiguratũ] ut fiat conforme

Sequor autem, ſi quo modo. Sector, & aſſequi cupio, imò toto niſu, & ſine ulla interpellatione per prædicationem Euangelij contendo, ſi quo modo aſſequar id, in quo à Chriſto, etiam fugiens, & eccleſiam perſequens, comprehenſus ſum: id eſt, ad quod Chriſtus me delegit, & in ſtadio hoc certare iuſſit. Colligimus ex his, neminem, dum hic uiuit, ita abſolutam attingere iuſtitiam, ut non aliquid deſideretur, propter carnis imbecillitatem. Sed ad meliora ſemper eniti debemus, eluẽtes carnis noſtræ maculas ſanguine Chriſti, ſanctaq; pœnitentia uigilantes pergamus conſtanter in uia Domini, calcantes Mundi ac carnis noſtræ cupiditates noxias, itaque aſpiremus ad ſedes beatas.

Vnum autem. Subaudiendum eſt, ago: quaſi dicat, Solùm hoc ago, & in hoc ſum totus, ut ſemper proficiam.

Quæ quidem retro ſunt: Id eſt, quæ à tergo ſunt, quæ præterita ſunt, & relicta. Sumit enim ſimilitudinem à curſoribus, qui non attendunt, nec reſpectant, quid ſpatij tranſmiſerint, ſed quid ſuperſit. Auguſtinus in Pſal. 39. interpretatur, Quæ retro

tro ſunt,uitam priſtinam uitijs inquinatam. Videtur Paulus loqui de pietatis gradibus, pretermiſſis inferioribus, ad magis ardua perfectioraq; connitendum eſſe. Nam & Corinthijs oſtendit uiam excellentiorem ad quam proficiant, ſepoſitis minoribus uirtutum donis.

1.Corinth. 13.

Ad ea uerò quæ ſunt priora. Sic enim perſequor quæ ante me, ſeu quæ à fronte ſunt,ut ſemper exiſtimen, hæc mihi ad perfectionem deeſſe: & quouſq; tandem cœpta peregero,à curſu nunquam deſiſtam. Extendens autem.hoc eſt, priuſquam ipſe comprehendam,manibus tenere quod cupio, ſtudeo,ait Theophylactus. Solent nanq; & qui curſu contendunt, eos qui multa pernicitate mox prouehuntur à medio curriculo ſic intercipere,ut proni & manibus potentis retrahant, quos curſu nequeunt præterire:hoc ex ſumma quadam fit progrediendi cupiditate.

Scopus.

Ad deſtinatum perſequor: Id eſt,ad præfixũ aut ſcopum. Scopus,ait Hieronymus,propriè dicitur ſignum præfixum ſagittantibus. Vnde quod animo deſtinamus,& præfigimus, ſcopus eſt. Sed quem ſcopum dicit? Certè uocationis ſupernæ,& cœleſtis palmam.

Quicunq; ergo perfecti. Perfectos hoc loco uocat eos, qui pura fide norunt & crediderunt,quod Chriſti ad meritum iuſtificationem ſatis ſit. Videtur ergo dicere Paulus, Quotquot ſumus qui didicimus ſanguinem Chriſti nos à peccatis abluere, caueamus ad legem redire, ſed conſtanter ad finem progrediamur,obſeruantes quod uerum eſſe agnouimus. Et qui uidemur in hac cognitione perfectiores, quòd accepimus uidelicet Chriſti unicum ſaluatorem, eadem regula ſeruemus, & idem unanimes conſtanter profiteamur.

Si quid aliter ſapitis. Theophylactus: Si quid aliter ſentitis de affectanda uictoria,non rectè ſentitis. Sed tamen Deus iſtam quoq; mentem uobis mutabit in melius. Hilarius in lib. de Trini. 11. legit, Reuelabit: uerbo futuri temporis, & interpretatur, iis qui nondum abſolutam ueritatem aſſequuti ſunt, expectandam reuelationem Dei, qui plenam ueri cognitionem largiatur, & ſi quid prius erratum fuit, corrigat.

Veruntamen ad quod. Seruemus ad quod peruenimus, ut idem ſapiamus: id eſt, ſupra nos nihil ſapientes, unanimes uiuamus. Et in eadem regula permaneamus: id eſt, fide eadem, & terminis ambulemus eiſdem, quos ſancti patres nos docuerunt. Et quemadmodum nec adijcit quidpiam, nec adimit regula, ita & quæ ſanctè ſunt uobis demandata nil immutetis.

Noſtra conuerſatio. Id eſt, noſtrum ſtudium, noſtra adminiſtrandi uiuendiq; ratio, œconomia cœleſtis, non aliò tendit quàm ad cœlum, ubi Chriſtus caput noſtrum eſt.

Vnde etiam ſaluatorem. Vnde, id eſt, ex quo, ſcilicet cœlo.

Corpus humilitatis: Id eſt, corpus humile, & abiectum.

Configuratum. Pro, Vt fiat conformè corpori glorioſo Chriſti.

Secundum operationem. Occupatio eſt. Animalis homo dicet, Quomodo reſurgent corpora in terris conſumpta, aqua, aëre, igni, & à beſtijs deuorata? Reſpondet Paulus: Id fiet ſecundum operationem uirtutis Chriſti. Non enim erit impoſſibile omne uerbum apud Deum. Deus ſic uult & poteſt, incredulus contrà diſputat. Qui autem credit, dicit cum Ioanne 1. Ioan. 3. Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt.

Refurrectio fiet uirtute Dei.

CONC

CONCILIATIO.

QVOMODO hîc Paulus quaſi per cõtrarium loqui uidetur modò perfectum, modò imperfectũ ſeſe dicẽs, Nõ quòd iam acceperim, aut perfectus ſim. Et ſubdit, Quicunq; ergo perfecti ſumus. Alia eſt perfectio in hoc mũdo, alia eſt poſt hãc uitã. Maximè perfecta poſt hãc uitã erit, de qua Corinthijs loquens Paulus ait, Cùm uenerit quod perfectũ eſt. Cùm ait, Quicunq; perfecti ſumus: exprimit perfectionem illam, qua ueram humilitatẽ ſignificat. Decet enim qui ſit perfectionem adeptus, imperfectũ & abiectum ſe ducere. aut perfectos dicit illos de quibus mentionem fecimus ſuprà in ſcholio.

Perfectio uera.

DICTIO.

BRAVIVM, præmium ſignificat, quod certantibus aut uincentibus datur. Quod nomen producit mediam, quoniam apud Græcos per ει diphthongum ſcribitur.

Brauium.

Exhortatio ad ueram pietatem. CAP. IIII.

Idipſum ſapere] uel, ut ſint concordes

ITaque fratres mei chariſsimi & deſideratiſsimi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſtate in Domino chariſsimi. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino. Etiam rogo & te germane compar,adiuua illas,quæ mecum laborauerũt in Euangelio,cum Clemente,& cęteris adiutoribus meis,quorum nomina ſunt in libro uitæ. Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Modeſtia ueſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones ueſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei,quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda ueſtra,& intelligentias ueſtras in Chriſto IESV. De cætero fratres quæcunque ſunt uera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua uirtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis,& accepiſtis,& audiſtis, & uidiſtis in me: hoc agite, & Deus pacis erit uobiſcũ. Gauiſus ſum autem in Domino uehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis, occupati autem eratis. Non quaſi propter penuriam dico, ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. Scio & humiliari, ſcio & abundare (ubique, & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Veruntamen bene feciſtis cõmunicãtes tribulationi meę. Scitis autem & hoc Philippenſes, quòd in principio

Modeſtia.

Pax.

Senſum,] intellectum,

De cætero] quod reliquũ eſt

Pudica. Jhoneſta, uel, uerecũda,

Sancta,] pura, caſta,

Amabilia,] accommoda,

Bonæ famæ,] laudabilia,

Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, nisi uos soli: quia & Thessalonicam, semel & bis in usum mihi misistis. Non quòd quæro datum: sed requiro fructum abundantem in rationem uestram. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne desiderium uestrum, secundum diuitias suas in gloria, in Christo IESV. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum. Amen. Salutate omnem sanctum in Christo IESV. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri IESV Christi cum spiritu uestro. Amen.

Sic state in Domino. *Hortatur ad perseuerantiam & animi constantiam, ne à Christo desciscant ad legalia. Sed ut cœperunt, pergant. Hæc sunt quæ ab illis iure postulat, ut illorum uictoriam pro sua corona & gloria indicet. Discipulis enim (ait Ambros.) in agone uictoribus, dignus erit corona magister.*

Euodiam rogo &. *Apparent hæ mihi fœminæ (ait Chrysostomi abbreuiator) tanquam primates in Philippensium ecclesia extitisse. Commendat has miræ uirtutis uiro, (Etiam te rogo & germane compar) qui harum alteri uel uir erat, uel frater. Forsitan etiam custos erat carceris, in quem coniecti sunt Paulus & Silas (ut est in Actis) qui credidit Christo cum omni eius domo, & uniuersa familia. Quasi id inquiat, Nunc uerè germanus es frater, nunc uirum te proprium & cõiunctißimum geres, si in opere Domini iugum pariter traxeris umlieribus hisce opem ferẽs. Nonnulli uerò errore ducti, dicunt Paulum adhortari uxorem suam. Quod tamen longè aliter habet, ut docent Hieronymus in epistolis, & Theophylactus in hunc locum: quibus sacra facultas Theologiæ Parisiensis subscripsit, asserens Paulum nũquam duxisse uxorem. Neq; enim facilè suaderi potest, uxorem Pauli, si habuisset, Philippis in peregrina patria habitasse: sed Tarsi potius, aut Hierosolymis.*

Germanus.

Quorum nomina sunt. *Quorũ nomina sunt in libro uitæ: id est, quos Deus cognoscit pro suis. Contrà de reprobis dicitur Psal. 68. Deleantur de libro uiuentium.*

Iterum dico. *Iterum pronuntiat: quia hoc ipsum gaudium infirmis conscientijs non satis prædicari potest.*

Modestia uestra. *Modestia est, qua non tuo sensui inniteris, sed accõmodas te alijs, quantum cum Deo licet, in omnibus rebus. Hanc uult Paulus, non ut aliquibus, sed ut omnibus exhibeas, etiam inimicis, etiã ijs, qui possunt uideri inferiores. Atq; hãc modestiam, ut uides, docet per totã ferè epistolã. Obijcit carnalis: Si hãc modestiã seruauero, cõtemnar, lædar, mea mihi auferẽtur, nemo me uerebitur, &c. Respondet Paulus: Dominus uobis propè est, ipse omnia curabit pro uobis, nihil uos soliciti sitis, sed tantũ quæ cupitis, petite à Deo, & gratias agite de acceptis. O uerbum fidei, quod uerè creditum in omni necessitate, & corporis & spiritus, sat esse contra omnem infidelitatis*

Modestia.

Afflictorum cõsolatio.

tatis nostræ tentationem.

Et pax Dei, quæ exuperat. *Pax quam Deus dat credentibus, ut gaudentes de remisso peccato, & donata gratia, mutua se charitate complectantur, hæc exuperat omnem intellectum.*

Custodiat. *Græcis est, Custodiet: futuri temporis. Neque enim optat hoc illis, sed animat eos hac fiducia: hoc est, in Christo seruabit, & ita tutabitur, ut ab eo non excidant, qui à pace hac seruabuntur.*

De cætero: *Id est, quod reliquum est. Est autem continuãtis post digressionem aliquam. Explicat quæ reliqua erant ad imitationem perfectionis, ut ea quæ non solùm (ait Ambros.) in uituperationem non cadunt, uerùm etiam laude digna sunt, & cogitantes & agentes sequuti formam Apostoli, Deũ pacis habeant secum. Cogitate, ait, quæcunq; sunt uera: abijcite ergo omnem fucum & omne mendacium. Vt enim Christus ueritas est, ita omnem hypocrisim odit. Quæcunq; pudica, absint ergo à uobis lasciuiæ & spurcus sermo. Quæcunq; iusta, ergo omnem lernam iniquitatis fugite, absit iniustitia, fraus, dolus iniuria & proximi læsio. Quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ &c. Hæc comprehendunt gestum corporis, habitum, uestitum, dictum & factum. Quæ si pura exhibuerimus, accõmodi omnibus erimus, ab omnibus amabimur, ab omnibus commendabimur, & Deum pacis nobiscum habebimus.*

Gauisus sum autem. *Hic est locus gratiarum actionis, pro accepto munere, & de eleemosyna à Philippensibus per Epaphroditũ missa. Vbi uide quomodo multis uerbis spiritualis homo gratias agit, & quanta doctrina abundet. Primũ ostẽdit, ueri prædicatoris esse, gratis Euangeliũ prædicare. Deinde auditorũ esse, prædicatoris inopiam subleuare. Præterea ne prædicator occasionem præbeat pseudapostolis, accipiendi aliquid, quod etsi iure accipi possit, tamen abstinendum, sicut Paulus abstinuit, ne acciperet aliquid à Corinthijs & Thessalonicensibus. Item quæ sic dantur, cedere in commodum eorum, qui dant. Item hæc ipsa data esse hostiam acceptam Deo, ad Hebr. 13. Item dantibus reddi à Deo abunde secundum Euangelium Matth. 19. & Luc. 8. & Paulum 2. Corinth. 9. Postremò ne hoc negligas, Sanctos esse contentos in his quæ habent, & sub Dei prouidentia gaudere securos. Quemadmodum paruulus gaudet sub manu patris, nihil solicitus quicquid acciderit. Nam, inquit, Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Et ad Hebr. 13. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus.*

Spiritalis hominis doctrina & eruditio.

Refloruistis: *Id est, reuiguistis in sentiẽdo de me: hoc est, reuiguit in uobis amor, & solicitudo, ac studium erga me, tametsi non misistis hactenus: non quòd defuerit uobis animus, sed opportunitas: atq; id est, quod dicit, Sed occupati eratis.*

Non quasi propter penuriam. *Non quod fame aut necessitate aliqua extrema laborauerim, quasi uel oblique uidear uos ad largiendam beneficentiã inuitare.*

Sufficiens esse: *Id est, contentus esse.*

Qui me confortat. *Confortat, id est, potentem ac fortem reddit.*

Confortare.

In ratione dati. *Iure optimo dare debet qui accipit. Nam 1. Corinth. 9. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia uestra metamus. Secundum hanc rationem hoc loco ait Paulus, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi uos soli. Ex his colligimus, Paulum non damnare munera honoraria, sed illa quæ uel ueritatem obscurant, uel res iustas peruertunt.*

Quia & Thessalonicam. *Græcis est, & apud Ambrosiũ, In Thessalonica: ut*

ſubaudias, eccleſia, nec miſerũt in Theſſalonicã, ſed Paulo miſerunt, qui illhic tum erat.

In uſum: *Id eſt, cùm eſſet opus, ad egeſtatem, ſiue neceßitatem. Ambroſius legit, in uſus meos miſiſtis.*

In odorem ſuauitatis. *Hoc ſumptum à ſacris ueteris legis, in quibus ſuffitus ſpargebantur grati naribus.*

Omne deſyderium. *Omnẽ neceßitatem, & egeſtatem ueſtram.*

Qui de Cæſaris domo. *Domum Cæſaris uocat Neronis familiam, ſiue familiares & aulicos, quos quidam exponunt de L. Anneo Seneca, & M. Anneo Lucano, dcq; alijs uiris primarijs. Sed de his nihil certi affirmare auſim. Conſtat tamen ex hiſce Pauli uerbis plurimos ex aulicis Cæſaris Chriſtum fuiſſe complexos.*

CONCILIATIO.

PAVLVS oblata à Philippẽſibus accepit, cùm tamen alibi dicat, Beatius eſt dare, quàm accipere, in hoc capite gradum perfectiorem cõtendit comprehendere. Et ad Corinthios, Bonum eſt mihi potius mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. EX quadam diſpenſatione tunc temporis apud Corinthios ne quid acciperet cauebat Apoſtolus, ut cæteris ſcilicet eſſet exemplo, & præcipuè falſis Apoſtolis, qui occultè à multis exigebant, & tamen gratis ſe Chriſti Euangelium prædicare ſimulabant, ut uiderentur cum Paulo eandem habere gloriam. Hic uerò habebat amabiles Philippenſes, & deſyderatißimos largitores, quos reuera offendiſſet, ſi eorum dona repudiaſſet: alioqui huiuſmodi donorum ſuſceptio, largientibus conferebat, quippe qui ex largitionibus hiſce plus utilitatis illi aſſequebantur, quàm qui illas exciperent. Cùm autẽ inquit, Beatius eſt dare quàm accipere: non munerationem interdicit pro præſtita opera, ſed comparatione quadam, quid è duobus ſit potius & melius, patefacit. Nec quia cæteris metallis aurum præſtantius eſt, eò prohibemur argento potiri.

DICTIO.

Euodia. Syntyche. *EVODIA, & Syntyche, nomina mulierum matronarum è Philippis ciuitate, quæ concordibus animis erant in promouendo Chriſti Euangelio. Nam εὐωδία Græca dictio eſt, ſignificans bonum odorem ſi cum ω, ſcribatur. Non eſt legendum Enodia, ſiue ut plures libri habent Euchodia. Syntyche ſecundum Græcam etymologiam dici poteſt confortunata, à ſyn, id eſt, cum, & tyche, fortuna.*

Modeſtia. *MODESTIA, humanitas, ſiue æquitas. Beatus Ambroſius explanat, rationabilis conuerſatio, cùm non contenditur de ſummo iure, ſed alius alij pro tempore cedit, & id ſequitur, quod poſtulat humanitas.*

BONAE famæ: id eſt, bene ominata, ſiue boni ominis. Beatus Ambroſius dicit laudabilia.

SEMEL & bis, id eſt, ter: Beatus Ambroſius legit, Semel, & iterum.

FINIS.

Scripta eſt hæc epiſtola ex uinculis ab urbe Roma, perlata per Epaphroditum ad Philippenſes.

ARGVM. EPIST.
AD COLOSSENSES.

Hortatur Paulus Coloſſenſes, Phrygiæ in Aſia minore

nore populos, ab Epaphra & Archippo in fide inſtitutos, ne alium, quàm Chriſtum, ſuæ ſalutis autorem agnoſcant.

LOCI INSIGNES HVIVS EPISTOLAE.

1 Vnus Chriſtus, angelis præfectus, primogenitus omnis creaturæ, noſtræ ſalutis autor, credendus. Cap. I. II.
2 Superſtitiones Iudaicæ, uerboſæ philoſophorum de elementis doctrinæ, & falſæ angelorum uiſiones, quibus illuduntur homines, reprobãtur. Cap. II. & III.
3 Paræneſes morum Chriſtianorum explicantur. Cap. III. IIII.

EPISTOLA PAVLI AD COLOSSENSES.

Gratos nos eſſe Chriſto docet, à quo omnia habemus. CAP. I.

PAVLVS Apoſtolus IESV Chriſti per uoluntatem Dei, & Timotheus frater: ijs qui ſunt Coloſsis ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto IESV, Gratia uobis, & pax à Deo patre noſtro. Gratias agimus Deo & patri Domini noſtri IESV Chriſti, ſemper pro uobis orantes, audiẽtes fidem ueſtram in Chriſto IESV, & dilectionem quã habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt uobis in cœlis, quam audiſtis in uerbo ueritatis Euangelij, quod peruenit ad uos, ſicut & in uniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut & in uobis ex ea die, qua audiſtis & cognouiſtis gratiam Dei in ueritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſsimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro uobis miniſter Chriſti IESV, qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem ueſtram in ſpiritu. Ideo & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro uobis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni uirtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & *longanim*

Pro uobis orãtes,] De uobis cùm oramus,

Quam audiſtis in uerbo ueritatis] De qua prius audieratis per ſermonem ueracem

In ueritate,] Per ueritatem,

Scientia,] Agnitione,

Virtute cõfortati] Robore corroborati

B. neficia Dei erga nos per Christum.

longanimitate: cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, & trãstulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt uniuersa in cœlis & in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso cõstant. Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principiũ, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificãs per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.

Dignos] Idoneos.
In partem] Ad participationem Dilectionis suæ, id est, sibi dilecti,
In ipso] Per illum
Caput ecclesiæ Christus. 1. Corint. 15. c Apoc. 1. b
In ipsum] erga se.

Apostolus IESV Christi. *Inscriptio hæc, ut in alijs epistolis, manifestat Pauli officium, seu functionem: ut sciamus uerbum Dei esse id, quod ipse docet. Non secus Paulus atque Moyses & cæteri Prophetæ præfantur, Loquutus est, Hæc dicit Dominus, Os Domini loquutum est, & huiusmodi. Sic Paulus significat se non humana electione factum esse Apostolum, sed diuina uoce ad functionem uocatum esse. Proinde quemadmodum uoluit Deus ut Moysi crederent Israëlitæ, ita uult Paulo nos credere Euangelium docenti. Et sicut Moyses miraculis testatus est se diuinitus missum fuisse, ita & Paulum miracula facta testabantur à Deo missum esse. Est igitur de Paulo & ipsa ecclesia, seruãda regula, Qui uos audit, me audit. Tutum ergo est Pauli & ecclesiæ doctrinæ credere, non aliter, atque manifestæ de cœlo uoci diuinæ. Hæc epistola epitome eius est quam scripsit ad Ephesios.*

Ecclesiæ autoritas.

Per uoluntatem Dei. *Non sicut Pseudo, qui non uocati sese ingerunt ad prædicandum & docendum. Hier. 23. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. O Paule, hoc munere Apostolatus fungens per Dei uoluntatem, quid prædicas? Nimirum quia per filium IESVM Christum sumus ad patrem deducti, Gentiliumq; & Iudaicis traditionibus liberati.*

Sanctis & fidelibus. *Qui credentes & Christiani sunt.*

A Deo patre nostro. *Patrem nostrum, Deum hic uocat, quem paulò pòst patrem Christi dicit. Habemus ergo cum Christo patrem communem. Ergo nostra sunt omnia per Christum, cuius gratia & merito, filij Dei sumus designati.*

Cum Christo patrem habemus.

Domini nostri IESV Christi. *Christus noster est Dominus, non qui seruiunt Angeli.*

Audientes fidem uestram. *Dicit audientes: quia Colossenses non adierat Paulus. Ab Epaphra autem audierant Euangelium, ut in hoc cap. dicitur. Et iam habebant Archippũ Apostolum, siue Pastorem, ut docetur in fine huius Epistolæ. Distributione recta hoc loco utitur Paulus, dicẽs, Fidem in Christo IESV, & dilectionem in sanctos. Fide enim Deum adimus, Hebræor. 11. Et eundem cognoscentes, illi postea uitæ illa*

illa fide adhæremus, & iustificamur. Charitas in scripturis est officium in proximum, propterea Dilectionẽ posuit hoc loco, p eleemosyna, & bonorũ cõicatiõe præsentiũ.

Charitas. Dilectio.

Propter spem quæ reposita est. *Laborandum in Euangelio futuræ beatitudinis expectatione. Ipse enim Deus eximium nobis recõdidit thesaurum, posteaquàm hinc soluerimus nobis per Christi meritum aperiendum, propter quem perseuerãdum est in puritate uitæ, beneficentia & innocentia.*

Merces ex labore in Euangelio.

In uerbo ueritatis. *Euangelium dicitur sermo & uerbum ueritatis, non solùm ideo, quòd in se uerũ est: sed multò magis, quòd ueraces facit, & talia corda, quale ipsum est. Alioqui sine Euangelio omnis homo mẽdax. Euangelium enim exprimit cognitionem gratiæ & misericordiæ Dei per Christũ. Et subditur, Audiuistis in ueritate: Audire & cognoscere in ueritate gratiam Dei, est non uanè audire, non uanè scire & legere de gratia euangelica: sed fide intelligũtur promissiones Dei, qua fide & intelligentia spiritus Dei imbuit & perfundit corda nostra, ut fructificet Euangelium in nobis: quod si uerè in nobis est, sine fructu esse non potest. Semen enim quod cecidit in terram bonam, aliud protulit fructum centesimũ, &c. Vt est in parabola Math. 13.*

Euãgeliũ quare dicitur uerbum ueritatis.

Fructificat & crescit. *Fructificat quidem operibus, crescit ex credentiũ continua multitudine ad fidem admissa. Arbores cùm altioribus obfirmantur radicibus, fructus producunt uberiores.*

Ex ea die qua. *Subaudiendum est, Euangelium fructificat, & crescit ex ea die, qua & signis, & admirandis operibus, autore Deo, per Epaphram cognouistis ueritatem Euangelicam.*

Dilectionem uestram: *Id est, beneuolentiam spiritualem, qua erga me estis adfecti: non carnalem, non fictam.*

Ideo & nos ex qua die. *Precatio est, qua orat primùm, ut cõtingat eis cognitio uberrima, seu plenissima diuinæ uoluntatis: Secũdò, ut bonos fructus pariãt: Tertiò, ut perferant crucẽ, & in cruce addiscant præsentiam & beneuolentiam Dei erga se.*

In omni sapientia &. *Quia à philosophis circumuenti grauiter fallebantur, Velim uos, inquit, in spiritus sapientia, non hominum doctrina, ueritatem perdiscere. Est ergo Sapientia, ut noris ea quæ Dei sunt, Ephesi. 1. Vt Deus Domini nostri IESV Christi, pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ, & reuelationis. Prudentia uerò ut noris cauere, quicquid huic sapientiæ aduersum est: hoc est, omnes aduersarij insidias, & technas. Intellectum spiritualem hoc loco uocat prudentiam.*

Sapientia. Prudentia.

Vt ambuletis dignè Deo. *Viuite, & huius uitæ curricula transite, ut Dei filios decet. Ambulare dignè Deo, est ita uiuere, ut ipsi per omnia placere, & omni nisu contendere, ut uitam Christiano dignam uiuamus.*

Crescentes in scientia Dei. *Semper de Deo cogitandũ, qui illuminabit corda, & pulsantibus aperiet. Cogita & agnosce, quæ pro fide promissa sunt, quanta sit potentia gloriæ maiestatis, quàm longa expectatione sustineat genus humanum, quàm misericors, quàm pius, qui pro peccatis nostris mortuus est, & resurrexit propter iustificationem nostram. Qui hæc meditatur non decrescit, sed crescit in pietate.*

Quæ meditanda ueniũt pijs.

In omni uirtute confortati. *Ex Græco sermone hic locus sic explicatur: In omni potentia facti potentes, siue ualentia ualescentes. Aut omni sitis stabiliti uirtute, ut aduersus tentationes persequutionesq; ipsas sitis ualidiores, ne in his uel animus hebetior sit, uel desperet.*

Secundum potentiam. *Claritatis, id est, gloriæ. Peruenuste rationem potentiæ, ad*

Potentia gloriæ diuinæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

Afflictorum iunctio.

tiæ,ad tolerandum omnia,explicat potentiam gloriæ diuinæ. Maximæ enim est potentiæ gloria diuina ad hoc,ut omnia toleremus:hæc nempe martyres omnes effecit.

In omni patientia & longanimitate. *Ad afflictiones pertinet quod dixit,Crescentes in cognitione Dei,&c. Nam in afflictione iubet nos sentire, quid Deo placeat,ut affligamur. Oportet enim nos fieri similes imaginis filij eius. Secundò iubet nos expectare à Deo opem,iuxta illud,Vniuersi,qui te expectant,nō cōfundētur. Tertiò ait,In omni uirtute confortati:id est, Deus cōfortat per Spiritū sanctum credētes in afflictione. Quartò exigit patientiā:nam utraq; uox & patiētia, & Longanimitas,significat tolerantiā:sed addit,Cū gaudio:id est,cor nō irascatur Deo. Hæc est uberrima cōsolatio,scire,quòd exigat Deus in aduersis patientiā,& quidē cum gaudio coniunctam. Hoc nō humana ratio deprehendit,hoc non ascendit in cor hominis. Ergo potentia in nobis operatur,nō solùm ut credamus,sed etiā ut patiamur pro Euāgelio,et hoc cum gaudio & libero spiritu. Deus enim nos adfligit,nō quia nos odit,aut perire uelit: sed quia uult nos aut emendari,aut emendatos durare, uultq; in afflictione credamus, cum nobis opem laturum esse. Et iubet à se peti auxilium,ut est in multis Psalmis.*

Gratias agentes Deo. *Hæc est amplificatio gratulationis, qua describit Euangelium: id est, amplitudinem potestatis & misericordiæ per Christum nobis exhibitæ: sicut Ephes. 1. Benedictus Deus,&c.*

Qui dignos nos fecit: *Id est,fecit idoneos,ut inter sanctos essemus & diuersaremur:ut participes simus sortis sanctorum: id est, ut habeamus communionem hæreditatis cum sanctis, quæ est in lumine,id est,in cognitione Euangelij. Contrà, ubi ista*

Christi cognitio lux est. Tenebræ ubi abest Christus.

cognitio Christi non est,tenebræ sunt, & error, 2. Corinth. 4. Quòd si etiam opertum est Euangelium nostrum:in ijs,qui pereunt,est opertum: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij, gloriæ Christi. & Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Regnum Christi est regnum lucis,regnum mundi est regnum tenebrarum. Christus est lux mundi,diabolus est excæcatio mundi.

Filij dilectionis suæ. *Hebraismus est: Vas electionis, pro uase electo: filius perditionis,pro filio perdito:filius dilectionis,pro filio dilecto.*

Redemptionem &c. *Græci codices sic habent, Redemptionem per sanguinem ipsius,remissionem peccatorum. Ambrosius uidetur item legisse,nisi quòd non habet hîc,Per sanguinem ipsius. Multi legunt sine coniunctione, idq; per appositionem. Modum explicat per quem sumus asserti in communionem sanctorū, adducēs Christū, per quem habemus redemptionem,id est. remissionem peccatorum, per sanguinem. Ipse enim lauit nos à peccatis in suo sanguine, Apoc. 1. Plura de his legere poteris ad Roma. 3. & 6. Item ad Hebr. 9. & 10. & 1. Petri 1. & 2. cap.*

Deus inuisibilis.

Qui est imago Dei inuisibilis. *Inuisibilis, refertur ad genitiuum Dei. Secundum uires naturales cuiuscunque creaturæ Deus uideri non potest etiam à substantijs spiritualibus & angelicis: Videtur autem à beatis,qui lumine gloriæ solidati sunt, dicente scriptura, In lumine tuo uidebimus lumen. Et à Ioanne scriptum est, Videbimus eum,sicuti est. Non hîc dicitur Imago Patris:sed,Imago Dei inuisibilis: quia non*

Imago Dei, filius Iesus Christus.

paternitatem,sed deitatem inuisibilem accipit filius à patre. Est enim filius non Pater: sed Deus inuisibilis, genitus à patre, ad hoc ut sit similis ei in deitate inuisibili. Hæc ergo imago filius est,qui consubstantialis, & coæqualis est Deo patri. Hæc diffusius tractantur in Theologia speculatiua.

Primog

Primogenitus Christus.

Primogenitus omnis creaturæ. *Amplificatione adhuc latius excurrit, ostendens Christum,caput & principiū ubiq;,siue inspicias opera à creatione,siue recreationis & redēptionis:ibi est ipse primogenitus, & ante omnem creaturā genitus: omnis creaturæ autor & Dominus,caput corporis ecclesiæ. Quoniam sic placuit patri ut omnia essent in Christo:per quem sicut omnia condita sunt,ita & perdita reuiuiscunt. Si omnia quæ creata sunt,per illum creata sunt,ergo ipse non erat creatura.*

Et ipse est ante omnes. *Ante omnes filius Dei sic est, quia hic solus de Deo patre natus est,de ingenita utiq; substantia Dei.*

Et omnia in ipso constant. *In ipso constant,quia sine eo nihil sunt.*

Et ipse est caput. *Ne ulla quidem creatura est quæ dici possit caput Ecclesiæ, sed Christus solus. Nam caput ecclesiæ esse, est regem & saluatorem esse totius congregationis sanctorum,ubiubi fuerint sancti.*

Christus principium.

Principium. *Principium omnium, uel principium resurrectionis. 1. Corinth. 15. Primitiæ dormientium Christus dicitur, per quem est resurrectio mortuorum, sicut per Adam mors. Primus resurrectione glorificatus est,ut nos resurrectione sua glorificaret.*

Quia in ipso complacuit. *Voluit Deus pater omnem in filio diuinitatis plenitudinem & perfectionem inhabitare. Quia æqualis est filius Deo patri suo & spiritui sancto. Non quod iam primum acceperit aliquid quod prius nō habuerit. Nam dicebat ille in Ioanne: Sicut pater habet uitam in semetipso sic dedit & filio uitam habere in semetipso. Rursus Ioan. 17. Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum,claritate quam habui priusquam mundus fieret, apud te. Hac loquendi formula ostendit Paulus Christum Deum esse. Nam (ut ait Ambrosius,) cùm dicimus omnem illum potestatem & plenitudinem habere,est Deum esse perfectum. Qui enim hæc omnia habet, non est Deus. Quò fit ut omnem plenitudinem ab ipso peti pater uoluerit, in quo solo sunt omnia salutis ueræ.*

Pacificauit Christus omnia per sanguinē.

Et per eum reconciliare: *Id est, ipse suapte opera hanc nobis peperit salutem,id est,homines sibi conciliauit: & sic concilians,patri cōciliauit. Dicito ergo quæ patris sunt communia esse filio.*

Pacificans per sanguinem. *Reconciliatio est? Ergo inimicitiæ erant. Pax inita est? ergo bellum erat. Et inimicitias & bellum sustulit* IESVS *Christus, factus pro nobis solus hostia sufficiens pro satisfactione generis humani, & illius syngraphæ Adami,qua se suosq; posteros morti obnoxios reddidit, 1. Timoth. 2. 1. Ioan. 2. In cœlo facta est pax,quia Deus iam placatus est nobis, & factus nobis pater, oblitus nostrorū delictorum,regens, & seruans nos, ut ait Malach. 3. In terra uerò facta est pax, quia nos uicißim amamus Deum, & credimus in Deum, & confidimus eius misericordia, & propter eum amamus inuicem,inuicem condonamus.*

Sensu, Jmente

Et uos,cùm essetis aliquando alienati,& inimici sensu,in operibus malis:nunc autē recōciliauit in corpore carnis eius per mortē,exhibere uos sanctos,& immaculatos,& irreprehensibiles corā ipso: si tamē permanetis in fide fundati,& stabiles, & immobiles à spe Euāgelij, quod audistis:quod prædicatū est in uniuersa creatura, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister.

Eius] suæ
Exhibere] ut exhiberet
Immaculatos] inculpatos,

Sancti & mūdi per Christum.

ster. Qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia: cuius factus sum ego minister secundum dispensationẽ Dei, quæ data est mihi in uobis, ut impleam uerbũ Dei, mysterium quod Mysteriũ Dei reuelatum sanctis. absconditũ fuit à seculis & generationibus: nũc autem manifestatũ est sanctis eius, quibus uoluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramẽti huius in gẽtibus, quod est Christus, in uobis spes gloriæ, quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominẽ perfectum in Christo IESV: in quo & laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me in uirtute.

Adimpleo, &c.] suppleo quod deest i afflictionibus

Notas facere, &c.] notũ facere quæ sint diuitiæ Sacramẽti] mysterij arcani In quo & laboro,] ad quod etiam innitor, In uirtute.] per uirtutem.

Et uos cùm essetis. *Hactenus docuit per unum solum* IESVM *Christum salutem hominibus contigisse: nunc ostendens non sine emphasi & orationis incremẽto, hanc salutem ad ipsos etiam Colossenses pertinere. Principio reuocat in memoriam quales aliquando fuerint. Eadẽ propè uerba leguntur Ephes. 2. Et uos cùm essetis non solùm alienati à uero Deo, sed etiam inimici eratis sensu, id est mente, quia corrupti eratis & mente & opere. Sed Deus, qui Diues est in misericordia, nunc reconciliauit uos in corpore carnis eius per mortẽ, id est, in ipso Christo, qui iuxta carnem mortuus est, & factus est hostia satisfactoria pro peccatis uestris, ut sanctificaret uos ab omni delicto. Et ut essemus irreprehensibiles, hoc est, inculpati coràm ipso. Nempe si permanserimus in doctrina Euangelica, nec à fundamento Christo semel iacto transferamur, sed stabiles in spe illa per Euangelium prædicata perseuerauerimus. Prædicationis Euangelicæ quæ totum orbem etiam inuitis inimicis peruasit, Paulus se ministrum magna cum gloria iactat. Roma. 1.*

Qui nunc gaudeo. *Gaudet Paulus, quia sua adflictione & passione, siue uinculis suis confirmat Colossensibus & omnibus fidelibus Euãgelium: atq; hac imagine, id est, cruce, cõmendat se esse ministrũ Euangelij. Patior sanè & exercitor malis innumeris, sed uolens & cum gaudio. Sed hæc patior uobis, nõ propter scelera mea, ut sim uobis in exemplũ, & agnoscatis quàm omniũ pateant & expositi sint ludibrijs, qui in Christo piè uolunt uiuere. Huc pertinet quod dicebat 2. Cor. 1. Quoniã sicut abundãt passiones Christi in nobis, ita & per Christũ abundat & consolatio nostra. Siue autẽ tribulamur, pro uestra exhortatione & salute. Siue consolamur, pro uestra cõsolatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur.*

Et adimpleo. *Christus passus est, & omnes sancti patiuntur imitatione Christi, secundum illud 2. Timoth. 3. Omnes qui piè uolunt uiuere in Christo* IESV, *persecutionem patientur. Et certum est, nõdum esse passos sanctos, qui passuri sunt: sicut nondum passus erat Paulus quando adhuc passurus erat. Hoc ergo adhuc deest, quod nondum factum est, & fieri oportet. Sunt autem adflictiones sanctorum, afflictiones Christi, sicut clamat ad Paulum, Saule Saule, quid me persequeris? Hunc locum amplè declaratum offendes infrà ad Hebr. cap. 9. in Conciliatione.*

Sanctorum afflictiones sunt Christi.

Secundum dispensationem. *Non secundum humanam dispositionem, sed diuinam, factus sum minister ad prædicandum mysterium Dei: hoc est, de Christo magnalia*

gnalia, & arcana, quæ nulli, nisi Deo præcognita: cuiusmodi sunt, Verbi Dei incarnatio, Vocatio Gentium, & huiusmodi in sacris contenta.

Diuitias gloriæ. *Quòd scilicet Deus factus est homo, quòd mortuus est pro nobis, & resurrexit propter iustificationem nostram: Quòd gratis donat peccata, quòd cohæredes regni sumus, quòd consedere nos facit in cœlestibus. Hæ sunt diuitiæ.*

CONCILIATIO.

PAVLVS *dicit filium imaginem Dei, id est, consubstantialem Deo patri: Cur ergo scriptura alibi dicit, Seth Adæ præfert imaginem, qui tamen non est consubstantialis Adæ.* DICENDVM, *quæ hominum sunt artificio confictæ imagines, absimiles sunt substantia: quæ uerò natura sunt imagines, omnino sunt conformes substantia, & æquales.*

DICTIO.

COLOSSAE, *arum, ciuitas est Phrygiæ, quæ est in Asia minore, haud ita procul à Hierapoli & Laodicea, quarũ & in hac epistola meminit Paulus. De Colossis uide Plin. lib. 6. cap. 22. & Strabonem geographiæ suæ lib. 10. Et Theophylactum, qui ait: Colossæ ciuitas Phrygiæ, quæ nunc uocatur Chonæ. Nec sunt Rhodienses, ut quidam opinantur, ad nobilem illum Colossum, qui memoratur inter septem mundi miracula.* Colossæ. Colossus.

PRIMOGENITVS *in sacris literis non dicitur, qui alios habeat post se generatos: sed simpliciter, qui prior est ortus, & ante quem nemo.* Primogenitus.

Hortatur ne uerborum lenocinio à fide abstrahantur. CAP. II.

VOlo enim uos scire, qualem solicitudinẽ habeam pro uobis, & pro his qui sunt Laodiceæ, & quicunq; non uiderunt faciem meam in carne: ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei, & Patris, & Christi IESV, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Hoc autẽ dico, ut nemo uos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum: sed spiritu uobiscum sum, gaudẽs, & uidens ordinem uestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei uestræ. Sicut ergo accepistis IESVM Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. Videte ne quis uos decipiat per philosophiã, & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundũ Christum. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo & circuncisi estis circuncisione non manu facta in expoliatione corporis carnis: sed in

Nemo abstrahendus à Christo.

Instructi] compacti, connexi Plenitudinis] certæ persuasionis

[In sublimitate] probabilitate

Firmamẽtum] soliditatem Radicati & superædifi. &c.] sic ut radices habeatis in illo fixas, & ĩ illo substruamini, cõfirmemini q; Decipiat] deprædet, in præda abducat

In expoliatione, &c.] dum exuistis corpus peccatorũ carnis per circuncisionem,

1. Corinth. 3. b

Circuncisio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo: in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.

Est id est, simul cum illo.

Mutua charitas pharmacum hæresum.

Instructi in charitate. Iuncti estote in charitate, & fidei unitate, & unũ omnes sentiatis. Non necessitate & ui, sed charitate & ultro conuenite. Hoc ait propter hæreses, quæ dissidia pariunt. hoc loco Instructi, pro constructi, & coniuncti positũ dicunt: significatq; compactos, & connexos, in morem membrorum unius corporis cohærentium aptè inter se. Et quando sic cohæremus in charitate, consolantur corda nostra, id est, consolationem accipiunt. Et hic est sensus uerus huius sententiæ.

Plena certitudo intellectus.

Et in omnes diuitias plenitudinis. Plenitudinis intellectus, id est, plenariæ certitudinis. Coniunctio ET, ostendit accumulatam consolationẽ ijs, qui cohærent in charitate: tum præpositio illa accusatiuo iuncta denotat accessum ad plenam certitudinem intellectus, quæ omnino tollit hæsitationem. Certitudo intellectus est, cùm nõ dubitatur de his, quæ sunt fidei: & hæc communis & necessaria est Christianis omnibus. Dubius enim in fide, infidelis est. Plenaria certitudo ex testimonijs fidei prouenit, siue externis, siue internis. Diuitiæ plenæ certitudinis consistunt in copia testimoniorũ ad diuersa argumenta, quæ in fide agitantur contra hæreticos, qui his diuitijs ad internecionem propulsantur. Consolationem ergo accipiunt, qui charitate cohærent, accedentes ad omnes diuitias plenariæ certitudinis intellectus: hoc est, ad uniuersam copiã testimoniorum, plenè certificãtium intellectum in ijs, quæ sunt fidei. Idq; explicatur per ea, quæ subijcit hoc loco Paulus, In agnitionem mysterij Dei & patris, & Christi IESV. Hic est progressus huius certitudinis intellectus in agnitionem mysterij, tum Dei, tum patris, tum Christi, tum IESV. Deus, nomẽ est naturæ: Pater, nomẽ personæ, &c. Agnouisti Deum & patrem, nunc agnosce filium: & agnosces in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ. Cùm Thesauros dicit, sapientiæ magnitudinem exprimit: cùm uerò Omnes, nil asserit illi incognitum esse. Absconditi demum cùm intulit, eundẽ prætendit & solum cunctorum habere cognitionem. Est ergo ab eo sapientia & scientia efflagitanda. Deus filium suum pro nobis dedit Dominũ nostrum IESVM Christum, in quo nobis omnem proposuit perfectionem, sapientiam & scitiam, ut ad hunc ceu thesaurum inexhaustum & fontem aquarum uiuarum perennem accedentes, petamus hauriamusq; quantum ad ueram sapientiam & salutem satis est.

Hoc autem dico, ut nemo. Exhortatio est post definitionem Euangelij, in qua cauere iubet ea, quæ doctrinam Christianam uitiant. Sicut medicus postquam tradidit remedium, monet etiam quæ lædant ualetudinem. Facit autem Paulus collationẽ quandã iustitiæ Christianæ cum iustitia carnali, quæ hæc mysteria nihil attingit, imò illi stulta sunt. Neq; hoc loco Paulus reprobat Philosophiam quatenus est scientia loquẽdi, & rerum naturalium & ciuilium morum, ut ea de rebus tantùm naturalibus ac moribus ciuilibus affirmat ac docet, quæ certa ratione comprehẽdit. Est enim uera, & bona creatura Dei. Quis enim damnaret iudicium puri Philosophi, aut alterius, sola lege naturæ illustrati, iudicantis neminem lædendum esse, gratiam pro benefactis habendam esse, magistratibus obsequendum esse, & sic de alijs. Cùm ergo Paulus dicit,

Philosophia naturalis non reprobatur.

Vt nemo uos decipiat, &c. non est accipiendum de philosophia, quòd illa philosophia quæ docet naturas corporum, aut ciuiles mores, sit uana. Nõ enim uetat numerare, aut metiri corpora; nõ uetat ædificare, aut pingere, aut mederi corporibus, aut iudicia exercere

ercere: imò quia hæc audis dona Dei esse tradita naturæ, multò magis debes honorificè hanc Philosophiã excipere, quam Deus dedit ad uitæ præsidia paranda. Vult enim Deus nos laborare, & uiuunt commodius qui sciunt remedia morborũ, qui sciunt regere respublicas, quàm barbari. Sed Paulus uetat, ne uerborum lenocinio & sublimitate, ornatu scilicet, & comitate, & elegantia quadam dicendi decipiamur. Quid enim si afferat quispiam quæ ad persuadendum plurimum ualeant, ipse uerò sit prorsus ueritatis ignarus? Id sanè nihil aliud est, nisi captiunculis quibusdam, sophisticis argutijs, rhetoricis argumentis, quasi uerisimilibus speciosо fuco rationis humanæ & sophismatibus niti. Hortatur præterea nos ex his Paulus, ne Philosophia decipiamur, existimantes illi esse satis uiriũ ad propulsanda uitia, nostramq; rationem naturalem facere satis sine Spiritu sancto, ad consequenda, quæ faciunt ad nostram iustificationem. Certè opus est Spiritu sancto, qui & corda reddat puriora, & regat nos, ne uel ab infirmitate naturæ, uel à diabolo præcipitemur, & in manifesta flagitia protrahat. Ideo promittit Spiritum sanctum, qui corda transformet, regat, & defendat nos, Ioan. 15. cap. Sine me nihil potestis facere. Roma. 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Qualis autem sit homo, & quò ruat desertus à Deo, Saulis exemplum ostendit. Sic igitur Philosophia illa naturalis nihil nos docet de iustificatione & Dei uoluntate, sed de natura rerum, deq; ciuilibus moribus rectè iudicare potest. Quare errant, qui ex ratione humana, aut philosophia iudicant de doctrina Christiana.

Vana Philosophia prohibetur.

Spiritus sanctus.

Secundum traditionem hominum. Traditionem hominum eam dicit, quæ nihil spiritus habet, & est ab hominibus: hæc ad Christi mysteria, quæ fide consequimur, inanis est.

Traditio humana.

Secundum elementa mundi. Dierum & temporum obseruationes refellit. Mundi elemẽta, Solem, & Lunam, Sidera, & huiusmodi appellans, in quibus multa superstitiosè obseruant philosophi. Non damnat quæ optimi medici in curandis morbis quandoq; obseruant. Sunt enim in medendo tẽporum discrimina quædam seruãda, sicut uidere est ex Aphorismo Hippocratis. Apparet esse aliquas astrorum uires in adficiendis corporibus, & temperandis qualitatibus corporum, quæ sint obseruandæ medico. Nec ea temporum obseruatio superstitiosa est, quemadmodum nec superstitio est, sed diuina ordinatio, hyeme aut uere serere, æstate metere, uino interdicere febricitanti, & huiusmodi. Non damnat Philosophiam illam Paulus quæ nihil adfirmat, nisi certa ratione aut experientia animaduersum: sed uanam, ac superstitiosam illam, quæ non est secundum Christum: id est, quæ pietati Christianæ, & fidei aduersatur. aut elementa dicit ceremonias legis, ut adnotatum est ad Galat. 4.

Dierum obseruationes refelluntur.

Elementa mundi.

Non secundum Christum. Elementorum obseruationes, hominũ traditiones uanæ & inanes, non sunt pro Christi uoluntate, illis enim Christo non inseruitur.

Quia in ipso inhabitat. Quæris: Quare per Christũ cõsummati sumus? Quia in Christo habitat tota plenitudo diuinitatis: id est, quia in Christo Deus est, et Christus est Deus, ideo et satisfecit pro peccato, & delet peccatũ, et æternã mortẽ abolet, et sanctificat eos qui in ipsum credũt: sicut et 2. Corint. 5. dicitur, Quia Deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi, nõ imputans eis peccata. Et non solùm Deus est in Christo, sed etiã ipsa diuinitas unita est humanitati, ea unione, qua uerè Deus, Deus est homo, & homo Deus. Et ob id dici potest, Paulum pronũtiasse, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Hoc modo, & hac unione nõ est in sanctis alijs, in quibus est spiritualiter mouens, agitans, & illos gubernans, ut dictũ est Rom. 8. Sed in Christo ipsa diuini-

Plenitudo diuinitatis in Christo.

tas & potẽtia omnis, ipſius deitatis eſt, propterea dixit totã plenitudinẽ, ſeu potentiã.

Corporaliter inhabitat in Chriſto Deus.

Corporaliter. Ceremoniæ legis Moſaicæ fuerunt umbræ Chriſti & iuſtificationis noſtræ, ſignificantes tantùm promiſſam iuſtitiã. Sed Chriſtus non eſt umbra, imò ueritas, iuſtificatio noſtra, & ſanctificatio noſtra. Cùm Chriſtum habes, uerè Deum habes, non in figuris. Et hoc eſt, quod ait Corporaliter: id eſt, uerè, nõ umbraticè: ut diſtinguas hîc corpus, non contra ſpiritum, ſed contra umbram, ſicut infrà dicitur: Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autẽ Chriſti. Quidã interpretatur, Corporaliter: id eſt, ſecundum ſubſtantiam in illo, et non ſecundum energiam ſolùm: Aut corporaliter: id eſt in corpore: Deus enim homo eſt. magis mihi arridet prima interpretatio.

Et eſtis in illo repleti: Id eſt. in illo uobis nihil deeſt: fruſtra ergò extra eum aliquid quæritis. Vbiq; Paulus nititur Chriſto nos oſtendere propinquiores, ut alibi conſedere in cœleſtibus, conſepulti, cohæredes, comparticipes, conſurrexiſtis. Agnoſce quàm magis nos ditauerit filius Dei factus homo.

Qui eſt caput omnis principatus. Cùm omnium angelorum Chriſtus ſit princeps & dominus, nolite ſalutem ueſtram ab angelis expectare: ſed ſalutis ueſtræ autorem, angelis ſuperiorem agnoſcite.

Circunciſione non manu facta. Quæ fit à ſpiritu ſancto, In circunciſione Chriſti: id eſt, peccatorum omnium per Chriſtum amputatione. In expoliatione corporis carnis: id eſt, in amputatione carneæ partis de corpore. In baptiſmate (ait Ambroſius) ſepeliuntur cum Chriſto, & reſurgunt per fidem Dei, in quo credũt, quòd exemplo Chriſti reſuſcitabit illos ex mortuis. Illhic enim homo uetus deponitur, et nouus aſſumitur: peccatis moritur, ut uiuat iuſtitiæ: elemẽtis abrenũtiat, ut Chriſto ſocietur, reſurrectionis futuræ tenens pignus: exemplo ſaluatoris, qui reſurrexit ex mortuis. Hic igitur cõmonet Paulus ut perſeuerẽt in abrenũtiatione pompæ & præſtigijs Satanæ.

Baptiſmi forma.

Per fidẽ operationis Dei. Fidẽ operationis Dei intelligit ipſam fidẽ uiuã. per quã erga nos et in nobis operatur Deus. Fides enĩ donũ atq; uirtus Dei eſt Eph. 2.

Et eos, cùm mortui eſſetis in delictis & præputio carnis ueſtræ, conuiuificauit cum illo: donans uobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat cõtrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates traduxit cõfidenter palàm, triũphans illos in ſemetipſo. Nemo ergo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra futurorũ: corpus autẽ Chriſti. Nemo uos ſeducat uolẽs, in humilitate & religione angelorũ, quæ nõ uidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totũ corpus per nexus & cõiunctiones ſubminiſtratũ & cõſtructũ, creſcit in augmentũ Dei. Si ergo mortui eſtis cũ Chriſto ab elemẽtis huius mundi: quid adhuc tanq̃ uiuẽtes in mundo decernitis? Ne tetigeris, ne guſtaueris, neq̃ contrectaueris? quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu,

In delictis & præputio] Per delicta & præputium

Decreti quod erat, &c.] quod erat cõtrarium nobis per decreta

Traduxit cõfidẽter] oſtẽtauit

Illos] De illis

De feſtis & ceremonijs Iudaicis. Matth. 24. a

Neomeniæ,] Nouilunij,

Seducat uolens,] Præmiũ intercipiat, uel, ſcopũ tranſponat, data opa.

Religione] Superſtitione

Senſu] A mẽte

Conſtructum,] Compactum.

In augmentum Dei.] Vel, ad magnitudinem quã Deus det.

Decernitis?] Decretis teneminí? decretis oneraminí? Sunt omnia in interitum ipſo uſu,] Omnia ipſo pereunt abuſu.

Quę ſunt, &c.] Quæ ſermonẽ quidem habẽt ſapientiæ, uel, quæ uerbo ſtenus quidem habent ſpeciẽ ſapientiæ, per ſuperſtitionem, ac humilitatem animi & læſionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt ratonem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, nõ in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

Chirographũ decreti deleuit Chriſtus.

Chirographum decreti. Chirographum profeſſionis Moſaicæ ſublatum & antiquatum eſt decreto fidei Euangelicæ. Aut, Chirographum, ſeu ſyngraphum illam, qua ſe ſuoſq; poſteros eſu ligni uetiti Adam reddidit obnoxios (dicente decreto & arreſto Dei, Geneſ. 2. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacũq; enim die comederis ex eo, morte morieris) non diſpunxit ſolùm, quoniam ſupereſſent ueteris obligationis ueſtigia: ſed deleuit, & obliterauit, tegens quicquid erat nobis contrariũ, & unde renaſci poſſet actio: nec hoc contentus, diſcidit & lacerauit chirographum, tollens è medio, & affigens illud cruci, in qua pro nobis dependerat, quod debebamus, & obligationem mortis uertit in pactum æternæ ſalutis.

Mos triũphantium.

Affigens illud cruci. Alludit ad morem trophæorũ erigẽdorum, & inde metaphoram ſumpſit. Erat enim mos his locis, ubi hoſtes ſuperati erãt, erigi trophæa, hoc. eſt columnas, uel arcus, in quibus ſcribebant aut pingebant rem geſtam. Sic Paulus ait, Chriſtum affixiſſe chirographum cruci, id eſt, trophæum erexiſſe. tanquàm in quo ſcripſerit aut pinxerit uictoriam ſuam. Porrò ea figura nihil aliud ſignificat, niſi Chriſtũ uicciſſe, & eam uictoriam omnibus gẽtibus palàm feciſſe per reſurrectionẽ, & per Spiritum ſanctum. Chirographum eſſe adfixum cruci: id eſt, peccatũ ſeu mortem eſſe cruci fixam ſeu abolitam: qua proſopopœia uidemus & aliàs Paulum uſum eſſe, ad Roma. 7. De peccato damnauit peccatum. Item, Ero mors tua ô mors. & Epheſ. 2. Per crucem interficiens inimicitias noſtras. Non ſolùm deleuit chirographum, ſed etiam è medio ſuſtulit: hoc eſt, ne uſpiam appareret chirographum illud effecit.

Chirographũ eſſe cruci affixum quid eſt.

Traducere.

Traduxit confidenter: Id eſt, Dæmonem ipſum confudit, & hoc palàm, id eſt, ſpectantibus uniuerſis. Origenes in Exodũ homilia 4. aut certè huius interpres explicat uim huius uerbi. Quos, inquit, in aducẽtu ſuo Chriſtus dicitur traduxiſſe, hoc eſt captiuos duxiſſe, & triumphaſſe in ligno crucis. Cùm adiecit, ſpoliãs principatus & poteſtates: oſtendit poteſtatẽ tenebrarũ eſſe traductam, ſeu per cõtumeliam oſtentatam, & ductam in triumpho, ſignificans etiam Euangeliũ prædicatũ in toto orbe terrarũ, ſicut dicit, Spiritus ſanctus arguet mundũ de iudicio: quia princeps mundi iam iudicatus eſt.

Nemo ergo uos iudicet. Adijcit epilogum de ceremonijs, & politia Moſaica, Cùm Chriſtiana iuſtitia ſit mortificatio, & uiuificatio, nõ eſt ergo exigenda obſeruatio ceremoniarum Moyſi in potu, & cibo, in nouilunio, & huiuſmodi: quoniam illa erant umbra, cuius corpus & ueritas Chriſtus eſt. De diſcrimine ciborũ lege Leuit. 11. De diebus feſtis Leuit. 23. De neomenijs ſiue nouilunio, Numer. 28. de Calendis Gentilium legere eſt apud Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15.

Aut in parte diei feſti. Hoc dixit, Quia nõ omnia obſeruare hi auderẽt. Nam etſi ſabbatha cuſtodiebant, negligentius tamen, utpote, qui Chriſtianos ritus præcipuè ſectarentur. Sabbatha intellexit ipſas uarias ferias Iudaicas, nõ autẽ uerum ſabbathũ à mundi exordio inſtitutum in amore Dei & proximi fundatum, quod perpetuum eſt.

Ceremoniæ legis fuerunt typi Chriſti.

Quæ ſunt umbra futurorum. Lex non iuſtificat, ergo ceremoniæ non ſunt neceſſariæ. Quid igitur fuerũt ceremoniæ? Typi Chriſti, Vt, Paſcha ſignificat mortẽ

Christi: Arca, ecclesiam: Propitiatorium, Christum: qui placaturus erat nobis patrem. Aut sic, Lex est umbra futurorum: id est, lex tota data est, non ut iustificet, sed ut significet iustificationem, quæ per Christum promissa erat. Et ceremoniæ cùm fierent, non iustificabant: sed admonebant promissæ iustificationis. Sic iustificabantur Dauid, Samuel, & similes: non quia facerent ceremonias, sed quia credebant in Christum futurum, in quo promissa erat iustificatio. Dicat aliquis: Quid igitur opus fuit tam multis legibus, & ceremonijs? Respondendum, Deus elegit aliquem certum populum, in quo se ostenderet mundo, & cui uerbum suum traderet, & ubi Christus nasceretur, & ubi extarent testimonia de Christo nato, sicut Paulus Rom. 3. & 9. docet. Ergo Deus quandam politiam & corporale regnum usque ad aduentum Christi constituit, & ab alijs gentibus discerni posse uoluit. Ideo peculiares ritus tribuit. Neque sanè potest esse politica sine multis legibus.

Politica sine legibus esse nequit.

Corp⁹ Christi. **Corpus autem Christi.** Bifariam legi potest hic locus. Primùm ita: illa sunt umbra: sed corpus ipsum, id est ueritas, est Christi. Rursum ita: Corpus Christi nemo uos decipiat: ut referas Corpus ad fideles, qui sunt membra Christi, ut sit sensus, Vos autem, qui estis corpus Christi, nemo diuertat uos à præmio quod cœpistis promereri, credendo in illum. Atq; hic sensus probatur ab Augustino in Epistola ad Paulinum.

Nemo uos seducat. Nemo uos in brauijs aut præmijs fraudet, ait Hieronymus in quæstionibus ad Algasiam, quæstione decima. Quod fit, quoties penes alium est uictoria, penes alium præmium.

Volens in humilitate. Quasi dicas, affectator humilitatis & simulatæ cuiusdam religionis.

Ambulans. Ingrediens ea quæ non uidit. Hieronymus loco proximè allegato ait, Incedens fastuosè: & hoc metaphoricè dictum à tragicis cothurnis: quandoquidem genus hoc ὑβριστὰς dicuntur, quòd in his sublimes incedant, qui Regem, aut Deũ agunt: ita hi sua cõmentitia uita uidentur angelicam uitam ducere, qui tamen Sardanapalicam occultè uiuũt. Frustra inflantur sensu, quia nõ tenent caput, id est Christum, ex quo est corpus connexum: non ergo sunt de corpore. Fuerunt qui per superstitionem angelorũ infirmos ab Euangelio auertere conabantur inculcantes nimiam autoritatem angelis, quorũ ministerio lex lata erat, ut legem obseruandam persuaderent. Vel uisiones quasdam angelorum & spirituũ iactitabant, quas ueluti cœlestia proponebant oracula. Notissima est ex gentiũ historijs Sertorij cerua, quam sibi Dianæ donum transmissum prædicabat, per quã de occultis eruditetur. Notissima est & Numæ Pompilij nympha Aegeria, ex cuius congressu credebatur populo proferre diuina quædam arcana. Quibus uerò præstigijs, spectris, arcanis cum numine colloquijs & responsis Persas & Arabes demẽtarit Arabs ille Mahumetes turpissimus impostor, pseudopropheta nefandissimus, ipsumq; iniquitatis mysterium, longa opus esset enarratione.

Superbi & fastuosi.

Crescit in augmentum. Græca figura est, quasi dicas, Viuit uitã, gaudet gaudium: sic hoc loco, Crescit in augmentũ, p augescit augmentũ, dat illi Deus augmentũ.

Si ergo mortui estis. Si uitæ superiori & antiquæ per baptismũ mortui estis: quid est, quòd quasi uiuẽtes elemẽtis mundi seruire uultis: id est, in externis rebus quærere Dei iustitiam: quæ omnia, scilicet cibi, & alia quæ dicebãtur, Ne tetigeris, Ne gustaueris, & alia huiusmodi, ipso etiã usu pereunt: id est, utendo consumuntur. Agit enim de cibo & potu, quæ usu consumuntur, & in latrinam excernuntur. Cùm ait, Decernitis: insinuat Paulus, eos decretis & constitutionibus humanis duci, ueluti subiectos inuicem

inuicem decernentes, Ne tetigeris mortuum, nc gustaueris suillam, & huiusmodi.

Ne tetigeris. Paulus inuehitur in eos qui legem cõmendabant, reuocãtes Christianos ab Euangelio ad legem & Iudaismum ineptis quibusdã præceptiũculis & decretis stolidis. Aiunt enim, ne tetigeris hoc corpus, impurum est: quod si tetigeris, ablutione opus est. Ne gustaris hunc cibum, impurus est. Ne contrectaueris hanc rem, Sacra est, nec fas est à profano tangi. Agitur ergo hoc loco de cibo & potu, quæ usu consumuntur, non sine allusione ad id quod à Christo dictũ est: Non quod in os hominis intrat, coinquinat hominẽ &c. Confutat egregiè Paulus præceptiunculas illas, ut hominum & non Dei præcepta: habent quidẽ rationẽ sapientiæ in superstitione, id est, fucata religione, & humilitate hypocritica. Et non ad parcendum corpori, id est, ad uexationem corporis. Superstitiosam illam religionem de ciborum abstinentia excipiunt, idq; faciunt non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Hoc est, prohibent cibos, quos ex se malos dicunt, qui tamen non in hoc dati sunt, ut cum corporis iniuria cogamur ab his abstinere, sed potius in honore, id est, in subuentione & adminiculo ad necessitatem subleuandam dati sunt. Omnis enim creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbũ & orationẽ. 1. Tim. 4.

In superstitione. quæ est uana religio. Superstitio.

In humilitate. Diuus Hieronymus hoc uerbum notat tanquã impropriè hoc loco usurpatum, cùm aliàs uirtutem sonare soleat, hîc uitium, quo quis humilia sentit, atq; terrena. & abiecti est animi, ut patiatur sese ueluti bubalum duci naribus, minutis illis traditionibus, & præceptis hominum. Humilitas pro abiectione animi.

Et non ad parcendum corpori. Pro Imparsimonia positũ est: hoc est, cùm quis non parcit alicui rei. Ambrosius legit, Ad uexationem corporis. Sentit enim Paulus de ijs, qui superstitiosè lacerabant aut mutilabãt corpus suũ, aut immoderatis ieiunijs conficiebant. Manent huius rei nõnullæ reliquiæ hodie apud Italos in flagellatoribus: contra quos egregius doctor Gerson scripsit. De huiusmodi multa commemorat Apuleius in suo Asino. Non hîc damnat Paulus ieiunia, & abstinentiam ciborum statis diebus: sed uanam & superstitiosam religionem, quæ Christo capiti non adhæret. Flagellantiũ secta.

Non in honore aliquo. Honorem hic, corporis subsidiũ appellat, iuxta proprietatem sermonis Hebraici, uelut alibi, Honora uiduas. Et, Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Honor, subsidiũ corporis.

CONCILIATIO.

PROBATVR Iacob, qui Isaac patrem decepit: & tamen hîc Paulus ait, Videte, nequis uos seducat. EST quoddam genus decipiendi fallax, & fraudulentum, & hoc omni iure prohibetur. Est & aliud quoddam decipiendi genus, rectius tamen, nec fraudulentum, de quo Esaias meminit, Decepisti me Domine, & deceptus sum. Cuiusmodi etiam & illud fuit, Cùm uisus est Iacob decepisse Isaac: quæ deceptio nequaquam dicenda est fallacia, sed dispensatio quædam, ait Theophylactus. Deceptio multiplex.

VIDETVR Paulus damnare eloquentiam, dicẽs, Per philosophiam & inanem fallaciam. Similiter, Nemo uos decipiat in sublimitate sermonũ: Cùm tamen Cyprianus, Gregorius Nisena, & alij fuerint eloquentissimi, quorum scripta etiam apud sanctos sunt in pretio. INANEM quendam orationis fucum damnat, non eloquentiã quæ sententias perspicuè, & cum quadam dignitate explicat. Nec, ut multi arbitrãtur, Eloquentia inanem aurium uoluptatem captat: sed utilitati, seu necessitati seruit. Quoties enim in iudicijs, aut in consilijs, de obscurissimis rebus homines docẽdi sunt, ibi nõ sentiamus Eloquentia nõ est damnanda.

tiamus eum summa laude dignum esse, qui obscuræ causæ lumen affert, qui iudices, qui populum tanquam in rem præsentem ducit, ut rectè iudicare, ut constituere, quid sit ex utilitate publica posit. Neq; sic accipiendum est dictum Pauli, quòd illa philosophia, quæ docet naturas rerum, aut ciuiles mores, sit uana, ut suprà docuimus in hoc cap.

DICTIO.

NEOMENIAE, *seu Nouilunia, erant mensium exordia, & solennitates secundum lunationẽ (ut uocant) institutæ. hoc est, dum Luna nouo lumine incensa ipsis oriretur. Voluit autem Deus nouilunio fortassis à gentilibus abarcere calendis, ne Lunæ siue Iunoni sacra instituerent. Si compositionem & Etymon nominis neomeniæ nescis, νεὸς nouus est, Μὴν Μηνὸς Luna siue mensis est.*

Laodicea. LAODICEA, *penultima correpta, urbs in Phrygia, aut certè in confinio autore Ptolemæo: & interpretatur Populi iustitia.*

Chirographũ. CHIROGRAPHVM, *Latinè manus inscriptio, siue Syngrapha, quã tuapte manu scripseris. Chirographa sunt quæ nos præscripsimus in fidẽ alicuius. Asconius dicit, Chirographa dici, in qbus tantũ quæ gesta sunt scribi solẽt. Hinc Chirographarius à Iureconsultis ponitur pro eo, qui suo chirographo scripsit se debitorem in codice.*

Chirographarius.

Exuto ueteri, nouus homo induendus. CAP. III.

IGitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quęrite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite: non quæ super terram. Mortui enim estis, & uita uestra est abscondita cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit, uita uestra: tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra uestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quę est simulacrorum seruitus: propter quæ uenit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus ambulastis aliquando, cùm uiueretis in illis. Nunc autem deponite & uos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore uestro. Nolite mentiri inuicem: expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum: ubi non est gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.

Quæ sursum sunt,] superna, & infra Sapite:]curate Quæ super terrã.]terrestria.

Mortificanda membra. Ephes. 5.a

Libidinẽ,]mollitiem, Filios incredulitatis]incredulos, inobedientes In quibus]uel, inter quos, sub audi, filios incredulos Blasphemiã,] maledicẽtiam, Expoliantes] Postquam exuistis In agnitionem &c.] ad cognitionem

Roma. 6.a Ephes. 4.c Hebr. 12.a 1. Petri 2.a & 4.a Vetus homo. Nouus homo.

Igitur si consurrexistis. *Argumentum est à causa, & debito. E' mortuis surrexistis, hic ergo uester status aliam uitam, alios mores postulat. Nouam uitam consequuti estis, & participem diuinæ naturæ. Debent igitur actiones uestræ esse, quæ placeant Deo. Nolite quærere terrena, quibus mortem incurreratis: sed cœlestia, quibus uitam consequuti estis, & illis uiuetis.*

Vita

Vita uestra abscondita. *Tametsi nunc abiecti, & inglorij uideamini: multa tamen adseruantur uobis apud Christum, uitam uestram, quibus splendidi & glorioſi non modò apparebitis, sed & uerè eritis. Quòd si modò uideamini deserti & derelicti à Deo: confidite, quia uita uestra recta latet apud Deum: id est, eam custodit, opportunè uobis auxilium laturus. Vsurpat Paulus abscondere pro seruare & custodire, dialectus est Hebraica.*

Mortificate ergo membra. *Abnegate uosmetipsos, portantes crucem Domini, qui est uita uestra, ut membra corporis peccati omnino in uobis non appareant, sed extinguantur: quæ sunt fornicatio, immunditia, & alia huiusmodi. Ad Galat. 5. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.*

Venit ira Dei. *Ob ista enim peccata à Paulo enumerata solet uenire in homines uindicta, quam iram Dei uocat. Verbum Venit, est præsentis temporis.*

Vindicta, ira Dei.

Expoliantes uos ueterem hominem. *Expoliantes, id est, exuentes, id est, postquam exuistis, ponitur pro participio præteriti temporis. Nouus dicitur, non qui ratione tantùm se coërcet: Nam ratio ad ueterem hominem pertinet: adfert enim homo secum rationem cùm nascitur. Sed Nouus homo dicitur, qui per Spiritum sanctum renouatur, & in quo Spiritus sanctus timorem Dei, fidem, spem, charitatem, & similes bonos fructus efficit. Ioan. 1. Ex Deo nati sunt. Et 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Et hìc ita definiuit, Nouum hominem esse, qui renouetur ad cognitionem iuxta imaginem eius qui condidit eum. Videtur hìc Paulus de imagine loqui, quæ noui hominis tantùm est. Imago Dei est sapiẽtia, iustitia, sanctitas, ueritas: hanc cùm imprimit Deus nobis, sumus imago Dei. Sic loquitur ad Ephesios 4. Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est: id est, ad similitudinem Dei, in iustitia, & sanctitate, & ueritate. Id est, est iustus, & Deo placens: est sanctus, id est, purus, seu purificato corde, mortificata carne: est uerax, id est, recta loquitur, & de Deo uerè, & rectè sentit. Caro enim nullo modo uerè sentit, sed potius somniat. Spiritualis autem uerè sentit & uidet. 2. Corinth. 3. Nos reuelata facie speculantes gloriam Domini, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem. idq; fit, quando fide concipit magnitudinem misericordiæ, & bonitatis diuinæ.*

Nouus homo.

Vbi non est gentilis. *In nouitate, quam habemus baptismo & regeneratione, aut cùm fit noua creatura in Christo nulla est differentia nationum, professionum, cõditionum: sed Christus in omnibus, cuiuscunq; nationis, conditionis ue sint, est omnia: id est, est ratio omnium actionum, & motuum, & donorum, & reliquorum spectantium ad nouum hominem: utpote caput, ex quo sensus & motus in omnibus est.*

Induite uos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes inuicem: & donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit uobis, ita & uos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est uinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus uestris, in quam & uocati estis in uno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in uobis abundanter

Indumẽta Christianorum. Ephes. 6.b

Benignitatem, humilitatẽ, modestiam, patiẽtiam,] comitatem, modestiã, mansuetudinẽ, lenitatem, Dominꝰ]Christus Exultet] præmij loco detur, contingat, aut, palmam ferat

Omnia propter Christum facienda. 1.Corint.10.g Ephes.5.e 1.Petri 3.a Ephes.6.a Titum 2.c 2.Petri 2.c

in omni sapientia: docentes & commonentes uosmetipsos, in Psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus uestris Deo. Omne quodcunque facitis in uerbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri IESV Christi, gtias agentes Deo & patri per ipsum. Mulieres subditæ estote uiris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores uestras, & nolite amari esse ad illas. Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem prouocare filios uestros: ut non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcũque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gesserit: & non est personarum acceptio apud Deum.

Vosmetipsos,] uos inuicem.

Amari] amaruisenti

Pusillo animo fiant.] despondeant animum. uel, animo deijciantur.

Sapien.6.b Roma.2.b

Iniuriã facit,] iniuste agit. Acceptio apud Deum.] respectus.

Viscera misericordiæ. *Iubet ex animo misericordes esse, & uerè tangi sensu alienæ calamitatis, sicut Christus suis lacrymis testatur, se misereri Hierosolymorum. Ideo & Esaias, cùm præcepit cap.58. Carnem tuã ne despexeris: significat, ita nos alienis malis adfici, & commoueri debere sicut nostris: Quia omnes eadem caro sumus.*

Benignitas.

Benignitatem, humilitatem. *Commoditatem morum docet. Hæc Benignitas uirtus in primis necessaria est, ad retinendam concordiã priuatam, & publicam. Ex hac nascitur Humilitas: qui enim benignior fuerit, & optimis moribus instructus, & humilis sit necessariò sequitur. Hæc gignit modestiã, quæ significat esse tractabilem, nõ asperum, non morosum, aliorũ erratis posse ignoscere. Sic & Ethnici etiam docuerunt, non posse durare amicitias, nisi alter alterius mores ferat, aliquando non admodum cõmodos. Eoq; pertinet, quod dixerunt, Mores amici noueris, non oderis. In republica, hac uirtute Modestia, seu potius Mansuetudine, in primis opus est ad concordiam publicam retinendam. Vbi si non aliquorum Iracundiam aliorũ Lenitas mitiget, sæpe magni motus existunt. Ab hac Modestia, seu potius Mansuetudine, oritur Patientia, hoc est, Animi magnitudo, ait abbreuiator Chrysostomi.*

Humilitas.

Modestia. Mansuetudo.

Sicut Dominus donauit. *Id est, sicut dominus uobis condonauit & remisit iniuriam, ita & inuicem condonate.*

Vinculum perfectionis. *Charitas uinculum est perfectionis: id est, glutinat & coniungit inter se totam ecclesiam, ut firmi tolerent infirmiores, infirmi nõ iudicent alios firmiores. Singuli aliorũ onera libenter subeant, ac portent, & tegant, & sanent aliorum errata, non traducant. Alludit ad locum in Ephes. 4. ubi dicit, Corpus Christi ita coaugmẽtatum esse, ut pro mensura unumquodque membrum iuuet reliqua. Sicut in domo constructa si compages desint, & nexus, qui eam contineant, ocyus collabetur: Ita si Charitas abfuerit, nihil erit quod perfectionem pariat.*

Charitas uinculum perfectionis.

Et pax Christi exultet. *Est uidere quotidie multos, quamuis leuia mala impatientiß*

patientißimè ferentes: deq; sua sorte, de inopia, de aduersa ualetudine, & similibus incommodis querentes, & apud se dolentes. Eiusmodi querelæ proficiscuntur ex corde, quod uel sentit, deo nõ esse curæ nostras res, uel succẽsere Deo, eumq; accusat iniustitiæ, quòd malis sinat bene esse, bonis malè, quòd crudeliter nobiscũ agat, & uideatur propemodũ delectari nostris malis. Exemplaria taliũ querelarum extant in sacris historijs, Exod.17. Hoc genus querelas in aduersis prohibet Esaias cap.8. & 30. Sed iubet Deo cõfidere, & ab eo opẽ & auxiliũ postulare. Sic Paulus hoc loco præcipit, retineri pacẽ erga Deum: hoc est, pacem regnare & palmã obtinere in cordibus nostris: hoc est, semper sentire, quòd Deus non adfligat nos, ut perdat: sed quòd sit opem laturus aliquãdo pro summa bonitate, etiam si differatur aliquantisper auxilium. Item iubet Paulus, ut ea pax sit tanquàm regina, & gubernatrix omnium nostrorũ certaminum. Est enim uerbo Græco usus βραβευέτω, quod significat gubernare certamen, seu palmam ferre.

Afflictorũ impatientes querelæ.

Afflictorũ consolatio.

Grati estote. *Hoc dictum putat Hieronymus pro gratioso & amabili. Indicat Paulus qua ratione pax posit inter eos consistere, si comes sint, & benigni erga omnes, propensi ad benemerendum de omnibus. Theophylactus interpretatur, Grati erga Deum: hoc est, memores, qualis ille fuerit in nos, ut & ipsi uicißim clementes simus erga conseruos.*

Verbum Christi habitet in uobis. *Frequens tractatio doctrinæ Christianæ præcipitur in omni sapientia: id est, in omni uirtute, quam sapientiam uocat. Quemadmodum Dauid peccatum insipientiam dicit: ut illud, Dixit insipiens in corde suo. Item Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Aut, In sapiẽtia: id est, prudenter. Non enim satis est tractare uerbum Dei, nisi prudenter etiam tractes: nisi enim rectè intelligas, in maximos errores incides. Emphasim habet uerbum, Habitet, quod dixit, & non Insit. Vult enim ut doctrinam Christi nobis assiduo usu faciamus planè familiarem & domesticam.*

In cordibus. *Non solùm ore decantandum, & gratia hoc est iocunditate quadam spirituali: sed etiam in corde, id est, cum attentione & diligentia.*

Ne fiant pusillo animo: *Id est, ne filij animum despondeant, si nimis duros patres senserint. Quas hoc loco paræneses morum scribit, ex 5.cap. Ephes. repetit.*

CONCILIATIO.

NON cohærẽt hæc inuicem dicta à Paulo, Mortui enim estis, & uita uestra abscõdita est cum Christo in Deo: Item, Mortificate membra. QVIA prior illa mortificatio baptismi beneficium erat, quæ peccato attulisset perniciem, quod nobis antea esset admissum. hæc autem quæ in præsenti nobis suggeritur mortificatio (cùm ait, Mortificate membra) nostra fit uoluntate, quæ & post baptismum delet peccata. Hæc mortificatio pœnitentia est, quam Doctores secundam post naufragium tabulam dicunt.

Pœnitentia secunda tabula post naufragiũ

DICTIO.

LIBIDO Græcè hoc loco pathos est, id est, morbus, aut potius mollities.

Libido.

SCYTHA, qui è Scythia est, regione barbarica. Paulus Barbaro opponit Scytam: non quòd is barbarus non sit, sed quòd præ hoc reliqui barbari non sint barbari.

Scytha.

Paræneſis ad pietatis ſtudium. CAP. IIII.

DOmini, quod iustum est, & æquum, seruis præstate: scientes, quòd & uos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, uigilantes in ea in gratiarum actione

1.Thess.5.d Ephes.6.c 1.Thess.3.a

Ephes.5.d actione: orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysteriũ Christi, (propter quod etiam uinctus sum) ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo uester semper in gratia sale sit conditus: ut sciatis, quomodo oporteat uos unicuiq; respondere. Quæ circa me sunt, omnia uobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad uos ad hoc ipsum ut cognoscat quæ circa uos sunt, & consoletur corda uestra, cum Onesimo charissimo & fideli fratre, qui ex uobis est: qui omnia quæ hîc aguntur nota facient uobis. Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ (de quo accepistis mandata, si uenerit ad uos suscipite illum) & Iesus, qui dicitur Iustus, qui sunt ex circuncisione. Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est, seruus Christi IESV, semper solicitus pro uobis in orationibus, ut stetis perfecti, & pleni in omni uoluntate Dei. Testimoniũ enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro uobis, & pro his qui sunt Laodiceæ & qui Hierapoli. Salutat uos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ: & 1.Timoth. 4.e Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam. Et cùm lecta fuerit apud uos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium ecclesia legatur: & ea, quæ Laodicensiũ est, ut uobis legatur. Et dicite Archippo. Vide ministeriũ quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Salutatio mea manu Pauli. Memores estote uinculorũ meorum. Gratia Domini nostri IESV Christi uobiscũ. Amen.

Tempus] Opportunitatem

Adiutores] Cooperarij

Solicitus] Anxie laborans

Pleni] Cõpleti

Eccleſiã.] Vel, cõgregationẽ.

Lecta] Recitata & infrà.

Ea, quæ Laodicẽsium eſt,] Ea quæ ſcripta eſt ex Laodicea,

Quod iustum est. *Iustum uocat id quod seruis debetur à dominis, æquum, seu Aequalitatem, seu Aequabilitatem dicit, ne alium delicijs habeant, alium iniquè domini tractent: aut ne permittant, ut serui seruis dominentur: quæ res intolerabilem facit seruitutem. Hæc aperta sunt ex 5. & 6. Ephes.*

Seruitus intolerabilis.

Orationi instate. *Hæc uidentur mihi necessaria in oratione: Primum Scire, mandatum Dei esse, ut oremus. Secundum, Credere, propter promissiones & Deum filem in promissis, quòd sit opem laturus Deus, quodq; exaudiat preces nostras. Quicquid petieritis credentes, accipietis: ait Christus. Tertiò, Vt oratio certam aliquam necessitatem contineat, cui consulere Deum postulemus. Quartum est, Expectare, nec desperare, etiam si non statim iuuet nos Deus: & committere Deo, ut pro sua sapientia constituat*

Orationi necessaria.

stituat, quando & quomodo nobis opem ferat. Et ne desistamus ab orando, ait Paulus, instate. Luc. 18. Oportet semper orare, & non deficere.

In gratiarum actione. *Gratiarum actio est, sentire uerè quòd à Deo id bonũ, quod accepisti, proficiscatur: & prædicare, & confiteri apud omnes, diuinitus te esse adiutum: ut & alij discant Deo confidere, & glorificare eum. Credidi, propter quod loquutus sum.*

Propter quod etiam uinctus sum. *Incertum est, an de uinculis primis loquatur, quum ex Iudæa Romam uenit: an de alijs uinculis, Romæ Paulo iniectis.*

In sapientia ambulate. *Nõ sitis alicui scandalo, ne blasphemetur propter uos (sicut Roma. 2. dicitur) nomen Dei inter Gentes: id est, inter eos, qui nondum nouerunt Euangelium Christi, & Dei ueritatem. Ad eos qui foris sunt: id est, infideles.*

Ambulare in sapientia. Foris sunt infideles.

Tempus redimentes. *De malo tempore bonum tempus uestra prudentia facientes. Opportunitate temporis oblata prudenter utamini. Tempus hoc loco occasionẽ sonat, siue opportunitatem, quam uult emi cæterarum rerum dispendio.*

Tempus redimere.

In gratia sale sit conditus. *Ac si dicas: Sermo uester semper habeat gratiam, sale conditus, ut intelligamus iucunditatem ac modestiam in colloquijs Christianorum cum Ethnicis, sed eam cum sapientia cõiunctam. Hoc detorqueri potest ad nos, si quando cum magnatibus agendum est, ne intempestiua maledicentia & acerbitate prouocemus eos, reddamusq; deteriores quàm sunt: sed prudenti moderatione sermonis paulatim adducamus ad meliora, si quid aberrant. Neq; obscurum est Sale significari uerbum Dei. Itaq; in lege erat, ne qua uictima sine sale offerretur, quòd sine uerbo Dei bona opera fieri non possint. Itaq; & Christus apud Marcum ait: Habete in uobis salem. Addit hîc Paulus. Vt sciatis quomodo oporteat uos &c. id est, ne omnia omnibus dicatis: infirmis alia, alia perfectis, alia incredulis, alia credentibus: alijs dura, alijs grandia. Et quod suprà de se dixit, Sicut oportet me loqui.*

Sale quid significatur.

Marc. 9.g

Multum laborem. *Multum zelum, siue multam æmulationem.*

Nympham, & quæ in. *Et quæ in domo eius est ecclesiam: id est, domesticam eius ecclesiam. Beatus Ambrosius existimat Nympham fuisse mulierem deuotam, ut uocant, cuius domus omnis signo crucis titulata erat. Sed αὐτὸν, pronomen Græcum, additum, indicat uirum fuisse, non mulierem Nympham. Ait Theophylactus, Nympha uir egregius erat, qui & domesticos omnes fideles haberet, & ita ut Ecclesia eius domus appellaretur. Nympha Græcis sonat sponsam, nurum.*

Nympha uir fidelis.

Et ea quæ Laodicensium est. *Cùm iubet hanc epistolam ad Coloss. communicare Laodicensibus, docet omnibus scriptum esse quod ad certos transmissum est. Vnde Tertullianus, Nihil autẽ de titulis interest, inquit, cùm ad omnes Apostolus scripserit, tum ad quosdam. Et quum subdit, Et ea quæ Laodicensium est, facite ut uobis legatur, à quibusdam expositum est quasi epistolam scripserit ad Laodicenos. Sed si diligenter inspiciatur Græca lectio, facilè cognosces Paulum non scripsisse, & eam quæ scripta est ad Laodicenses, sed quæ ἐκ Λαοδικείας, ex Laodicea scripta est. Græcanica scholia putant fuisse epistolam quam Laodicensis quispiam scripserat ad Paulum, quæ aliquid haberet quod ad rem Coloss. pertineret. Magis mihi arridet Theophylacti interpretatio. Is enim hæc de priori epistola ad Timotheum intelligit, quam scriptam ex Laodicea constat.*

Et dicite Archippo. *Iubet, ut dicatur Archippo Coloss. episcopo, Vide ministerium &c. ac si dicat, non tuũ, sed Domini est negotiũ quod tibi delegatum est. Vide*

quam

quam ſuſceperis prouinciam. Domino enim rationem tuæ diſpenſationis redditurus es. Pluribus cum Epiſcopo uigilantiſſimo agere noluit: uiſum eſt Paulo feciſſe ſatis, quòd currenti calcar addiderit.

DICTIO.

Conſobrini. CONSOBRINI, *qui ex duabus ſororibus ſunt editi, quaſi conſororini.*

Hierapolis. HIERAPOLIS, *Phrygiæ ciuitas, interpretatur ſacra ciuitas.*

Eccleſia. ECCLESIA *Latinè congregatio, cœtus, concio, ſed opinor hîc Eccleſiam accipi non pro uniuerſo cœtu, ſed pro reliqua familia iam Chriſtiana. Nam Græci interpretes putant Nympham magnatem aliquem, ob id fuiſſe, quòd domū habuerit eccleſiam.*

Nympha.

FINIS.

Miſſa eſt epiſtola ad Coloſſenſes, ab Epheſo, ut Latini dicunt: Græci à Roma per Tychicum & Oneſimum.

STATVS EPISTOLAE I. AD THESSALONICENSES.

Theſſalonicenſium conſtantiam commendat Paulus, quòd neque ullis preſſuris, neque pſeudapoſtolorum ſuaſu à fide Chriſti auerſi ſunt: interim eoſdem de reſurrectione, & inſperato aduentu Chriſti commonefaciens.

LOCI INSIGNES.

1 In perſecutione Chriſtianorum declaratur iuſtum Dei iudicium: quòd hi digni habeantur regno, perſequutores uerò ſupplicio. Cap. I.
2 Vtrunq; iudicium norunt etiam nunc Chriſtiani per fidem, ſed reuelabitur in aduentu Chriſti. Cap. I. & V.
3 Vocatio, & conuerſio gentiũ, ſolamen Chriſtianorũ. Cap. II. & III.
4 De inſperato domini aduentu ad iudicium, & eodẽ piis non formidando, Item de dormientibus, & reſurrectione. Cap. III. IIII. & V.
5 Morum Chriſtianorum paræneſes & exhortationes. Cap. IIII. & V.

EPISTOLA BEATI PAVLI AD THESSALONICENSES, I.

Non ſermone tantùm, ſed uirtute Theſſalonicenſes ad Chriſtum conuerſi ſunt. CAP. I.

PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus eccleſiæ Theſſalonicẽſium in Deo patre noſtro, & Domino IESV Chriſto, Gratia uobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus uobis; memoriam ueſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſsione, memores operis fidei ueſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri IESV Chriſti, ante Deum & patrem noſtrum, Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem ueſtram: quia Euangelium noſtrum non fuit ad uos in ſermone tantùm, ſed & in uirtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis, quales fuerimus in uobis propter uos. Et uos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini: excipientes uerbum in tribulatione multa, cum gaudio ſpiritus ſancti: ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A' uobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedonia, & in Achaia: ſed & in omni loco fides ueſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de uobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad uos, & quo modo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſeruire Deo uiuo, & uero, & expectare filium eius de cœlis (quem ſuſcitauit ex mortuis) IESVM, qui eripuit nos ab ira uentura.

Pro omnibus] de

Operis fidei, &c.] ueſtri propter op⁹ fidei, ac laborem charitatis & quod permanſiſtis in ſpe Domini noſtri, &c.

Plenitudine] certitudine, uel certa perſuaſione

Forma] exemplo

Diffamat⁹] perſonuit, ebuccinatus eſt

Profecta eſt,] dimanauit, peruenit

Seruire] ut ſeruiretis

Euangeliũ cum afflictionibus ſuſceptum.

Pœnitentia.

Paulus & Siluanus. *Duos ſymmyſtas collegas ſuos & epiſcopos nominatim hac ſalutatione comprehendit, id faciens ne cæteris Chriſti miniſtris præferre uideretur. Qui hic Siluanus dicitur, idẽ ille eſt qui Act. 17. Silas appellatur, uoce hîc modicè aucta, & ad Græcorum Latinorumq; morem deformata.*

Eccleſiæ Theſſalonicenſium. *Quia etiam in ſacris legimus Eccleſiã malignantium, Synagogam ſatanæ, Congregationẽ taurorũ & uitulorum: additum hic eſt, in Deo*

Eccleſiamio Deo.

In Deo patre nostro: id est, illi ecclesiæ, siue congregationi, quæ est congregata in Deo, &c. quæ habet promissionem, Matth. 18. Vbi duo uel tres fuerint congregati, &c.

Gratias agimus. Gratulatio est, qua gaudet de profectu eorum, qui audierant uerbum salutis.

Opus fidei. Operis fidei uestræ. Beneficia in proximum exhibita uocat Opus fidei, & laborem charitatis. Fides certè sine operibus mortua est. Dixit Opus, & Laborem charitatis: ne dilectionem solùm esse putaremus Amicas salutationes, Iucundum conuictum, & id genus. Ad hæc facit, quod scribitur 1. Ioannis 3. Filioli mei non diligamus uerbo, neque lingua: sed opere, & ueritate. Charitas laboriosa est. Nam suffert omnia, seruit omnibus, facit omnia. 1. Corinth. 13.

Et sustinentiæ spei. Tanta, & tam firma erat horum spes, ut se constantissimos præstarent uel in durissimis tolerandis. Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem: spes uerò non cõfundit. Præter obiectum expectatum significat perseuerantiam in fide Domini IESV, ut facilè duremus in aduersis.

Ante Deum & patrem. Dura toleraſtis, fidei operibus uacastis, nõ simulatè, sed uerè credentes in conspectu Dei, qui pater noster est, quæ sua in nos benignitas est. Aut ante Deum, qui hos uestros labores, gratos habet, quibus mercedem dependet.

Scientes fratres. Vera mei Euangelij susceptio, signa & miracula in uobis, imò & ipsa Spiritus sancti receptio, & plenitudo multa: hoc est, certissima Dei, Euangelijq; cognitio manifestant uos à Deo electos esse. Per uirtutem intellexit efficaciam & uim agentem in cordibus fidelium. Alij signa siue miracula intellexerunt. Efficit autem Spiritus sanctus ut uerbum Dei efficax sit in auditoribus. Absoluitq; quicquid ad plenitudinem certam fidei, persuasionem & absolutionem pertinet.

Sicut scitis. Testes inuocat pro se, conscientias auditorum, quæ est magna fiducia Doctoris. Ac si dicat, Vos testes estis quàm sanctè nos gesserimus in uobis apud uos propter uos, id est uestra causa, id est uestram salutem per omnia, non nostrum commodum quæsiuimus.

Et uos imitatores. Magna est hæc commendatio, non solùm hos Pauli præceptoris imitatores esse in perferendis malis, sed & domini nostri IESV Christi.

Verbi Dei uis, & efficacia. Excipientes uerbum. Imitatores sunt quòd tribulationes sustineant, & his sè ultro hilares offerant pro Euangelio. Addit, in tribulatione multa cum gaudio spiritus. Tribulatio quidem & adflictio est mundi & portarum inferorum in probris, damnis, pœnis, turbatione conscientiæ ob peccata & Dei iudicia: id est, carnalis est, & temporaria: quia hæc à mundo sunt, & eius principe. Nam dicebat Christus, In mundo pressuram habebitis. Consolatio uerò, siue gaudium nõ carnale est, sed Spiritus sancti: ergo & fortissimum, cui portæ inferorum prævalere non possunt: & æternũ, quod ne mors quidem dissoluet. Huc pertinet quod in Euangelio legimus exemplum cõtrarium, qui in petricosa semen iactum exceperat, hic est qui uerbum audit, ac protinus cum gaudio illud excipit, sed ad modicum tempus, cùm non habeat radicem. Et hic non habet gaudium spiritus sancti. Accedente enim afflictione propter Euangelium, continuò offenditur. Ad Thessalonicenses, hoc firmius uerbum Dei complectebantur quò grauius persequutionem patiebantur.

Ita ut facti sitis. Vestro exemplo fideles in Macedonia & Achaia crediderunt, & pro Euangelio tolerare didicerunt.

In Macedonia. Ex his colligimus, quantũ referat Metropolitanas & primarias urbes rectè institutas esse, & quàm perniciosum sit easdem corruptissimis moribus infectas & depraua-

tas. Nã mores suos, exẽplaq; sua in uicinas quasq; & urbes & regiones, deniq; in totum agrum omniaq; confinia transfundunt. Sacri prophetæ accusant Samariam decem tribuum Israëliticarũ metropolim, & Iudææ caput Hierosolymam, quòd pessimo suo exemplo totam gẽtem peccare facerẽt. Dicebant enim, Quæ facimus, primores urbis metropolitanæ agunt: eadem ergo agere possumus, & licent.

Diffamatus est. Longè lateq; sparsus est, exsonuit, siue ebuccinatus est.

Thessalonicensium commendatio. Ita ut non sit nobis necesse. Incipientibus nobis eloqui de Euangelij profectu, respondent se uestro exemplo & didicisse & optimè scire, neq; uidetur his opus esse alio præceptore. Et quemadmodum inuitatis amicis ad grãde cõuiuium, ubi omnia parata sunt, & ubi editur, bibitur, &c. nihil aliud opus est, quàm ut sæpe moneãtur ab illo qui inuitauit, ut quæ conuiuij sunt hilariter & cum gaudio prosequantur: ita & apud hos solo ad perseuerãtiam adhortatore est opus, ut in ijs sese totos exercere perseuerent, quæ uestro exemplo tam sanctè didicerunt.

Fiducia Christianorum. Et expectare filiũ Dei. Hæc est fiducia Christianorum, ut expectent læti redemptorem, quem alij formidant iudicem, & solo timore pœnæ ducti sua agunt.

Resurrectio Christi quare tam frequenter à Paulo memoratur. Quem suscitauit ex mortuis. Paulus frequenter resurrectionem Christi inculcat, quia in ea uerè regnum Christi agnoscimus. Vbi triumphata morte nostra, accepit gentes hæreditatem, & possessionem suam terminos terræ, & fecit utraq; unum. Hoc dicit præterea, ne dubitemus nos excitandos, neue dubitemus de potentia Christi regis nostri, in cuius regno nihil perit: cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, qui est ad dextram patris super omnem principatum.

Ira uentura. Qui eripuit nos. Iram dicit uenturam, quæ nondum reuelata est. Quemadmodum nos sumus filij dei, & nondum apparuit quid erimus. 1. Ioan. 3. Ita increduli & infideles sunt filij gehennæ, quod tum primùm reuelabitur, quando manifesta erũt abscondita tenebrarum. Et ab ista ira nemo liberatur, nisi per fidem in Christum, dicente Ioanne Baptista, Ioan. 3. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

DICTIO.

Diffamare. DIFFAMARE utitur Augustinus pro diuulgare, cùm fama longè late'que spargitur.

Thessalonica. THESSALONICA, metropolis erat Macedoniæ.

Suam in prædicando Christo fidem commendat. CAP. II.

Fiduciam habuimus]uel, audacter egerim° Loqui] ad loquendum Multa solicitudine.] multo certamine. uel, labore. aut, periculo. Errore,] impostura, Fuimus] uersati sumus

Libertas Pauli in prædicando Euangelio Thessalo.

NAm & ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad uos, quia non inanis fuit: sed antè passi multa, & contumelijs affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad uos Euangeliũ Dei in multa solicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Euangeliũ, ita loquimur: non quasi hominibus placẽtes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione

casione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à uobis neque ab alijs. Cùm possemus uobis oneri esse, ut Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio uestri, tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desyderantes uos cupidè, uolebamus tradere uobis non solùm Euangeliũ Dei, sed etiã animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte & die operantes (ne quem uestrum graua remus) prædicauimus in uobis Euãgelium Dei. Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela uobis, qui credidistis, affuimus: sicut scitis qualiter unumquenque uestrum (sicut pater filios suos) deprecantes uos & consolantes, testificati sumus, ut ambularetis dignè Deo, qui uocauit uos in suum regnum, & gloriam.

Vobis oneri esse,]uel, in autoritate esse, Paruuli] placidi, mites, & minime austeri

Laborat Paulus manibus. Act. 20. g 1. Corinth. 4. c 2. Thessal. 3. b

Forma ueri ministri euangelici.

Nam & ipsi scitis. *Habes in hoc capite formam ueri ministri euangelici, imitatoris illius summi pastoris* IESV *Christi, qui se describit Ioannis 10. cap. Mercenarius fugit, pastor manet, ponens animã suam pro ouibus suis. Cùm dicit introitum suum ad Thessalonicenses, nõ intelligas Apostolum splendida pompa Thessalonicã ingressum, opes & splendorẽ regũ ostentasse, 'eundemq; uectum aut quadrigis deauratis, aut mula holoserica ta, & phaleris rubris auratis'ue ornata, ut solent plerique titulo tenus Apostoli, quos si Bias ille uideret, protinus exclamaret, lapides super lapides. Sed intellexit Paulus suo introitu puram & synceram Euangelij prædicationem. Quæ fucis & phaleris non indiget. Ingressus Christi in Hierusalem, Apostolorũ in ciuitates, fuit non superciliosus & elatus, sed humilis: non inanis, sed diuinus & utilis prorsus.*

Contumelijs affecti. *Hãc pressurã Philippis, ut est in Actis 16. cap. cum Sila passus est, expulso à puella spiritu pythonico. Hac pressura nõ est Paulus animo demisso factus, sed fortior inuẽtus, dum intrepidè apud eosdẽ ausus est prædicare Euangeliũ, cum multo periculo, & multa anxietate, & solicitudine, spe utiq; præmij promissi, ut illi durarent in afflictionibus securi, & gaudentes propter retributionem non inanem.*

Pseudapostolorum mos.

Exhortatio enim nostra. *Prædicatio Pauli non est quædam fallacia, & deceptio auditorum, cuiusmodi est pseudapostolorũ, qui sua quærũt cum deceptione auditorum, ut eos sibi faciant obnoxios: ad quod nonnunquàm utuntur malis artibus per signa mendacia. Qui enim fallere studet, non conijcit semetipsum (ut Paulus frequens fecit) in pericula: sed delicijs indulget potius, & suum ipsius negotium agit. Neque, inquit, in dolo: hoc est, nihil per hypocrisim. Non egi, inquit, aliter cum meis socijs, quàm sicut Deus nobis commisit, qui ad hoc munus apostolicum nos dignos fecit.*

Immũditia doctrina maleficã

Neque de immunditia. *Immunditia dicit maleficam, & abominandam doctrinam: quam ideo immunditiam uocat, quòd impuris, & sordidis artibus fiat, ad imponendum simplicibus.*

Cùm possemus uobis oneri esse. *Beatus Ambrosius legit, Honorẽ: non, Oneri: ad comprimendos (inquit) eos, quibus nec facultas erat, nec pudor, & tamen honorem*

norem sibi poscebant: se enim potius quàm Dei doctrinam cõmendari uolebant. Apostolus autem qui gloriã non ad præsens, sed in futuro requirebat, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur. Hæc Ambrosius. Ad hũc sensum facit quod sequitur, & continenter adiecit, Vt Christi Apostoli. *Neque enim est Apostoli & episcopi grauare quenquam suo supercilio, seq; imperiosum & autoritate inflatum ostentare: Sed fiant paruuli, id est, mites, minimeq; austeri, ut hic Paulus insinuat. Aut legito,* Oneri: *& sensus erit, Cùm possemus à uobis accepisse sumptus, abstinuimus, & non fuimus uobis oneri, non uos grauauimus.*

Episcopi patres.

Memores enim estis. *Explicat quæ dixit, cũ possemus uobis oneri esse. Prædicatori, aut doctori debetur uictus ab auditoribus, secundum Euangelium, Dignus est operarius mercede sua. Et 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Verùm Paulus, ne occasionẽ daret pseudapostolis, sua quærentibus, suo etiam iure sæpe cedens, labore manuum uictitabat. De his uide 9. cap. 1. Corinth. Testes estis, ait, quàm die & nocte laborauerim, & quãto sudore uictum mihi parauerim, ne cui onerosus essem. E` nostris uictitantes laboribus gratis prædicauimus uobis Euangelium Dei.*

Prædicatori debetur uictus.

Auditus Dei.] de Deo, uel, quo Deum discebatis,

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cùm accepissetis à nobis uerbum auditus Dei, accepistis illud, non ut uerbum hominum, sed (sicut est uerè) uerbum Dei, qui operatur in uobis, qui credidistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa, in Christo IESV: quia eadem passi estis & uos à contribulibus uestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt IESVM, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur: prohibentes nos Gentibus loqui, ut salui fiant: ut impleãt peccata sua semper. Peruênit enim ira Dei super illos usque in finem. Nos autem, fratres, desolati à uobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinauimus faciem uestram uidere cum multo desyderio: quoniam uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus, & semel & iterum: sed impediuit nos Satanas. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne uos ante Dominum nostrum IESVM Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium.

Iudæi persecutores Pauli.

Prohibẽtes nos gẽtib⁹ loqui,] obsistũt nobis ne loquamur gentibus,

Finem.]uel, æternum.

Desolati] Orbati

Horæ,] Vel, breue,

Festinauimus] Studuimus

Quoniã] Quapropter

Gloriæ?] Gloriationis?

Satan.

Verbum auditus Dei: *Id est, sermonem de Deo, aut sermonem quo Deum discebatis. Per nos enim (ait Apostolus) Deus loquitur.*

Vos enim imitatores facti. *Credentes Iudæi multa patiebantur ab incredulis Iudæis, cæsi, incarcerati, & c. quorum & bona proscribebantur, & egestate laborabãt, ut necesse fuerit mitti ad uictũ necessaria ex Ecclesijs Gentiũ ad Ecclesias quæ*

Affligebantur fideles.

A erant

erant in Iudæa: ut uides Rom. 15. & 1. Corinth. 16. Huius negotij in primis curator insignis erat Paulus, sicut dicit ad Galat. 2. Vt pauperum (inquit) memores eſsemus: quòd etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. Eadem iam Theſſalonicenſes à ſuis contribulibus, id eſt affinibus, & conciuibus ſuis paſsi erant, quæ Iudæi à Iudæis: id quod ad conſtantiam fidei eorum pertinet, ſicut ſuprà oſtenſum eſt.

Contribules.

Vt impleant peccata ſua. Grauiter accuſat ſuos Iudæos hoc loco Paulus.

Impij in peius ſemper proficiunt.

Impij Dei iudicio ſemper proficiunt in peius. Sicut enim diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: ita impijs & obſtinatis, ſua cedunt in malum, donec ira Dei conſummatè ueniat ſuper eos. Exemplo ſint Pharao Exo. 9. & Iudæi hoc loco, & ad Roma. 9. & Matth. 23. Implete menſuram (ait Chriſtus) patrũ ueſtrorũ. Geneſis 15. Nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorũ. Præterea hîc ea dicit Paulus peccata, quæ olim in prophetas, & in Chriſtũ deinceps, & in Apoſtolos demum hi commiſere: ac ſi diceret, Vt oſtendãt ſeſe maxime deliquiſſe, attigiſſeq; iam refertã nequitiæ mẽſurã, & ſcelerũ apicẽ. Nolite putare nouũ quod à cõciuibus affligimini. Nã Chriſtũ ſui tradiderunt, Iudæi, inquã, qui & proprios prophetas, filios inquã, ſuos occiderũt, & nos Apoſtolos Domini Iudæo ſanguine ortos patrijs expellũt ſedibus, & pluſquàm crudeliter perſequũtur. Dici poteſt ad hũc modũ, Vt impleãt peccata ſua, id eſt, ut ſemper ſui ſimiles eſſe pergãt. Aduerſus hos dicebat Stephanus Act. 7. Dura ceruice & incircũciſi cordibus & auribus, uos ſemp Spiritui ſctõ reſtitiſtis: ſicut patres ueſtri, & uos &c.

Vſq; in finem. Significatur (ait Theophylactus) ultio illa, & uindicta inenitabilis, quam illis imminere prædictum eſt à Chriſto, & à Prophetis. Hæc ira nubi uidetur eſſe effectus deſertionis diuinæ, plenæ ultiõis ſubſequẽtis: hæc impleri uidemus in obſtinatione Iudæorũ. Si tamẽ intelligatur textus iſte de ira præſentis uitæ, impleta ſũt hæc Pauli uerba, paulo pòſt in excidio Hieroſolymitano: tãquàm Iudæi impleuerĩt peccata ſua illis quadraginta annis ad exequutionẽ proprij excidij, uſque in finẽ ſine termino, qui nunquàm reſtituẽdi ſint in priſtinam dignitatẽ. Pertinet hæc criminatio & excidij denuntiatio ut Theſſalonicenſes infractiori animo iſtorũ perſequutiones perferrent.

Matth. 24. Deſertio diuina.

Nos autem fratres deſolati. Deſolati, uelut orphani facti & orbati uobis, ceu filijs, ad breue tempus. Certè extenuat Paulus abſentiam ſuam, quã neque perpetuam, neque diuturnam dicit.

Quę eſt eñ noſtra ſpes. Nota emphaſim. Nõne huiuſmodi uerba matrũ ſũt, uã ſcerũ immẽſo quodã ardore, & amoris flagrãtia pueros minutiores lepidè appellãtiũ?

In aduentu eius. In extremo etiam iudicio, Paulo licebit dicere: Domine, ecce quinque talenta tradidiſti, &c. Et audire, Euge ſerue bone, &c.

DICTIO.

Error. ERROR, hoc loco impoſturam dicit.

SINE querela, Inculpatè, irreprehenſibiliter.

CONTRIBVLIS, penultima producta, qui ex eadẽ eſt tribu.

Singulare fuit Pauli gaudium, gentium uera conuerſio. CAP. III.

Act. 16. 2 PRopter quod, non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſolis, & miſimus Timotheũ fratrem noſtrum, & miniſtrũ Dei, in Euangelio Chriſti, ad cõfirmandos uos, & exhortãdos pro fide ueſtra:

Suſtinentes] Ferentes Solis,] Soli, Exhortandos] Vt cõſolaretur Veſtra :] Vel noſtra:

ut nemo moueatur in tribulationibus iſtis. Ipſi enim ſcitis quòd in hoc poſiti ſumus. Nam & cum apud uos eſſemus, prędicebamus uobis, paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. Propterea & ego amplius nõ ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem ueſtrã: ne forte tentauerit uos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter. Nunc autẽ ueniente Timotheo ad nos à uobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem ueſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſyderantes nos uidere, ſicut & nos quoq; uos: ideo cõſolati ſumus, fratres, in uobis in omni neceſsitate & tribulatione noſtra per fidem ueſtram: quoniã nunc uiuimus, ſi uos ſtatis in Domino. Quam enim gratiarum actionẽ poſſumus Deo retribuere pro uobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter uos ante Deum noſtrum, nocte ac die abundantius orantes, ut uideamus faciem ueſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei ueſtræ? Ipſe autem deus, & pater noſter, & Dominus IESVS Chriſtus, dirigat uiam noſtrã ad uos. Vos autẽ Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatẽ ueſtram in inuicẽ, & in omnes, quẽadmodum & nos in uobis, ad confirmanda corda ueſtra ſine querela in ſanctitate ante Deum, & patrem noſtrum, in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti cum omnibus ſanctis eius, Amen.

Suſtinens.] Ferens,

Nunc] Nuper

In uobis] Per uos

Neceſsitate] Afflictioñe

Orat Paulus uidere Theſſalo.

Propter quod. Quanta ſolicitudine Paulus pro Eccleſijs æſtuauerit, hæc aperiunt. Quæ perſpicacius agnoſcimus ex collatione huius capitis cum Act. 17. capit. Oborta turba commotoq; populo & magiſtratu Theſſalonicenſium, fratres Paulo cõſultum uolentes, hunc unà cum Sila nocte intempeſta emiſerunt. Atq; hi Berrhœã profecti ſunt, ſed & hac eiectus Athenas proficiſcitur Paulus, hucq; Silã atq; Timotheũ uocat, qui Berrhœæ interim hæſerant. Interea Satanas omnẽ mouẽs lapidem quo herbeſcentẽ Euangelij ſegetẽ apud Theſſalonicenſes proculcaret, grauiſsimã in mẽbris ſuis perſecutionẽ cõtra ueritatis cultores excitat. Paulus uerò Athenis miſerè metuẽs ne in fide tenelli ad auitam deficerẽt ſuperſtitionem, ſemel atq; iterum ſtatuit opem ferre periclitãtibus. At quũ neq; tutũ neq; neceſſariũ eſſet (adeò ſæuiebat perſequutionis procella) inſanis turbarum fluctibus ſeſe ingerere, tandẽ Timotheum (quẽ non uſqueadeò grauis aduerſariorũ premebat inuidia) mittit ut pro nomine Chriſti patiẽtes cõfirmaret. Timotheus itaq; Theſſalonicã profectus infracto animo, uerum cõfitentes repperit Theſſalonicenſes. Redit ergo Athenas, & Paulo, qui hîc interim reſederat, miram Theſſalonicenſium prædicat conſtantiam. Quæ cùm audiuiſſet Paulus, has ad Theſſalonicenſes ab Athenis ſcribit literas, quibus laudat illorum fidem & conſtantiam.

Zelus Pauli.

In hoc poſiti ſumus. Chriſtianorum, in primis prædicatorũ eſt crux, & malorum tolerantia. In hoc enim poſiti ſunt: id eſt, in hunc uſum, ut mundi ignominiam ſuſtineant.

Prædicatorum propriũ eſt afflictio.

ſtineant. Sed quòd iſta patiuntur, confirmatio eſt Euangelij. Matth. 16. Si quis uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum. Ioan. 15. Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſequuti ſunt, & uos perſequentur.

Tentator Satan.

Is qui tentat: *Id eſt, tentare ſolet, hoc eſt Satan. Is tentat non ſolùm ad impuritatem carnis, qua fidem labaſcere faciat, de qua uides cap. ſequenti: uerum etiam multò amplius per falſos prædicatores, ut fiat inanis labor noſter: id eſt, ut totum Euangeliũ nihil proſit illis, qui abducuntur à Satana in aliam uiam.*

Quoniam nunc uiuimus. *Quoniam nil nobis tam curæ eſt, quàm ut uos ſtetis in fide: afflictiones meas nihil moror, imò eas loco uitæ duco, modò perſtiteritis in fide: quaſi diceret, illorum offenſionem pro morte ſe ducere, & profectum pro uita.*

Et compleamus. *Non quòd illorum fidem & conſtantiam minuta dicat: Sed uult complere, quæ ad doctrinam deeſſe uiderentur.*

Honeſte uiuendum, & reſurrectio credenda. CAP. IIII.

Quod ſupereſt De cætero]

Ambulare & placere Deo.

DE cætero ergo, fratres, rogamus uos, & obſecramus in Domino IESV, ut quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat uos ambulare, & placere Deo; ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum

Voluntas Dei. Roma. 12.a Epheſ. 5.d

IESVM. Hæc eſt enim uoluntas Dei ſanctificatio ueſtra: ut abſtineatis uos à fornicatione: ut ſciat unuſquiſque ueſtrum uas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam uindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus uobis, & teſtificati ſumus. Nõ enim uocauit nos Deus in immunditiam: ſed in ſanctificationem. Itaque qui

In paſſione deſiderij,] Cum affectu concupiſcentiæ. Supergrediat, neq; circumueniat] Opprimat ac fraudet

Ioan. 13.d & 15.d 1. Ioan. 3.b & 4.d

hæc ſpernit, nõ hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctũ in nobis. De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere uobis: ipſi enim uos à Deo didiciſtis, ut diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in uniuerſa Macedonia. Rogamus autem uos, fratres, ut abũdetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis, & ut ueſtrum negotium agatis, & operemini manibus ueſtris, ſicut præcepimus uobis, & ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſyderetis. Nolumus autem uos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non cõtriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem nõ habent. Si enim credimus, quòd IESVS mortuus eſt, & reſurrexit: ita

Operari manibus.

Nullius &c.] Nulla re uobis ſit opus, uel, cura ne imprimendum ſit uobis alienum auxilium.

2. Corint. 15.d

& Deus eos, qui dormierunt per IESVM, adducet

cum

Viuim',] Poſſunt hæc uerba uerti in futuro.

In iuſſu,] Vel, cum hortatu,

Relinqmur,] Reliqui erim',

cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, quia nos, qui uiuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non prœueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in uoce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui uiuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini inuicem in uerbis iſtis.

Rogamus uos & obſecramus. *Paulus in genere hortatur ad profectum eorum, quæ per Euangelium didicerant: ac obſecrat, ut in ijs auctiores & inſtructiores quotidie euadere curent. Hortatur per Dominum IESVM, quia nihil eſt in orbe quod ualidius feriat & commoueat pectus Chriſtiani.*

Scitis enim quæ. *Hæc præcepta, inquit, neq; mea ſunt, neque meam præ ſe ferunt autoritatem, aut imperium: ſed IESV Chriſti: quæ ſi contempſeris, non me, ſed Dominum IESVM te contempſiſſe agnoueris.*

Hæc eſt enim uoluntas Dei. *In primis admonet, ut ſancti ſimus corpore. Quæ ſubduntur in textu, explicant hũc locum intelligendũ eſſe de caſtitate. At id eſſe Dei uoluntatem dicit, ut abſtineatis à fornicatione: non ſolùm ab adulterio, ſed etiã ab ea (quam ſimplicem dicunt) fornicatione. Vt unuſquiſque poſſideat uas ſuum (id eſt corpus ſuum, in quo hoſpes omnis manditiæ autor inhabitat. 1 Corint. 3. & 6.) in ſanctificatione. Qui enim caſtè uiuunt, terſius & mũdius ſeruant corpus. Et in honore eſt, cùm uiolentum illud incontinentiæ peccatum uitatur. Libidinis mala horrendè ſæpe damnauit Deus: ut in diluuio, in perditione Sodomorum, in uindicato ſcelere Beniamitarum, Iudic. 19. Gentium, quæ Deum ignorant, ſunt iſtæ abominationes: ut uides Rom. 1. Elegãti metaphora corpus cuiuſuis Chriſtiani hominis uocauit uas, iuxta morem Hebraicum. Atque hac uoce alluſit ad rem figulinam, primamq; hominis conditionẽ. Nam ut homo ſe fragilẽ eſſe cognoſceret, & rebus caducis ſe minimè committeret, uel nimis teſtam hanc fictilem curaret, genioq; indulgeret, de terra conditus legitur. Huc pertinet quòd dicebat Iſa. 52. Mundemini qui portatis uaſa Domini. Id eſt, uos ipſi, qui eſtis Deo conſecrati, & templa ſancti ſpiritus, puri eſtote. Vult ergo Paulus hoc loco, ut quilibet noſtrum corpus ſuum proprium, quod à Deo accepit, poſſideat in honore & ſanctificatione. Hoc eſt, ſit purum & non coinquinatum morbo turpium cupiditatum, quo laborant Gentes deditæ omni luxuriæ fœdæ. De quibus Roma. 1. Epheſ. 4. 1. Corinth. 3. & 6. & 2. Corinth. 6. & 1. Petri 4. multa leges. Alij intelligunt, per uas, uxorem, præcipiq; ab Apoſtolo, ut quilibet uxore ſua pudicè & moderatè utatur, non abutatur per affectum concupiſcentiæ. Eſt Chriſtiani animi Chriſtianas uxores non impudenter quaſi ferina rabie illas ardere & perditè amare, ſed caſtè & ſanctè diligere. Magis mihi arridet prior interpretatio.*

Fornicatio & adulterium nõ idem.

Libidinẽ horrende damnauit Deus.

Et ne quis ſupergrediatur. *Hoc primum referendum puto ad id, ne quis fraudem faciat coniugio alterius, & ne ſuppeditet, ac ui, & uiolentia opprimat. Hoc enim contextus uidetur requirere, deinde ad omnia alia, Ne facias fratri, quod tibi non uis fieri. Quòd ſi charitate motus id non feceris, cogita Dominum Deum ultorem, &*

diem illum magnum omnia reuelaturum. Hæc reuera tuo poterũt mederi morbo. Nomine negotij, intelligimus uenditionem, emptionem, mutuum, locationem, & huiusmodi, quæ ad hominum commercium pertinent.

In immunditiã: *Ac si dicat,* Nõ uocauit nos Deus hac lege, ut essemus immũdi.

Itaque qui hæc spernit. *Occupatio est, qua diluit quorundam blasphemias dicentium,* Quid mihi cum Ecclesiasticis præceptis negotij? Quis Paulus, Quis Petrus erat? Ita hodie, Quis Augustinus aut Hieronymus? An non homines, & miseri, & mortales erant, similes nobis? Respondet Paulus, Qui mãdata hæc aduersus peccata & corruptissimos mores à nobis pronuntiata spernit, non hominem sed Deum spernit, qui per nostrum ministerium operatur in uobis. Ille enim in Euangelio dicit: Qui uos audit, me audit. Item, Quorum remiseritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta sunt. Et moyses Exodi 16. ad filios Israël dixit: Non contra nos est murmur uestrum, sed contra Dominum.

Etenim illud facitis. *Diuites & opulenti erant Thessalonicenses, qui pauperum necessitates per uniuersam Macedoniam subleuabant. Quorum exemplo discãt urbes locupletiores egenis & pauperibus subuenire.*

Macedonia. **In uniuersa Macedonia,** *Macedoniæ meminit, quia metropolis Macedoniæ erat Thessalonica.*

Rogamus uos fratres, ut abundetis. *Exhortatio est ad augendum pietatem, ut abundetis magis. Id est, ut operibus charitatis uosmetipsos superetis. Enitendum enim est ut operibus pijs exercitatis in dies fiamus locupletiores. Et ne desit facultas, operam date ut quieti sitis, & ut uestrum negotium agatis. Id est, agatis res proprias. Cùm Paulus hîc quietis meminit, non intelligit otium iners, sed ne alienas res curent, & proprias negligãt. Id quod otiosi & rerũ perturbatores solẽt. 2. ad Thessalo. 3. Audiuimus enim inter uos quosdã ambulãtes inique, nihil operãtes, sed curiose agentes. Proinde res proprias agere, & propriis manibus laborare, est quietũ esse. Ad trãquillã enim uitã permultũ facit, si ipsi tibi uiuas, nemini sis oneri, nemini fac essas negotiũ.*

Manibus operandum. **Operemini manibus.** *Christiani ea tempestate erant, qui ob fidei professionem, fortunæ bonis exhausti in summa inopia uitam degebant. Eò hortatur, ut operentur, quatenus sibi & alijs præsidio sint: & ne otiosam ducant uitam. nam ex otio emergunt artes malæ & impostoriæ, quæ misericordiam & beneficentiam corrũpunt, propterea subdit,* Vt honestè, *&c. id est, ne hi qui foris sunt, id est, infideles, si ualidos uos conspexerint & otiosos mendicantes, offendantur, & scandalizati fidei detrahant.*

Et nullius aliquid. *Curate ne quid uobis desit, & ne sit implorandum auxilium alienum.*

Dormientes. **De dormientibus:** *Id est, de mortuis: quos ideo dormientes dicit, propter resurrectionem futuram, cuius hic meminit. Qui enim dormit, & excitetur necesse est.*

Per IESVM adducet, *Omnium quidem est futura resurrectio: sed fidelium & iustorum tantùm honorabilis, & gloriosa.*

Quia nos qui uiuimus. *Cùm dixit, Qui residui sumus: adiecit, In aduentu Domini: sub sua persona complectitur eos, qui in humanis tunc temporis egerint. Vel eos uiuere dicit, qui in Christo assequentur salutem. Quo tropo est usus Dauid dicens, Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: Sed nos qui uiuimus, &c. Non præuenient alij alios in translatione gloriosa: quia omnes in momento resurgent. Et si qui tunc uiui reperientur, tam subita morte occupabuntur, ut quasi*

quasi mortui non apprehendantur. Hoc modo omnes uiui & iusti per IESVM *unà obuiam Christo prodibunt glorificandi.*

Quoniam ipse Dominus. *In scripturis describitur aduentus Domini, quasi in prælium descendat rex aliquis, ad debellandum rebelles, & exaltandum obedientes. Vnde hîc Archangelum nominat, quasi ducem exercitus, & hortatum, & tubam. Et Matth. 25. signum siue uexillum filij hominis in cœlo, exercitum multum, & maiestatem. Hunc uerò iussum, siue hortatum & uocem Archangeli, & tubam Dei, intelligo* Vox archãgeli in iudicio. *uocem filij Dei, cuius uerbo & potentia mortui resurgent, & confirmabuntur corpora nostra, nunc uilia, corpori claritatis suæ, ut dictum est ad Philipp. 3. Sic enim ipse ait Ioan. 5. Amen amen dico uobis, quia uenit hora, & nunc est, quãdo mortui audient uocem filij Dei. Et eodem cap. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, &c. Aut per uocem Archãgeli & tubam, intellige angelicas uirtutes, quarum ministerio usus est in resurrectione Christus, etsi per se id potest. Præcipiet ita Dominus in uoce Archangeli, cæteris Angelis præsidentis, & adclamantis,* Surgite mortui, prompti paratiq; estote omnes, adest enim iudex.

Et mortui, qui in Christo: *Id est, fideles ut qui in nubes sint subleuandi, resurgent primi, non tempore, sed dignitate, & merito, respectu damnatorum. Deinde si rogaueris de his qui tunc uiui reperientur: Certè simul in aëra rapientur ministerio Angelorum cum fidelibus, quorum mors quasi non apparebit mors. Sunt qui opinantur illos non morituros. Legito Ambrosium, libro de fide resurrectionis, cap. 9.* Iudicium ad quod omnes resurgent.

CONCILIATIO.

QVID *hîc Paulus insinuat dicens,* Mortui qui in Christo *sunt resurgent primi: deinde nos, qui uiuimus, simul cum illis rapiemur, obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus: cùm beatus Ioannes Apoc. 20. dicat de regno sanctorum præfinitum tempus: Et regnabunt (inquit) cum Christo mille annis.* QVOD *Apostolus dicit, sic semper cum Domino erimus: utique de futuri iudicij tempore dicit, ex quo cum Christo sine fine regnabimus. Quod autem Ioãnes ait,* Et regnabunt cum Christo mille annis: *de tempore huius uitæ hi mille anni accipiuntur, quod interiectum est inter duos Christi aduentus, unum incarnationis, alterum uniuersalis iudicij sui: quod tempus medium, quantorumcunque annorum spatijs extendatur, propterea mille annos appellauit, ut aut à toto partem tropice cogat intelligi: aut plenitudinem ipsius numeri, qui dicitur mille, inter aduentum primum Christi & secundum, quicquid est temporis comprehendat. Cum Christo enim sancti mille annis regnare dicuntur, propter Ecclesiam Dei, quæ in regno fidei à tempore incarnationis Christi, usq; ad tempus iudicij superuenturi in fide & opere dilatata ostenditur. Et hoc tempore fideles cum Christo in Ecclesia fideliter uiuentes regnant. Alij interpretantur locum Ioannis dicentis,* Numerũ finitum pro infinito positum: *quod non rarò fit in sacris.*

Vltimus Christi aduentus. CAP. V.

Momentis,] uel, articulis, aut, opportunitatibus temporum.

Securitas:] uel, tuta oĩa: Habentis,]habenti,

DE temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus uobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita ueniet: cùm enim dixerint, Pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus: sicut dolor in utero habẽtis, & nõ effugient. Vos autẽ fratres nõ estis in tene- 1. Pet. 3. c Apoc. 3. a. 16. c

bris: ut uos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim uos, filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & cæteri: sed uigilemus, & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autẽ qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram: sed in acquisitionẽ salutis, per Dominum nostrum IESVM Christum, qui mortuus est pro nobis: ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus. Propter quod consolamini inuicem: & ædificate alterutrum, sicut & facitis. Rogamus autem uos fratres, ut noueritis eos, qui laborant inter uos, & præsunt uobis in Domino, & monent uos: ut habeatis illos abundãtius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis. Rogamus autem uos fratres, corripite inquietos, cõsolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonũ est sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite: hæc est enim uoluntas Dei in Christo IESV in omnibus uobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete uos. Ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia: ut integer spiritus uester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri IESV Christi conseruetur. Fidelis est, qui uocauit uos: qui etiã faciet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro uos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri IESV Christi uobiscum. Amen.

Esaiæ. 58. c
Ephes. 6. c

In irã: sed &c.] uel, ut iram nobis cõcitemus: sed ut salutem consequamur. Consolamini] hortemini.

Abundãtius in charitate] i. cũmo pretio per charitatem. Inquietos,] inordinatos, Suscipite] subleuate, fulcite

Prouerb. 17. b
Roma. 12. d
1. Pet. 3. b
Eccle. 18. c
Luc. 18. a
Coloss. 4. a

Per omnia: tut] totos, &.

1. Corinth. 1. b

Diligẽter scire

Diligenter scitis: *Id est, exactè nostis, siue ad plenum scitis.*
Et securitas: *Id est, tuta res, & nihil est periculi.*

Sicut dolor in utero. Beatus Ambrosius sic legit: *Quemadmodum dolor partus prægnanti. Apta est hæc similitudo. Nouit enim mulier sese parituram omnino: pariendi uerò tempus ignorat. Quò fit, ut pleræque septimo mense, præter naturæ institutum, & uia media, nil præsciæ, partus ediderint. Vtq; & hæ per lusum plerunque, & iocum de repente ineffabilibus simul doloribus cruciãtur: sic & illorum animæ, qui præsenti hoc seculo per delicias ducunt, & luxum, hanc uitam, cùm dies ille aduenerit,*

Similitudo.

nequaq

nequaquam sunt mortem & interitum euasuræ.

Vos autem fratres, non estis. *Lenit piorum animos allegoria lucis & tenebrarum. Quæ de repentino interitu dixi, de impijs intellexi, de uobis meliora speramus. Nam non estis in tenebris desperationis, sed in luce & die ambulatis. Id est, estis fideles, cum Christo luce ipsa uersantes. Dies ille non uos occupaturus est in morem furis. Quia uigilatis expectantes Dominum uestrum, cui seruitis: & cuius radijs illuminati & edocti, hanc peregrinationem absoluitis.*

Non dormiamus. *Dormire hìc uocat, negligere, & ignorare Dominum: sicut & in parabola Euangelica, id quod sequitur ex inebriatione, quam intelligere licet curas & solitudines, delicias & uoluptates huius uitæ.*

Dormire quĩ dicuntur.

Induti loricam fidei. *Lorica ea est pars corporis apud medicos, quæ pectus, & humeros, ac scapulas complectitur usque ad stomachi sedem. Vnde & uestis, aut armatura hanc muniens, thorax dicitur. Et galeam spem, dixit appositiuè. Tribus armis hìc nos instruit Paulus contra regnum tenebrarum, Fide, Spe, & Charitate. Fidem & charitatem in pectore collocat: quia nisi illhic sint, non sunt quod appellantur (non putes hìc de fide Aristotelica mentionem fieri). Spem uerò in capite, quia à Deo superius expectat, quod corde credimus. Sic uerò armatos, & tutos, & securos esse oportere ostendit, dicens: Quoniam non posuit nos Deus in iram: id est, non uocauit nos, ut æternum damnaret nos: sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrũ IESVM Christum: ut semper cum Christo uiuamus, siue uigilemus, siue dormiamus: id est, Christianorum uita, siue dormiant, siue uigilent, siue edant, siue bibant, &c. semper Christi uita est: dum omnia in gloriam Dei faciunt. 1. Corinth. 10. cap.*

Lorica.

Thorax.

Arma nostra aduersus regnum mundi.

Ebrij. *Ebrietatem dicit, non modò uinaticam illam, & à Baccho progenitam: sed quæ à quibusuis uitijs oritur temulentia, tanquam quæ ipsius naturæ limites & metas excedat, & mentem ipsam obtenebret.*

Ebrietas.

Propter quod consolamini. *Quædam specialius post generalem admonitionem docet. Primùm, ut se mutuo ædificent. Secundùm, ut præpositos uenerentur per charitatem: id est, ut præter uenerationem etiam necessaria eis ministrent, & pacem habeãt cum eis, ut sicut ad Hebræos 13. dicitur, Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.*

Paræneses seu præceptiones de motibus.

Vt noueritis eos. *Obserua uerbum Noueritis. Nam agnoscere siue noscere aliquẽ, est eius rationẽ habere, operiq; mercedem repẽdere. Quæ loquutio Gallis usitatissima est. Dici enim solet aduersus ingratũ: C'est mal cogneu. Et quum ad operas aut aliquid quod uolumus hortamur, dicimus: Faictes cela, ie le cognoistray.*

Propter opus illorum. *Quasi dicas, propter facta illorum. Hunc locum oportet adnotare diligẽter episcopos, qui exigunt à suis summum honorem, cùm ipsi nõ curent suum præstare officiũ. Paulus iubet eos haberi in summo honore, sed propter opus, non propter inanem titulum: hoc est, laborantes, præsidentes in Domino: non cum fastu dominantes: admonentes, docentes, consolantes, quod proprium est episcoporum.*

Episcopi propter opus honore habendi.

Episcoporum opus.

Pacẽ habete cũ eis. *Hoc est, cũ præceptoribus pacifice uos gerite. Nouerat enĩ Paulus odia esse in hos quædã oborta. Parit quippe ueritas odiũ: & odio sæpe habẽtur, qui alios arguunt, & malefacta nìl probant. At odio dignus nõ est qui arguit ut prosit.*

Præceptores oderunt mali.

Spiritus donũ.

Prophetia.

Corrípite inquietos. *Ad præceptores diuertit sermonem, ut leniter, non per arrogantiam castigent. Pusillanimes sunt, qui in multis adhuc trepidant, timentes ne quid defuturum sit corpori: uel ne non satis magno animo præstaturi sint in aduersis*

pro Euangelio ferre nequeunt tentationes. Hi sunt, qui seminati in lapides ceciderunt, omnino subleuãdi, & consolandi sunt. Reddite ualidiores, qui fuerint in fide infirmiores: Et lenti estote ad iracundiam, ô præceptores.

Spiritus donũ.

Spiritum nolite extinguere. Spiritum uocat dona spiritus, per quem alij datur sermo sapientiæ, alij scientiæ, alij genera linguarum, 1. Corinth. 12. Qui talia dona habet, utatur: sed ut illhic dicitur, ad utilitatem Ecclesiæ. Alij uerò non prohibeãt talia, sed sinant ferri quenque suo spiritu, modò Christiano. Addit, Prophetias nolite spernere: id est, interpretationes diuinæ scripturæ & declarationes fidei, ut 1. Corint. 13. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationẽ, & exhortationem, & cõsolationem. Ne uerò sine iudicio quodcunque suspiciamus, addit, Omnia probate, &c. Et Christus, attendite à falsis prophetis, item à fermento Pharisæorum. 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere. Extinguere aspernari est, contemnere & opprimere.

Prophetia.

Deus pacis. Integer spiritꝰ. Hominis tres partes.

Deus pacis. Deum pacis appellat, sine quo sunt perturbata omnia. Integer spiritus, id est, absque corruptione, & omnibus suis numeris & partibus sit. Hîc Paulus diuidit hominem in tres partes, quarum summa & nobilissima est Spiritus, quo comprehendit incomprehensibilia per naturam, si Deus illhic illuminauerit. Sine enim illa illuminatione tenebræ sunt, & ignorantia. Atque in spiritu est domicilium fidei, & habitaculum uerbi Dei. Altera est anima, per naturam quidem non separata à Spiritu: sed per opus, quod est Animare, & Vegetare, hinc & nomen habet. Hîc lumen est, & ratio, quæ errat spiritus lumine absente. Est enim sapientia humana, &, ut Paulus uocat, Animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt Dei & spiritus. Tertia autem est Corpus cum suis membris. Paulus hîc totius hominis sanctificationem à Deo, qui Deus pacis est, fieri postulat: totius inquam hominis, ut in nullo possit culpari: non dico, coram hominibus, sed ne in aduẽtu quidem Christi. Hunc locum interpretatur Hieronymus in quæstionibus ad Hedibiam, quæst. 11.

Fidelis est qui uocauit uos: Id est, aperuit uobis suum Euangelium, & implebit quod cœpit, iuxta suum promissum. Ad Philippen. 1. Is qui cœpit in uobis opus bonũ perficiet usque in diem IESV Christi. Nam ut 2. cap. dicitur, Deus est, qui agit in uobis & uelle & perficere pro sua uoluntate.

CONCILIATIO.

PAVLVS dicens, quòd Dominus ueniet, sicut fur in nocte: immemor illius est quod alibi dicit, Dominus manifestè ueniet in tuba, &c. NIHIL in his pugnantiæ est, sed utrunque uerum. Quoniam certum ac determinatum tempus quando ueniet Dominus, erit ex improuiso, ac repentè: ipse autem ueniens repentè, ueniet manifestus & glorioſus. Atque hic modus ueniendi similis est modo quo fur uenit in nocte, id est, repentè, & ex improuiso.

Oratio sine intermissione.

CVM Salomon Eccle. 7. dicat, Ne iteres uerbum in oratione tua: quomodo Paulus hoc loco præcipit, Orate sine intermissione. SOLERTER debemus meminisse quod dicitur, Ne iteres uerbum in tua oratione. Quo dicto, sapiẽs nequaquam prohibet sæpe ueniam petere, sed culpas iterare: ac si apertè dicat, cùm male gesta defleueris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas. Qui ergo uerbũ in oratione iterare uetuit, quasi qui orat animum despondere uideatur, de remissione commissorum, non orationis frequentiam interdixit, sed culpas iterari prohibuit: aut, ut quibusdam placet, in orando multiloquium & uanum interdixit. Aduerte in multiloquio orare, hoc non est, ut multi putant, si diutius oretur. Aliud est, sermo multus: aliud, diutur nus

turnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit. Vbi quid aliud, quàm quòd nobis præbebat exemplum. In tẽpore precator opportunus, cũ patre exauditor æternus. Absit ab oratione multa loquutio: sed non desit multa precatio, si feruens perseueret intentio. Nam multum loqui, est orando rem necessariam superfluis agere uerbis. Multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur: plus fletu, quàm affatu, ait Augustin. epistola 121. Probæ uiduæ, tomo 2. fol. 402.

Orandum est multũ, nõ multũ loquendum.

DICTIO.

MOMENTVM, propriè significat exiguam quandam mutationem, & penè indiuisibilem: quod Græci Atomon uocant. Hoc ueteres etiam Momen appellabant: hinc quodcunque minimum potest Momentum dici.

Momentum.

FINIS.

Missa est prior epistola hæc ad Thessalonicenses ab Athenis, per Tychicum diaconum, & Onesimum acolythum.

STATVS EPISTOLAE AD THESSALONICENSES II.

Thessalonicenses malis mirum in modum maceratos consolatur, edisserens de secundo aduentu Christi, cui cùm nullum interea præfiniat tempus, Antichristum tamen futurum indicio patefacit.

LOCI INSIGNES.

1 Pœna incredulorum, & ueritatem odientium. Cap. I. & II.
2 Hanc pœnam norunt quidem per fidem Christiani, sed reuelabitur in aduentu Christi. Cap. I.
3 Indicia Antichristi, & signa præcedentia aduentum Christi. Cap. II.
4 Inuehitur in rebelles & inquietos. & otiosos excommunicat. Cap. III.

EPIST

EPISTOLA PAVLI AD THESSALONICENSES, II.

Patientia, ad regnum Dei semita. CAP. I.

Thessalonic. in tribulationib⁹.

PAVLVS, & Siluanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro, & Domino IESV Christo, gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Gratias agere debemus semper Deo pro uobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides uestra, & abundat charitas uniuscuiusque uestrum in inuicē: ita ut & nosipsi in uobis gloriemur in Ecclesijs Dei, pro patiētia uestra, & fide in omnibus persecutionibus uestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini, si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationē ijs, qui uos tribulant: & uobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini IESV de cœlo cum angelis uirtutis eius, in flamma ignis, dantis uindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri IESV Christi, qui pœnas dabūt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria uirtutis eius: cùm uenerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super uos in die illo. In quo etiam oramus semper pro uobis, ut dignetur uos uocatione sua Deus noster, & impleat omnem uoluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in uirtute, ut clarificetur nomen Domini nostri IESV Christi in uobis, & uos in illo, secundum gratiam Dei nostri & Domini IESV Christi.

Pœna incredulis Euangelio.

Exēplū] Vel. documentum, aut, ostensionē

Si tamen] Si quidem.

Virtutis eius,] Potentiæ suæ.

Quia creditum est testimoniū nostrum super uos] Quòd fides habita sit testimonio nostro erga uos.

In quo] Ad quod.

Omnē uoluntatem] Omne bonum propositū

In exemplū iusti iudicij: *Id est, ostensionē, aut specimen, aut declarationem. Tū enim clarescet Dei iustitia, cùm cruciatibus æternis dedentur, qui hìc sine fine cruciant pios: & regno cœlesti potiētur, qui hìc spe promissæ felicitatis dira perpessi sunt.*

Si, pro quia.

Si tamen iustum est. *Si, id est, quia, iustum est.* Frequens est in sacris hic modus lo-

dus loquendi, ut illud, Si odit Deus peccatores.

Requies.

Et uobis, qui tribulamini, requiem. *Requiem dicit refrigerium & refocillationem, siue relaxationem ab omnibus malis.*

Gladius flammeus reuelabitur.

Dantis uindictam. Reuelabitur dies Domini, cùm uenerit in maiestate sua de cœlo, cum Angelis uirtutis (id est, potētiæ) eius, scilicet Dei, dantis uindictam in flāma ignis, & tunc reuelabitur ille flammeus gladius, de quo fit mentio Genesis 3. cap. Aduentus Christi erit in flamma ignis, quemadmodum Dauid Psal. 96. profitetur, Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.

A facie Domini. *Quia diuina præsentia iustis splēdorē est allatura, reprobis uerò supplicia. Huius enim uel solo aspectu rebelles & cōtumaces cruciādos declarabit.*

Et gloria uirtutis eius. Virtutis, id est, roboris, siue potētiæ: ne quis hic accipiat uirtutem, quæ pugnat cum uitio. Aduenturus enim est cum gloria & potentia, tanquam potentissimus imperator. Et glorioſus fortitudinem & robur suum ostensurus malis & bonis.

Quia creditum est testimonium. *Illo die resurrectionis manifestabitur quòd sermoni & prædicationi meæ credidistis, & bonis illis dignos uos effeceritis, quæ tunc fidelibus donabuntur.*

Vocatio operibus confirmata.

Vt dignetur uos. Vocationem hoc loco dicit, quæ sit operibus confirmata, quæ uerè uocatio est: sicuti & uera dicitur Fides, quæ re, & actionibus nititur. Vt impleat omnem uoluntatem bonitatis suæ: id est, quodcunque placitum est illi impleatur in uobis. Et opus fidei in uirtute: id est, fortiores uos reddat, & in fide constantiores. Est certè patientia opus fidei.

CONCILIATIO.

PAVLVS *dicens, Et nos ipsi in uobis gloriemur: aduersatur ei quod 2. Corint. 10. dixit, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* RESPONDEO, *Paulum non gloriatum nisi in Domino. hìc duplici ratione in Domino gloriatur. In primis, collaudans Dei misericordiam, & Spiritus sancti efficaciam in his, qui susceperunt uerbum. Deinde hoc ipsum faciens coram alijs Ecclesijs, ut pio exemplo, & ipsæ cupiant sic à Deo prouehi, quò adhuc latius Dei gloria, & sanctificatio nominis eius propagetur. Quomodo enim in his Paulum non Dei quærere gloriam sentire poteris, qui de his ipsum Deo semper & indesinenter gratias agere uides?*

Antichristi exitium comitabitur dies Domini extremus. CAP. II.

Signa præcedentia aduentū Christi. Ephes. 5. b

ROgamus autem uos, fratres, per aduentum Domini nostri IESV Christi, & nostræ cōgregationis in ipsum: ut nō citò moueamini à uestro sensu, neq; terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neq; per epistolam tanquàm per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis uos seducat ullo modo: quoniam nisi uenerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm

Antichristus.

Vestro sensu,] Mente,

Terreamini,] Turbemini,

Domini,] Christi.

Quoniā] Subaudi, non aduenit

Discessio primùm,] Defectio prius,

Ostendens] Ostentans

quàm sit Deus. Num retinetis, quòd, cùm adhuc essem apud uos, hæc dicebam uobis? Et nunc quid detineat scitis: ut reueletur in suo tempore. (Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat) Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum cuius est aduentus secundum operationẽ Satanæ, in omni uirtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eo quòd charitatẽ ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro uobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit uos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, & in fide ueritatis. Ad quod & uocauit uos per Euangelium nostrũ, in acquisitionem gloriæ Domini nostri IESV Christi. Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster IESVS Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda uestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Esaiæ 11,3

Operatur]uel, agit Nunc]uel, impresentia Fiat]Tollatur

Virtute,] Potentia,

Odientibus ueritatẽ quale iudicium

Operationẽ erroris,] Efficaciam seductionis. Consenserunt iniquitati.]Placuit eis iniquitas. Primitias] Ab initio

In gratia,] uel per gratiam, Exhortetur] Consoletur

Rogamus autem. *Cùm audirent quidam, tum ex hac tum priore epistola, quæ de aduentu Domini & resurrectione Paulus disseruit, opinati sunt diem Domini & finem rerum omniũ instare, & proximis adesse. Hæc prædicabãt pseudoapostoli, & per cõpita & cœtus hominũ clamare non desinebant. Quæ in multorum perniciem cedebãt. Cæterũ explicat quæ diem iudicij præcedent, & quibus signis præcedentibus præmonendi sint homines. Quoniã hoc errore auellebantur ab unitate Ecclesiæ: ideo rogat & hortatur per aduentum Domini, & unionis membrorum corporis ad caput, qui est Christus, ut non dimoueãtur à sana & pura doctrina, quam receperant, & ne Antichristi præambulonibus adhærerẽt. Cùm dicit, & cõgregationis nostræ in ipsum, id est, per Ecclesiam seu aggregationem in ipsum. Non est credentium cõgregatio nisi in ipsum Christum, qui in nomine illius congregantur.*

Neque per spiritum. *Species enumerat uarias per quas turbantur Ecclesiæ: Id est, per prophetiã & uaticiniũ. Aderãt enim qui se prophetas mẽtirẽtur, & assererẽt diẽ iudicij adesse, populo illudẽtes, & iactãtes spiritũ Dei, cũ tamẽ ducerẽtur prauis cupiditatibus, ut Mõtanistæ & Valẽtiniani, quibus multa scripserũt Iren. & Euse.*

Vt non citò moueamini. *Id est, si auditis de aduentu Domini, nolite citò dimoueri à uestra sentẽtia, nolite in animos uestros, siue, nolite uobis persuadere diẽ Domini*

mini nunc instare. Neque terreamini, id est, nolite animis consternari & pauere, tanquàm destituti omni consilio & auxilio.

Neque per sermonem. *Secundam adducit speciem perturbandi Ecclesiam. Per sermonem intelligit doctrinam uiua uoce depromptam, quæ si eloquentia & probabilitate instructa sit, pestilentissima est.*

Neque per epistolam. *Tertia species est epistola supposititia, aut scriptum aliquod falsa inscriptione decoratum. Solent enim (ait Ambrosius) tergiuersatores ut fallant, sub nomine alicuius clari uiri epistolam fingere, ut autoritas nominis possit commendare, quod per ipsum recipi non possit. His technis & commentitia arte impuri & nefandi quidam nebulones Ecclesiæ Dei illuserunt, qui plurimos libros, plures epistolas atque tractatus titulo & nomine eruditissimorum & sanctissimorum doctorum obtrusere: qui si uiuerent, huiusmodi libros & tractatus non agnoscerẽt, suos esse negarent. Præterea sunt libelli præclaris ornati titulis, magnifica & spiritalia promittentibus. Sed si introspexeris, uenenatam & erroribus admistam deprehendes doctrinam. Cauẽdum est ab huiusmodi impostoribus, firmiterq; teneamus quæ cum matre Ecclesia IESV Christi sponsa, cõuenient, ad quam (si de dogmate cõtrouertitur) tanquàm ad anchoram recurramus oportet. Ipsa enim est (ut infra ad Timoth. dicitur) columna & firmamentum ueritatis.*

Antichristi nomina. Antichristus. Discessio. Homo peccati. Perditionis filius. Pastor stultus. Idolum.

Quoniam nisi uenerit discessio primùm. *Discessio: id est, Antichristus, quem eò discessionem appellat, quia re ipsa ita futurũ sit, ut multos faciat à Christo desciscere, uel electos ipsos si fieri potest. Hos saltẽ multis tentationibus oppugnabit. Insuper hunc Hominem peccati dicit, quia futurus sit scelerum omnium patrator, seducturusq; & alios ad peccandum. Perditionis filium nuncupat, ut qui & perdẽdus sit tandem. Hunc Zacharias cap. 11. uocat Pastorem stultum, & Idolum. Euangelistæ nominant illum Abominationem, & Desolationem, in sancto loco, & templo Dei sedentem. A Daniele Rex impudens facie dicitur, & Rex laruatus, cuius maledictione os plenum est, ait Dauid. Quis igitur iste? Num Satan erit? Minimè: sed homo aliquis ab eo uim omnem ad mala peragẽda desumens. Cùm dicitur, quoniam, &c. subaudiendum est, non ueniet Dominus ad iudicium, nisi &c.*

Et reuelatus fuerit. *Non erit hypocrita Antichristus, cuius peccatum lateat, & cognosci non possit: sed erit manifestus homo peccati, qui extollitur supra omnem qui dicitur Deus: id est, supra omnem cui debetur ueneratio religiosa: cuiusmodi sunt sacramenta, & sacra siue res, siue loca, siue tempora, & similia: imò se Deum dicet, & mentietur. Apparet ex hac Antichristi circunstantia Mahumetem, qui fuit sub Heraclio, & cuius secta in hunc diem durat, non fuisse hunc Antichristum, cuius hîc Paulus meminit: quia non se Deum, sed solum Prophetam, & Dei nuntium appellauit. Antichristus Idola euertet, & cultum sanctorum, seq; Deum esse solum asseret.*

Mahumetes.

Num retinetis: *Id est, non ne meministis: ac si dicat, Tam modica estis memoria, ut quæ paulò ante dixeram, non teneatis.*

Et nunc quid detineat scitis. *Cognoscitis quid prohibeat, & impedimento sit ne adhuc ueniat ille iniquus. Quid autem illud fuerit, quidam aiunt gratiam spiritus, quæ prohibẽret. Alij, ut Beatus Chrysostomus, Romanum imperium. Nam nisi Romanum imperium cuertatur, nullam Antichristus habiturus est uiam, ut queat pro sua cupiditate, quæ uelit, perficere. Hoc non dicit Paulus breui futurũ, sed suo ut tempore reueletur, ut tempus incertum & inexplicatum relinquat.*

Nam

Universidad de Deusto Biblioteca

Neronis nomẽ tacet Paulus.

Nam mysterium iam. *Per iniquitatis mysteriũ Neronẽ designat, ait Theophylactus, qui Antichristi figuram præferret: quãdoquidẽ & impurior esset, & Deus dici, & haberi quærebat. Sed quare palàm hũc non nominat? Dico, non quia hũc reformidet Paulus, sed nos ut erudiat, ut nimia odia refugiamus, nisi fidei ratio urgeat. Aut dicit Antichristũ operari, nõ quòd hactenus apparuerit Antichristus, sed quia occultè iã illius spiritus, uis, & energia apparet, ualet, & agit in his, q̃ pſequũtur Christianos.*

Imperiorũ ſucceſsio.

Tantum ut qui tenet. *Gloſsa ordinaria huic loco iuxta Doctorum sententiã satisfacit. Cùm Romanũ imperium tolletur de medio, (ait Theophylactus) tunc adfuturus est ille Antichristus. Quemadmodũ enim ante Romanorum summã omniũ monarchiã, fuere aliena sublata imperia, sicuti Medorum cõstat à Babylonijs, Babyloniorũ à Persis, Persarũ à Macedonibus, Macedonũ à Romanis fuiſse deleta, sic & Romanũ hoc regnũ ab Antichristo tolletur. Et id quidem ita futurum Daniel ipse testificatur cap. 7. per bestiæ imaginẽ. In hũc modum declaratur textus: Gens Romana, quæ tenet imperium, teneat, donec ab ea auferatur, & tũc Antichristus apparebit. Nonnulli de Nerone intelligũt, quẽ putant aut resurrecturum ac futurum Antichristum, aut in hoc sublatũ adseruari, ut suo tempore prodeat. Quidam de fictis Christianis interpretantur. Quibus de rebus accuratius diſserit Augustinus libro de ciuitate Dei 20. cap. 19.*

Quem Dominus Iesus interficiet. *Christus Antichristum consumet opera & uirtute spiritus sancti. Et destruet illustratione, &c. Id est, illuminatione, & claritate Christi aduenientis obscurabitur Antichristus. Hic locus desumptus est ex Isa. cap. 11. Cuius uerba sic habent: Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terrã in uirga oris, & in spiritu labiorũ suorũ interficiet impium. Venusta est periphrasis uerbi dominici, Spiritus oris aut labiorum. Verbũ enim Dei ualidus ille gladius est, quo superbi istius Goliath caput amputatur.*

Dilectio ueritatis.

Charitatem ueritatis. *Dilectionem ueritatis: id est, amorẽ ueri. Aut, ut alijs placet, ipsum Christum, qui est charitas & ueritas.*

Ideo mittet. *Deus permittet ut efficacia seductionis & impostura agat in eis credentibus Antichristo qui spiritu immundo ducetur. Diuus Hieronymus arbitratur Paulum sumpsisse ex Esaia cap. 29.*

Primitias in salutem. *Hoc loco Paulus significat illos inter primos fuiſse uocatos ex Thessalonicens. Aut primitias illos dixit, quòd ab initio illos elegerit Deus.*

Siue per sermonem, siue per. *Hîc Paulus hortatur, nõ minore excipienda esse honore, quæ solo sermone, nõ scripto illis tradidit, quàm quæ literis mãdauit. Propterea cùm Ecclesia spiritu sancto directa nõ minoris sit autoritatis, quàm Paulus, ausim affirmare, Quæ sunt nobis Ecclesiæ traditione, seu uiua uoce tradita, nõ secus atq; illa quæ scripsit Apostolus sunt fide digna. Itaque si quid ab Ecclesia est traditum obserua, & nihil ultra perquiras. Quid huic loco respondebunt Neochristiani, qui aſserunt nihil excipiendum esse, quod sacris literis non est expreſsum?*

Ecclesiæ autoritas.

Non minoris autoritatis sunt quę uoce quàm scripto pronuntiata sunt à sanctis.

Ipse autem Dominus. *Tollitur hîc eorum error, qui cò dicebant filium patre inferiorem, quòd in sacrosanctis baptismi uerbis post patrẽ filius nominetur. Ecce contrà, in hoc orationis contextu patri filius anteponitur. Qua oratione exoptat eis profectum & perseuerantiam per Deum. Hac sententia totam Euangelij summam intertexuit, nempe quòd Deus dilexerit genus humanum, & dederit ipsi æternam consolationem* IESVM *Christum, qui est spes nostra: dederit inquam non propter merita nostra, sed per gratiam suam.*

CONCILIATIO.

CVM *Ezechiel 18. cap. dixerit, Nolo mortẽ peccatoris, sed magis ut uiuat: Quid hic Paulus ait, Quòd Deus Antichristum aduentare permittet, cuius aduentu homines tantum nocumenti accepturi sunt?*

RESPONDENDVM: *Nullus timor inceſsat, electos nõ peſsundabit Antichristus. Ait enim Paulus, In omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, non autem ijs qui salui fient, id est, electis. Habet nanq; ille in perditis poteſtatem, qui, uel si nec esset ille uenturus, esſent tamen in sua peruicacia permansuri.*

DICTIO.

DISCESSIO *à discedo, Græcis est Apostasia, quod diuus Ambrosius uertit Defectionem. Nempe cum aliquis deſciscit à suo autore, seu principe. Hinc Apostatare, & Apostata.* Diſceſsio.

HOMO *peccati. Antichristus intelligatur, qui secundum operationem erroris, id est, energiam & efficaciam seductionis, uel impostura, seductурus est multos per prodigia, quæ facturus est: nimirum agente spiritu immundo in illo.* Homo peccati.

In otioſos inuehitur. CAP. III. Coloſſ. 4. a

De cætero,] quod ſupereſt,

Importunis,] abſurdis, uel, prodigioſis,

DE cætero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud uos: & ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides. Fidelis autem Dominus est, qui confirmabit uos, & custodiet à malo. Cõfidimus autem de uobis, fratres, in Domino, quòd quæcunque præcipimus, & facitis, & facietis. Dominus autem dirigat corda ueſtra in charitate Dei, & patientia Christi. Denuntiamus autem uobis, fratres, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, ut ſubtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionẽ quam acceperunt à nobis. Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam nõ inquieti fuimus inter uos, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo: ſed in labore, & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem ueſtrum grauaremus. Non quaſi non habuerimus poteſtatem: ſed ut noſmetipſos formam daremus uobis, ad imitandum nos. Nam & cùm eſſemus apud uos, hoc denuntiabamus uobis, Quoniam ſi quis non uult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter uos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. Iis autem, qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino IESV, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. Quòd ſi quis non obedit uerbo noſtro per epiſtolam, hũc notate: &

Patientia] in expectationem Denuntiamus] præcipimus.

Inquieti fuimus] inordinate geſsim⁹ nos.

Laborat manibus Paulus. Act. 20. g 1. Corint. 4. c 1. Theſſ. 2. b

Inquiete.] inordinate,

Galat. 6. c

Excommunicatio.

Notatet] indicate:

ne commiſceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem. Ipſe autem Deus pacis det uobis pacem ſempiternam, in omni loco. Dominus ſit cum omnibus uobis. Salutatio, mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola. Ita ſcribo. Gratia Domini noſtri IESV Chriſti cum omnibus uobis. Amen.

Corripite] admonete

Loco.] modo.

Vt liberemur. *Non quòd tremulus, & timidus iſta pro ſe roget, qui paratus erat pro Euangelio mori, ut uides ad Philip. 2. Sed rogat pro ſalute illorum, qui adhuc indigebant uerbo Dei, ut ſcribit ad Philippenſes 1. Permanere (inquit) in carne neceſſarium eſt propter uos. Sunt autem abſurdi homines, qui non ſolùm pugnant cõtra ea, quæ Dei ſunt, quæ non poſſunt intelligere: ſed etiam contra omnem rationem: hos uocat Importunos, & Inquietos, qui nullo loco ſtare poſſunt, ne deprehendantur in ſuis conciliabulis, uagi ſunt, domicilia mutantes.*

Non enim omnium eſt fides. *Non omnium eſt fides, ſed eorum duntaxat qui ut crederent digni ſunt. Multi ſunt qui ſe fingunt & mentiuntur Chriſtianos, ſed non ueri ſunt fideles. Alij ſic exponunt, non omnium eſt fides, id eſt, non omnes ſunt fidi & ueraces qui fidi uolunt uideri. Enallage, id eſt, Immutatio eſt, rem pro perſona poſuit. Fides enim hoc loco, in ea ſignificatione uſurpatur, quà in illa poetæ ſententia, Nuſquam tuta fides.*

Confidimus autem de uobis. *Cùm dixiſſet Paulus, Deum fidelem eſſe, foreq; ut omnia exequatur, obiecíſſet fortaſſe aliquis, fruſtra eſſe labores, quos ipſi impenderẽt: ideo ut ſegnitiem & ignauiam fugitent, ait, Confidimus, &c. tanquam id dicat, Deus quidem fidelis eſt, & pollicita peracturus: ſed ſi uos aliquid induſtria profeceritis, confidimus & in Deo quidem, quòd uires ſint uobis, & robur ad profectum & tolerantiam præbiturus. Hæc dixit, ne fortè à Deo prorſus fiducia quadam multa pendentes, ſegniores ad bona exequenda reddãtur. Omnia, inquit, ſunt in Deum reijcienda, ſed à uobis etiam aliquid factitandum. Addit uerbum futuri temporis, Facietis, ut doceat ad ultimum uſque ſpiritum neceſſariam his fore uirtutem.*

Et patientia Chriſti. *Beatus Ambroſius legit, In expectationẽ Chriſti. Nẽpe ὑπομονὴν, ſonat perſeuerantiam in re quapiam, non ſine moleſtia: ſed rurſum cum expectatione præmij, aut certe finiendi mali: dicitur ergo hoc loco, Patientia Chriſti, pro ea qua Chriſtus expectatur. Hoc dicto Pauli explicatur modus & ſermo precatiuus utriuſq; doni (charitatis ſcilicet Dei, & Spei qua expectatur Chriſtus) neceſſarij ad ſeruãda præcepta apoſtolica. Aut ſic: Dominus dirigat corda ueſtra: id eſt, ad ueri intelligẽtiam peruenire uos faciat, neq; in deuia declinare. In Chriſti autem patientia dicit, uel ut omnia toleremus aduerſa, ut ille tulit, uel ut patienter Chriſti aduẽtum expectemus, ut dictum eſt. Cùm dixit Dominum, intellige Spiritum ſanctum, ut ait Baſilius magnus.*

Denuntiamus autẽ. *Sæpe aliàs, ait Chryſoſtomi abbreuiator, diximus denũtiationem, auſteram quandam præferre doctrinam. Nunc igitur tremendam magis faciens Paulus, inquit, non nos præcipimus, ſed Chriſtus ipſe.*

Ambulante inordinatè. *Hos notat Paulus, qui ſuſceptum ordinem & uitæ ritum, iuxta ſanctæ matris eccleſiæ inſtitutum, ſe ſubtrahunt, & ſubducunt, nolentes ſubdi legibus eccleſiæ: quod ſequenti textu explicat Paulus, dicens, Qui non ambulat ſecundum*

ſecundum traditiones, quas acceperunt à nobis. Hi extra claſſem & ſuum ordinem ſe ſubducentes, inordinatè, & intemperanter uiuunt. Aut dicit Inordinatè, notans eos, qui per ignauiam & ſegnitiem uitam degebant, nil operantes, ſed aliena (ut dicitur) uolentes uiuere quadra.

Ne quem ueſtrum grauaremus. *Proprie Grauare eſt, ab inuitis aliquid capere. Ne quempiã ueſtrum grauaremus, eò dixit, quia inopia tunc laborarẽt fideles.* Grauare.

Audiuimus enim inter uos. *Notat Paulus quoſdam inquietos, & immorigeros, qui otioſè uiuunt, & ex labore aliorum uitam producunt, inuento aliquo prætextu, quo hoc eis iure debeatur.* Otioſos & inquietos arguit Paulus.

Quòd ſi quis non obedit. *Chriſtianam & euangelicam excommunicationem oſtendit, & in quos ferri & denuntiari debet. Si quis noſtræ epiſtolæ dictis non obedierit, hunc notate, & à uobis ſegregate: non ut pereat, ſed ut confundatur, & pudore ſuffundatur, ut diſcat agnoſcere ſuum erratum. Nolite hunc ut inimicum exiſtimare, ſed ut fratrem corripite: hoc eſt, beneuola & fraterna beneuolentia caſtigate ſeorſum, & benignis uerbis utamini. Baſilius magnus legit, Verbo ueſtro: ſenſus eſt, Si quis uobis nuntiantibus quæ ſcribo non crediderit, atque ſe immorigerum, & minus obſequentem præſtiterit, huius conſortium fugite.* Excommunicatio in quos ferenda.

CONCILIATIO.

QVID hîc Paulus prohibet cõmiſceri cum ſuperbis, dicens, Quòd ſi quis nõ obedierit uerbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne cõmiſceamini cum illo: cùm Chriſtus ſuo exemplo oppoſitum docuerit, qui cum Phariſæis & peccatoribus comedit, & uerſatus eſt. PAVLVS non abſolutè præcipit, non uerſandum cum ſuperbis, & inobedientibus: ſed ubi loco & tempore à talibus ſeponamur, ut corrigantur. Non ut inimicos exiſtimemus, ſed ut fratres corripiamus. Hæc fiunt, non ut illos perdamus, ſed illis medeamur. Cùm uerò ſperatur fructus, cum ſuperbis uerſari non prohibetur.

CVM Dominus Matth. 6. inſſerit de uictu & tegumento noſtro ſecuros eſſe, & non debere eſſe ſolicitos, dicens, Ne ſoliciti ſitis animæ ueſtræ quid manducetis, neque corpori ueſtro quid induamini: quomodo hîc Paulus oppoſitum dicere uidetur, qui nos etiam opificũ artibus, curis, & laboribus oneret, quæ ſolicitudinem & curam pariunt, quid manducemus, aut quo ueſtiamur. Ait enim: Qui non uult operari, non manducet. RESPONDEO: In dicto Pauli opera etiam ſpiritualia debemus accipere, de quibus alio loco dicitur, Vnicuique ſicut Deus dedit, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Et paulopoſt, Vnuſquiſque ſuam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem: Dei enim cooperatores, Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui. Sicut ergo Apoſtolus operatur, plantando, rigando, ædificando, & fundamentum ponendo: ita qui non uult operari, non manducet. Scio pleroſq; hac Pauli autoritate uehementer inuehere in religioſos, & eos qui monaſticen ſunt profeſſi. Sed Paulus arguit eos, qui non uolunt laborare. Qui autẽ monaſticen exercent, laborant, & rebus innittũtur ſpiritualibus. Hoc genus uiuendi, ſeu uitæ contemplatiuæ, quãti facit Dominus Luc. 10. uiderint etiam aduerſarij, quorum etiam lubens in re tam manifeſta ſubirem iudicium. Qui aliter ſentiunt, Vigilantij & Vicleſi errorem ſequuntur, aduerſus quos totus Doctorum catholicorum torrens ſcripſit. Certè qui alios inſtruit, & rebus ſacris totus uerſatur, ad huiuſmodi manuum laborem cogendus nõ eſt: Quia maius aliud opus pertractat, & plus habẽs difficultatis, quod tunc impedit, ne laborẽ manibus exequatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Laborent tamen hi, qui negligenter & otiosè uiuunt, & manibus opus aliquod potius exerceant, quàm quod in otio uitam producant: ne coram iudice acerbè accusentur, non solùm de tam inerti otio, sed etiam de omni uerbo otioso, quod loquuti fuerint.

DICTIO.

Glorifico. GLORIFICO, *pro nobilitare, seu celebre fieri hoc loco positum est.*

Importunus. IMPORTVNVS, *qui caret portu, id est quiete, ubi nullus portus est: unde importunitas, quæ, ut Donatus inquit, neq; loci, neq; temporis habet commoditatem, uel rationem.*

Panis. PANIS *nomine, quicquid ad uictum pertinet Hebræis intelligitur: unde Luc. 14. Cùm introisset* IESVS *in domum cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem: id est, prandere, aut cœnare. & 1. Regum 10. Maledictus, inquit Saul, qui comederit panem usque ad uesperam: ubi panis nomine, omne quod comeditur, intelligit.*

FINIS.

Missa est ab Athenis ad Thessalonicenses, per Titum diaconum, & Onesimum acolytum.

STATVS PRIORIS EPISTOLAE AD TIMOTHEVM.

Docet Timotheum Paulus de ordinatione episcopatus, & diaconij, & totius disciplinæ ecclesiasticæ.

LOCI INSIGNES HVIVS EPISTOLAE.

1 Fabulæ inanes, & genealogiæ interminatæ abijciendæ. Cap. I. IIII. & VI.
2 Christus saluator & mediator. Cap. I. & II.
3 Episcopi, presbyteri, & diaconi quales eligi, & esse debent. Cap. III. & IIII.
4 Quæ sit doctrina Christiana, & quæ profana. Cap. I. IIII. & VI.
5 Pro omnibus orandum: item pro regibus & prælatis, ut sub eis quietè uiuamus. Cap. II.
6 Pietas ad omnia ualet, parùm uerò corporis exercitatio. Cap. IIII.
7 Quid cuiusq; sexus ac conditionis hominem oporteat seruare. Cap. II. III. V. & VI.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI, AD TIMOTHEVM I.

Lex non iusto, sed impio data. CAPVT I.

Imperium] Delegationem, iunctionem.

PAVLVS Apostolus IESV Christi secundum Imperium Dei saluatoris nostri, & Christi IESV spei nostræ, Act. 16. a

Dilecto] Germano, ingenuo

Timotheo dilecto filio in fide, Gratia, & misericordia, & pax à Deo patre & Christo IESV domino nostro. Sicut rogaui te, ut remaneres Epheſi cùm irem in Macedoniam: ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent,

Aliter] diuersa.

neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A` quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in uaniloquium, uolentes esse legis doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Rom. 7. a Scimus autẽ quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur, scientes hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impijs, & peccatoribus, sceleratis, Lex.

Non subditis,] Inobsequentibus, qui nolunt subdi, Cõtaminatis,] profanis, uel, à sacris arcendis,

& contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, & periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

Apostolus IESV Christi. *Dicit se Apostolum* IESV *Christi, & sibi commissum esse Apostolatum, id est officium prædicandi Euangelij à Deo. quasi diceret, Non uenio mea referre, sed quæ mihi cõmißa sunt à Deo. Vt iam horum meorum præceptorum contemptus in illum redundet.* Apostolatus.

Dei saluatoris. *Deum patrem saluatorem uocat, quia ipse per Christum saluat nos, sicut dicitur ad Ephes. 1. Fecit nos dilectos in dilecto filio suo. Post Patrẽ expressum, statim addit & Christi: ostendens, Patris & filij communem esse potestatem. Secundum imperium, id est, delegationem Dei &c.*

Spei nostræ. *Christum uocat spem nostram, quia qui Christum non habent, in desperatione uiuunt. Sicut ad Ephes. 4. Qui desperantes, semetipsos crediderunt impudicitiæ,* Christus spes nostra.

dicitiæ,in operationem immunditiæ omnis. Si periclitatur, quis non duxerit fugiendũ ad Christum? Apud alium non est tutus portus,sine hoc non est firma anchora.

Germanus Pauli Timotheus. Dilecto. Pro Germano dictum est, atq; ita legit Ambrosius. Germanum uocat Timotheum uerum,& ingenuum, non adulterinum, quòd per omnia responderet spirituali patri Paulo:id quod est filiorum, referre parentem, & non degenerare. Filius autem uel ætatis, uel charitatis est nomen. Qui germani filij sint in fide, parabola de seminante Luc. 8. declarat. Ne quis carnalem filium esse Pauli Timotheum crederet, adiecit,in fide. Nam & de Corinthijs scribit Apostolus: In Christo IESV per Euangelium ego uos genui. Et fides ac synceritas Pauli in Timotheo ut purissimo speculo relucebat.

Misericordia in episcopo. Misericordia. In alijs epistolis,salutans ecclesias, nõ addit gratiæ & paci Misericordiam,quam hîc,& sequenti interponit. Non abs re factum putato, ait Rupertus abbas in primũ cap. Apoc. Quia in Timotheo episcopos omnes informabat,cuius officij summum & necessarium decus est, Misericordia. Et ille, ut fertur, zeli feruentioris erat. Idcirco rectè & opportunè uiscera misericordiæ illi,ut haberet,præoptabat.

Vt remaneres Ephesi. Principio proponit quod præcipuum est episcopo,in primis cura episcopi sit sanam doctrinam seruare illæsam:in quem finem & usum Paulus dicit se reliquisse Ephesi Timotheum. Fungantur ergo episcopi sua functione,ueritatis doctrinam tradant,& eandem aduersus omnium incursiones,nebulas,& subuersiones tueantur.

Pythagoræ imposture. Fabulis & genealogijs. Erant qui Deorum suorum seriem enumerabãt, seducti à Magis, qualis fuit Pythagoras,qui,ne Deos riderent,in templis supernè SILENTIVM inscribi iussit. Illhic continebat digito os,& labia comprimebat, prætereuntes omnes silentij admonens. Perplexa erat series genealogiæ ab auis, proauis, tritauisq; repetita. Iudæorum gloria erat in corde,elato & superbo animo iactabãt se filios magni illius patriarchæ Abrahæ. Quilibet suos recẽsebat maiores, atq; quisquilijs & rebus nihili diem insumebant. Ex his duo profert incommoda Paulus, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem. Prius,his tricis & fabulis inuoluũtur, auditores,dum quæstionum & argumentorum nodos alios super alios nectũt spinosi & quæstionibus inflati matæologi seu uani legis doctores. Posterius incommodum est,nihil pietatis,ædificationis,& fructus habent huiusmodi quæstiones stultulæ.

In matæologos. Finis legis. Finis autem præcepti. Versari in genealogijs,& fabulis,non est finis & intentio legis. Sed finis, & præcipua intentio legis est, perfecta Dei, & proximi dilectio. Quemadmodum finis medicinæ est Sanitas, & non occupatio circa fabulas uanas Chironis,Machaonis, & eorum genealogias:ita finis legis est Dilectio, & non uersari uanis genealogijs. Et quod in medicina est sanitas,in lege est dilectio. Qui enim perfectam habet dilectionem,non aliter illi lege opus est,quam sano medicina. Charitatem hîc dicit, synceram, & quæ non uerbis tantùm, sed quæ ex sententia & intimo cordis affectu,proximorumq; miseratione prouenit. Ex corde puro,id est, charissima conuersatione. Solet enim uita impura schismata facere. Et conscientia bona, id est, animo sibi bene conscio & tranquillo,& fide non hypocritica,& simulata,sed uera.

Simile ut medicinæ finis est sanitas, ita legis est dilectio.

Schismatũ origo. Si quis legitimè ea utatur. Legitimè is utitur lege, qui per legem ad Christum deducitur. Lex nanq;,quæ iustificandi caret potestate,ad Christum remittit, qui solus potest iustificare. Tota enim legis intentio,omniaq; illa sacramenta carnalia, & figuræ omnes Christum loquebantur.

Lex

Lex iusto non est posita. Iustum hoc loco intellige, qui uirtutem est assequutus, qui nulla legis fornũdine, sed ex officio nequitiam odit, & uirtutem complectitur. Habet enim intrinsecus dictantem spiritus gratiam. Non igitur indiget pædagogo cogente, cùm omnia ex animo agat, ductus IESV Christi amore. Quod suggilauerat matæologos seu uanos legis Doctores, & legis meminerat, non ita accipiendum est quòd legem damnauerit, sed reuera abusum damnauit. Lex enim, Dei uoluntas est.

Lex iusto non est posita. Iustus.

Sanæ doctrinæ. Sana doctrina (ait) uocatur quæ est secundum Euangelium gloriæ,id est,glorioſum. Dicitur Euangelium glorioſum quòd gloriam Dei & lucem puram prædicet,ut est 2. Corinth. 3. & 4. Addit Deo epitheton, Beatus, ut significet Dei perfectionem,qui satis sit,& nostris minimè indigeat,quin potius salutem & felicitatem suam nobis communicare cupiat.

Confortauit] Potentem reddidit. Contumelioſus:] Violentus: Fidelis] Certus Patientiã] Clementiã,longanimitatem.. Ad informationem] Ad expriendum exemplarijs.&c. In te Iuel,de te.

Gratias ago ei,qui me cõfortauit in Christo IESV Domino nostro,quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumelioſus: sed misericordiam Dei consecutus sum,quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo IESV. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quòd Christus IESVS uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam cõsecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus IESVS omnem patientiam ad informationem eorum qui crediturí sunt illí in uitam æternam. Regi autem seculorum immortalí, inuisibilí, solí Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen. Hoc præceptum commendo tibi filí Timothee: secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam: quam quidam repellentes,circa fidem naufragauerunt. Ex quibus est Hymenæus,& Alexander: quos tradidí satanæ, ut discant non blasphemare.

Christus saluator. Matth. 9.b Marci 2.c

Gratías ago ei. Vide ex Paulo, quàm omnia sint dei. Dixerat, Creditum sibi esse Euangelium gloriæ beati Dei:id est,quo Deus laudatur,& glorificatur,beatusq; (à quo omnis beatitudo) prædicatur. Deinde addit, Qui me confortauit:hoc est,potentem reddidit, per Christum. Subinde, Qui me fidelem iudicauit: item, Misericordiam adeptus. item: Superabundauit,& exuberauit supra modum gratia Christi in me, cum fide & dilectione. item, Christus uenit peccatores saluos facere.

Beatus Deus.

Qui prius blasphemus. Paulus gradibus quibusdam uidetur exaggerare suum peccatum. Primus gradus est Maledicere: secundus, Insectari: tertius, Admouere

Exaggeratio proprij peccati.

uim. Sed non solùm ueniam (ait) consecutus sum, cùm talis fuerim, sed & misericordiam, ut fierem Apostolus. Nam & aliàs se extenuans, autoritatem sibi traditam, Dei misericordiam uocat, uelut 1. Corinth. 7. Consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus. Dicit, ignorans feci in incredulitate, id est per incredulitatem, nondum edoctus Euangelium, sed zelo legis paternæ ductabar.

Fidelis sermo. Pronuntiaturus dignissimam de salute nostra sentẽtiam, auditorum animos præparat ad res maximas. Quod dicturus sum (ait) est sermo fidelis, id est sententia certissima, quæ omni acceptione digna est. Id est, quæ multis nominibus, summa diligentia, et, ut dici solet, obuijs manibus excipienda est. Hanc ipsam audientes excipite. Christus IESVS uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. Christus uenit in mundum, id est, incarnatus est, qui carnis nostræ particeps factus obtulit se Deo in expiationem omnium peccatorum nostrorum. Est ergo solus Christus peccatorum spes, salus, redemptio, & uita. Obserua cum dicit Peccatores, non Iustos. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, Roma. 3.

Quorum primus. Volens Paulus docere certissimam esse sententiã, quòd Christus peccatorum expiator est, protinus se exempli gratia obijcit: Quorum primus ego sum. Obserua uoculam illam, primus, hoc loco nõ esse ordinis, sed excellentiæ: quæ perinde ualet ac præcipuus & maximus. Quis animum despondebit desperabit ue, cum audiet Paulum blasphemum, persequutorem, & insignem peccatorem, eam inuenisse gratiam apud Christum, qua omnia sunt illi condonata crimina?

Ideo misericordiam consequutus sum. Occupatio est. Obijciet fortasse quispiam. Hæc tibi obtigit gratia, eadem tamen omnibus non obtinget. Absit hæc persuasio à te, ait Paulus. Nam, ideo misericordiam consequutus sum &c. Ac si diceret, hoc exemplo & hac gratuita grauissimorum peccatorum meorum remissione Christus prouocat omnes quamlibet prioris uitæ maculis inquinatos, ad similem spem ueniæ, quam certò recipient, si ueteris uitæ illos pœnituerit, & omnem in Christum fiduciam constituerint. Ad informationem, Id est, ad exemplum, ut ne desperent. Vt ostenderet in me omnem patientiam: id est, clementiam & longanimitatem. Deus enim lento gradu (ut scriptura multis locis docet) ad uindictam procedit. Non quòd peccata illi placeant, sed quòd nolit mortem peccatoris, sed magis ut uiuat, & conuertatur. Ad exemplum Pauli pertinent exempla Adæ, Dauidis, Petri, Matthæi, Magdalenæ, Zacchæi, Latronis, & multa huius generis in sacris expressa.

Immortalis. Deus. **Soli Deo honor & gloria.** Inter has duas dictiones ex lectione Chrysostomi & eius abbreuiatoris adijcitur, Sapienti: ut legas, Soli sapienti Deo. Immortali, id est, qui corrumpi non potest: ille enim sua natura est uita: Ergo regnum eius est æternũ.
Inuisibilis. Inuisibili: quem creatura, nisi speciali quodam gratiæ lumine adiuta, uidere non potest.
Solus sapiens. Ergo regnum eius non est de hoc mundo. Soli sapienti: ergo præter eum, & extra eum, omnia sunt stultitiæ plena: ut nihil sapientiæ ueræ sit, ubi ipse non illuminat, &, ut sic loquar, sapientificat. Qui cò dictus est rex seculorum, quia est rex æternus, omnium ætatum & creaturarum conditor, præses, rector, & dominus.

Hoc præceptum tibi commendo. Præceptum hoc est de fine omniũ præceptorum nempe de Dilectione, & de gratia nobis per Christum collata. Hoc, inquam, tibi commendo secundum prophetias, &c. id est, sicuti spiritu prophetiæ admonitus,
Prophetia pro testimonio. feci te episcopum: ita iuxta eandem prophetiam nunc præcipio tibi, ut milites secundum eandem prophetiam, & illi respondeas. Prophetias dicit testimonia illa bona, ut est in Actis,

in Actis, quæ de Timotheo reddebantur, quando ad sacerdotium est assumptus, & ad sacros ordines prouectus. Perinde dignitatem omnem huiusmodi ex prophetia & spiritus reuelatione adeptus. Tu ergo Timothee, has prophetias contemplare, & quasi ab illis edoctus, quid tibi agendum sit, perge pro illarum dignitate omnia facere, ut nequaquam his probro & ignominiæ sis. Quidam interpretatur Prophetias, doctrinas spiritus Dei, siue reuelationẽ scripturæ, quam à Paulo, uel aliter acceperat Timotheus. Secundum prophetias præcedentes in te: id est, ut ambules secundum doctrinam quam accepisti, & habes, ut eam defendas contra aliter docentes.

Vt milites in illis. Allegoria est, qua Episcopum monet uigiliæ & diligentiæ. Præesse enim Ecclesiæ, & docere populum, est peculiare militiæ quoddã genus, in quo Satan, scelera, falsi fratres, hæretici hostili exercitu aduersus populum Dei mouentur. Quod si acre bellum omnibus infertur, ei tamen acrius infertur, qui alios instruit & munit ad rectè uiuendum. Quare Paulus ait, ne prophetiarum legem & normam excedas, optimam militiam milites, quemadmodum te elegerunt his rebus, quibus te addixerunt. Desinant ergo Episcopi aulæ, & mensis seruire: ut discant ex hoc loco se sub cœlestis & ecclesiasticæ militiæ signa uocatos duces uerbi Euangelici, & propugnatores populi Dei aduersus Satanam, hæreticos, pseudoprophetas, matæologos, & Lucifugas Antichristi præambulones, agere debere.

Doctoribꝰ maximè inuigilãdum propter acerrimum bellum.

Habens fidem. Non sat tibi erit quòd per spiritum & prophetiam ad sacerdotale munus fueris prouectus, nisi & fides per te indubitata præstetur, ut uerba rectè pronunties, & conscientiam bonam, id est, uitam irreprehensibilem, habeas, à qua oritur rectior hæc conscientia, ita ut alijs præesse queas.

Quam quidam repellentes. Quam, scilicet bonam conscientiam, repellentes. Sordidè enim, & immundè uiuunt alieni à fide, quæ portus est patentissimus, qui animum ad tranquillitatem traducit. Quæstiunculæ uerò & hæsitationes tanquam procellæ mentem utrinq; exagitatam, in miserum corripiunt naufragium, affliguntq; scopulis, uel in profundum demergunt, ait Chrysostomus. Quæ eleganti allegoria significauit Paulus dicens, circa fidem naufragauerunt. Nemo nescit quòd tutissima nauis in profundo hoc mundi errorum & scelerum pelago est ueritas Euangelica, fides, spes & charitas. Qui in hac naui perstant, securi tendunt ad salutis portum, & salui portum attingunt salutis æternæ. Sed qui uentis & flatibus superbiæ uelã contentionis dant, abreptiq; malarum cupiditatum fluctibus à puritate uitæ recedunt, impingunt in erroris & perfidiæ scopulos, & in profundum malorum demersi intereunt.

Quæstiunculæ labefactant cõscientias.

Ex quibus est Hymenæus. Chrysostomus excommunicationem & resectionem à corpore Christi intelligit: ita ut nulla cum eis fidelium esset communio, nulla spiritualium suffragiorum participatio. Et hæc est citra interitum & uexationem carnis, & occulta satanæ traditio. Illa autem quæ fuit Corinthij incestuosi manifesta fuit, cum interitu & uexatione carnis terrifica. Et id factum, non ut perirent, sed ut ex hac deiectione à sanctorũ societate discerent non blasphemare, & non malè loqui de Christo, & eius fide: & resipiscentes dignam pœnitentiam agant, & iterum inserãtur corpori Christi: à quo qui separatur, paratum habet lupum diabolum, & leonem circumeuntem, & quærentem quem deuoret. Stemus ergo fores in fide.

Traditio quæ à Paulo tradita sunt Satanæ.

CONCILIATIO.

HAEC Pauli authoritas, Iusto non est lex posita: contraria uidetur dicto Ezechielis cap. 18. Vir qui in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, ut Prima.

Universidad de Deusto Biblioteca

faciat ueritatem, hic iustus est. RESPONDEO. *Quemadmodum magistratus non est, nisi ob malos cohibendos, & Reipublicæ pestes medendas: ita lex non est iusto posita, sed iniustis, & inobedientibus. Ad Roma. 13. Principes non sunt terrori bene agentibus, sed malè. Et 1. Petri 2. Præsides mittuntur ad uindictam nocentium, laudem uerò rectè agẽtium. Si uniuersus mundus in Christum crederet, neque lege, neque magistratibus esset opus. Sed ob id sunt, ne publica pax interturbetur, ne facinora sint impunita, ne cuiuis liceat pro sua libidine grassari, & fraudem facere proximo. Lex pædagogus est ad Christum, ad Galat. 3. Non iustificat ipsa, sed ad iustitiam ueram remittit. Functa est suo officio, si peccatum manifestauerit. Quod autem Ezechiel ait,* VIR *qui in præceptis, &c, non aduersatur Paulo: declarat enim quis uerè iustus sit, & quæ uirtutes & studia ipsius, unde posit cognosci, quãdo ex fructibus agnoscatur arbor. Hic ambulat in lege Domini die ac nocte, ipse per se facit recta, etiam si lex non fuisset. Spiritu regitur, qui non sinit ipsum in legẽ delinquere, Ad Galat. 5. cap. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Lex non est iusto posita, & tamen iustus obseruat legem. Videbitur fortsitan & dictũ Dauidis huic Paulinæ sententiæ aduersari,* LEGEM *pone mihi Domine, &c. Sed huic respõdendum, Dauidem petijsse quòd sequatur uiam iustificationum, siue ut magis ac magis in lege Domini meditatus proficeret.*

Magistratus quare instituti.

Secunda. CVM *Salomon in Prouerbijs de uia iniquitatis loquatur, dicens, Omnis qui ambulat in ea, non reuertatur. Quo modo Paulus hoc loco à persequutione & blasphemia rediens ait, Qui fui blasphemus & persecutor. Et Luc. 22. Petrus à negatione ad fletum conuersus, respectum Christi commeruit?* RESPONDEO. *Per seipsum homo potest in illa uia iniquitatis ambulare. Non potest autem per seipsum redire, nisi gratia Dei reuocetur.*

Tertia. ADIMANTVS, *Manichæi discipulus, scripturarum pugnantiam dicebat, Paulus ait, Soli Deo inuisibili. & Ioan. Nemo Deum uidit unquã. Et tamen Iacob Genes. 32. ait: Vidi Dominum facie ad faciem. Est ergo in sacris pugnantia.* INVISIBILIS *est Deus in natura ab omnibus. Nulla certè creatura ex se capax est ut tantum obiectum uideat, nisi lumine gloriæ adiuta, dicente Dauide Psal. 35. In lumine tuo uidebimus lumen: id est, lumen gloriæ creatum consolidabit, & uires dabit animæ, quæ tanto adiuta leuamine uidebit Deum. Quod maxime probat Ioannes 3. cap. 1. epistolæ. Videbimus eum sicuti est. Voluit à Iacob & alijs prophetis & patriarchis uideri, ut placitum illi fuit, siue per figuram, siue scripturam, aut huiusmodi.*

Deus inuisibilis in natura.

DICTIO.

Timotheus. TIMOTHEVS, *penultima correpta, gaudet accentu acuto in antepenultima, siue Græcam rationem sequaris, siue Latinã. Et licet optandum foret, ut hoc esset grauissimum erratum in uita Christianorum, tamen indecorum est nos publicitus in re tam manifestaria perpetuò errare, nec benemerentibus obtemperare. Hic Lystrensis erat, patre Gentili, & matre Iudæa natus, cui Eunice nomen, ob egregias animi dotes etiam iuuenis institutus à Paulo Ephesiorum episcopus.*

Genealogia. GENEALOGIA, *penultima acuta, secundum Græcos, Latinè sermo de generatione, & origine, dicitur.*

Vaniloquium. Mataeologi. Cõtaminatus. VANILOQVIVM, *Græcè Mataeologia, uaniloqui Mataeologi.*

CONTAMINATVS, *pollutus, infectus. Porrò contaminati piaculo aliquo, à sacris arceri solent.*

Plagiarius. PLAGIARIVS *is dicitur, qui aliena mancipia subducit furto, quod genus furti*

furti uocatur Plagium apud Iureconsultos: quemadmodũ qui sacra furantur, Sacrilegi: qui de publico aut principis fisco, Peculatores: qui iumenta aliena abducũt, Abigei: Ita qui liberos aut seruos subducunt, Plagiarij, & Fures manciparij dicuntur.

NAVFRAGAVERVNT, *pro naufragium fecerunt.*

Pro omnibus orandum. CAP. II.

Obsecro] adhortor. OBsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam & tranquillam uitã agamus in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro Deo: qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus: cuius testimonium temporibus suis confirmatum est: in quo positus sum ego prædicator & Apostolus (ueritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide & ueritate. Volo ergo uiros orare in omni loco, leuãtes puras manus sine ira, & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum uerecundia & sobrietate ornantes se: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel ueste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirũ: sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Heua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

Castitate] honestate

Mediator] conciliator.

Redemptionẽ] pretium redemptionis. Prædicator] præco.

Ornato,] modesto.

Promittentes] profitentes.

Dominari] autoritatem usurpare. In præuaricatione fuit. Iuel. transgressa est.

Sobrietate.] castitate.

Orationes pro quib⁹ faciẽdæ.

Mediator. Christus. 1. Timoth. 2. a

Mulierum ornatus.

1. Petri 3. a

1. Corint. 14. f

Genes. 1. d Genes. 3. b

Primum omnium: *Id est, ante omnia, iura diuina quotidie peragenda sunt. Episcopus enim, tanquã cõmunis pater, sancto altari adstat, omnibus prospecturus. Docet hic Paulus episcopũ, quòd moneat suos auditores, nempe hoc, ut orent. Quomodo enim intelligẽt Euangeliũ, aut dilectionẽ consequentur in Deum & in proximum, nisi postulauerint à Deo spiritum bonũ? ut hac admonitione primùm omniũ discant, omnia ex Deo pendere, cùm audiunt omnia à Deo postulãda. Orent autem pro omnibus hominibus, etiam inimicis, id quod uera postulat charitas. Nec excludant ab oratione Reges, & Principes, licet impios, ut sub eis in pace uiuamus. Obsecrationes dicũt supplicationes esse quasdam, quibus, urgentibus malis & tristitiam inferentibus liberari deposcim*

Orare docet Paulus.

Obsecratiões.

Orationes. Postulationes.

Orationi necessaria.

Voluntas Dei duplex.

Liberum arbitrium.

depoſcimus. Orationes uerò, cùm bona nonnulla precando efflagitamus. Poſtulationes deniq;, cùm eos petimus, in uiam ut redeant, qui nos uel criminãtur, uel iniuriam inferunt: has quidam uocant interpellationes. Ad orationem maximè requiritur fides ad promißionem diuinã, & affectus petendi aliquid, ut explicatur Matth. 21. & Luc. 11.

Hoc enim bonum eſt. Vt quieti in ſanctis operibus ſeruiamus. Hoc: id eſt, orare pro omnibus hominibus, eſt bonum: hoc ſuſcipit Deus, hoc iubet.

Qui omnes homines. Solent Theologi docere, Dei quandam uoluntatem beneplaciti, de qua ſcribitur, Omnia quæ uoluit Deus fecit in cœlo & in terra. Itẽ, Voluntati eius nullus poteſt reſiſtere. Sed quòd uideamus, nõ omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, dicũt, Aliam eße Dei uoluntatẽ, quæ eſt ſigni, qua Deus proponit omnibus hominibus præcepta ſalutis, doctrinamq; euangelicã, quam qui nõ recipiunt, damnationem ſibi acquirũt, nolẽtes ſalui fieri, Matth. 23. Quoties (ait Chriſtus) uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ita hoc loco Vult, id eſt, hortatur, præcipit, & oſtẽdit, ut qui uult ſaluus eße, Chriſtum mediatorem amplexetur: Paratus enim eſt pulſantibus aperire, & quærentibus dare. Hìc manifeſtè oſtenditur libertas arbitrij: imò & hoc loco ſoluitur, quod obijci ſolet de obduratiõe Pharaonis, & ſi quæ ſint huius generis quæſtiões.

Vnus enim Deus, unus med. Ne in posterum ea eſſet controuerſia, qualis & inter diſcipulos aliquando fuerat, Num & Gentibus natus eſſet Chriſtus, & an ſolùm Iudæorum eſſet Deus: Teſtatur Chriſtum omnibus redimendis uenisse, & Deum non Iudæorum tantùm, ſed & Gentium eſſe Deum. Nam Deus natura & ſubſtantia unus eſt, licet trinus perſona. Ergo cùm non diuiſus ſit, & notißimum ſit, omnem creaturam habere Deum creatorem: Erit omnium & Iudæorum & Gentium ex æquo cõmunis Deus, & non huius uel illius gentis peculiaris Deus. Ita ad hunc modũ, nõ duo, ſed unus mediator eſt: id eſt, communis omnium mediator eſt IESVS Chriſtus: ne quis ſibi peculiarem faciat. Quaſi uerò Iudæos ſolùm & non Gentes redemerit. Non enim pro una Gente tantùm, ſed pro omnibus. nõ alium, utputa Angelum, aut purũ hominem, ſed ſemetipſum pretium redemptionis & immaculatum Deo obtulit. Ergo neminẽ excludit, niſi qui ſua ingratitudine & perfidia à tanto Chriſti beneficio ſeipſum excludit. Non caret myſterio quod dixerit, homo Chriſtus IESVS. multam Emphaſim præ ſe ferunt hæc uerba, Quaſi dicat, In hoc induit hominem Chriſtus IESVS, ut mediatorem agere poſſet: Vt particeps utriuſq; naturæ & diuinæ offenſæ, & humanæ quæ offenderat, utranq; partem diſſidentem conciliaret. Hoc non poterat peccato abſorptus purus homo. Quare ut præclarè Chryſoſt. Oportebat talem eſſe mediatorem qui cum Deo colloqueretur. Vnde diuino conſilio Verbum caro facta eſt. Vnus ergo Deus & uerus homo Chriſtus, qui diſiuncta coniunxit, & utraq; fecit unum. Hæc omnia faciunt ad ſuperiorum confirmationem, quòd Deus uult omnes homines ſaluos fieri. Et ne quis diffideret de omnium ſalute parta per Chriſtum, quaſi nõ ſe immaculatam hoſtiam pro omnibus patri obtulerit.

Cuius teſtimonium temporibus ſuis: Id eſt, ut hoc myſterium redemptionis Chriſti, qua redimuntur omnes homines (id eſt, nõ ſolùm Iudæi, ſed & Gẽtes) reuelaretur mundo, tempore à Deo ordinato. Sicut de hoc myſterio reuelando in epiſtola ad Epheſ. 1. cap. & alibi ſcribit, & hìc infrà cap. 3. Ad quod myſterium reuelandum dicit Paulus, ſe doctorem miſſum à Deo gentibus. Doctorem inquàm in fide, non ſyllogiſmis, aut argutijs. Et ueritate: id eſt, non hypocriſi, aut ſimulatione. Quidam uolens

uolens explicatius hunc locum pronuntiare, ait: Teſtimonium autem appoſitiuè additum eſt, Quòd ſeipſum dedit redemptionem, teſtimonium erat promißionis propheticæ, & confirmatio diuinæ charitatis erga genus humanum. Magis mihi arridet prior interpretatio.

Leuantes puras manus. In ſacris enim oportet omnia eſſe pura. Cæterùm hìc puras nõ ſentit lotas, more Iudæorum: ſed puras à rapinis, libidine, pugnis, & ſanguine: ſed ſint ad eleemoſynam impartiendam effuſiores. Manus puræ.

Sine ira & diſceptatione. Duo ſunt quæ impediunt exauditionem. Primum ira, id eſt, profana iniuriarum memoria: quòd non dimittis proximo in te peccãti. Hanc conditionem in Euangelio ſemper uides adiectam. Alterum Diſceptatio, qua diſceptas tecum, & dubitas, num ſis exaudiendus: Mar. 11. Credite, & accipietis. Hoc idem explicat Iacobus 1. cap. Et Paulus Hebr. 11.

Mulieres in habitu ornato. Vult Paulus, mulieres nõ nimis compto habitu ornari, & uelato capite precari, nec ullas corporis partes impudẽter retegere. Accedũt enim ad ædem ſacrã nõ tripudiãdi, ſed orandi gratia. Habitũ hunc, quo tegi debẽt mulieres orãtes, Græci κατακαλύμμα dicunt, id eſt ſtolã quandam, & amictum, qui undequaq; hominẽ contegat. Non abs re hæc docet Paulus. Cùm enim uxor uirũ cõpulerit ut gemmas, & margaritas, & aurea ornamenta ſuppeditet, & uir uiderit rem nimis anguſtam domi eſſe, ut uxori querulãti faciat ſatis, auidius rapiet. Erit ergo uxor furto obnoxia. Mulierum ornatus qualis eſſe debet. Catastole.

Mulier in ſilentio diſcat. Non loquatur mulier, ubi docendi gratia conuenitur, ubi audiendum eſt uerbum Dei. Nam uiris permittitur loqui cum doctore: imò ſi fuerit aßidenti reuelatum, qui prius docebat, taceat, 1. Corinth. 14. Mulieres uerò in eccleſia taceant, ut ibidem dicitur: ne ſibi autoritatem uendicent in uiros, contra legem Dei, quæ dixit in Geneſi, Sub uiri poteſtate eris. Horum rationem ſubdit Paulus: Quia præſtat uir mulieri, tum ordine creationis, ſeu formationis, tum uigore rationis. Sicut mulier poſt uirum condita, ita & iure ſubdita. Heua decepta eſt, non Adam. Dixit enim mulier, Serpens decepit me. Adam uerò non dixit, Mulier decepit: ſed, Mulier, quã dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Vir fidẽ uxori adhibuit. Et quia ſemel mulier uirum docuit, & cuncta peruertit, ideo nequaquam hæc habeat, uelim (ait Paulus) docendi de cætero poteſtatem. Origo mali & peccati ab Heua fuit. Audi Tertullianum ad mulierem loquentem, libro de habitu muliebri. Tu (inquit) es Diaboli ianua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es diuinæ legis prima deſertrix, tu es quæ eum ſuaſiſti, quem Diabolus aggredi non ualuit, tu imaginem Dei hominem tam facilè eliſiſti, propter tuum meritum, id eſt, mortem etiam filius Dei mori habuit. Hæc ille. Sileant mulieres. Vir mulieri præſtat. Quare mulieribus negatur docendi facultas.

Saluabitur autem. Si manſerint: in Græcis eſt etiam uerbum plurale: quod ab aliquibus in ueteri translatione non ineptè legitur in ſingulari, uitato Hebraiſmo: Hebraiſmus enim eſt, Si manſerint, ſcilicet mulieres, de quibus ſuprà dixit, Similiter autẽ & mulieres in habitu ornato, &c. Hebræos ſubitò mutare numerum & perſonas, ex Prophetis notum eſt. Nam qui intelligunt, Si permanſerint, ſcilicet filij: aut, ſi uir & mulier permanſerint: non uident, quàm hoc non conueniat, quaſi mulier non poßit ſalua fieri, niſi & filij ſaluentur. Igitur, ſi permanſerint, inquit, mulieres in fide, & dilectione, & ſanctificatione, adiuncta ſobrietate, ſeu caſtitate, id eſt morũ integritate, quæ etiam decent coram hominibus. Aduerte uerò & mulieres prophetare, ſi habent uerbum, ubi uiri non ſunt, qui uerbum habeant. 1. Corinth. 11. Mulier orans, aut prophetans, &c. Et Iohelis 2. cap. Et prophetabunt filij ueſtri, & filiæ ueſtræ. Act. 21. Erant Philip Mulieres prophetantes.

Philippo quatuor filiæ uirgines prophetantes. Et uirgo Maria cecinit, Magnificat anima mea Dominum. Et de Anna prophetissa apud Lucam.

CONCILIATIO.

QVOMODO *hæc sententia, Qui uult omnes homines saluos, &c. conuenit cum eo quod* Rom. 9. *dicitur, Cuius uult miseretur, & quẽ uult indurat.* RESPONDEO, *quòd unus locus in scripturis obscurus, non est omnibus alijs claris obijciendus. Tamen dicendum, Cuius uult miseretur, &c. Omnia Deus pro uoluntate, & secundum suũ beneplacitum agit. O homo quis es, ut respondeas Deo? Nõ igitur quæras, Quare hunc indurat, & illius miseretur. Vult autem omnes homines saluos fieri: id est, consulit, iubet, hortatur, ut omnes salui fiant. Qui uerò non crediderint, condemnabuntur.*

PVGNANT *hi loci, Volo autem uiros in omni loco orare. Et* Matth. 6. *Cùm oraueris intra in cubiculum tuum.* NON *uetuit Christus* Matth. 6. *in omni loco orare: sed admonuit, ne ad ostentationem orarent. Sicut & alibi, dicens, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera. Non uetat ubiubi eleemosynam largiendam, sed in ea exercenda uetat uanam gloriam ad ostentationem.*

QVID *hîc Paulus ait, Docere mulieri non permitto. Cùm ad Titum secundo capite, docendi potestatem tribuat fœminis, dicens: Bene docentes, ut prudentiam doceãt.* DOCENDI *facultas in ecclesia non permittitur mulieribus, non doceant uiros: doceant autem gestum, & incessum honestum, filias suas, siue in ecclesia, siue domi. Sed in ecclesia taceant: Domi autem interrogent uiros, & domesticam familiam doceant.*

Episcopi & Diaconi quales esse debeant. CAP. III.

Tit. 1. b

Qualis episcopus.

FIdelis sermo. Si quis episcopatum desyderat, bonũ opus desyderat. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris uirum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem: non uinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum; ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt: ut nõ in opprobrium incidat, & in laqueum

Diaconi. diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, nõ multo uino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in cõscientia pura: & hi autem probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen

Mulieres. habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris uiri: qui filijs suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent,

Fidelis] Indubitatus. Bonum] Honestum.

Ornatũ.] Compositũ, siue bene moratum. Doctorẽ] Docibilem: uel appositum ad docendum.

Non cupidũ.] Ab argenti cupiditate alienũ: sed æquũ, alienum à pugnis, alienũ ab auaritia.

Castitate.] Reuerentia.

Nullum crimẽ habentes.] Sic ut nemo possit illos criminari.

Pudicas.] Vel, modestas.

rent, & multã fiduciã in fide, quę est in Christo IESV. Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans me ad te uenire citò: si autem tardauero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei uiui, co- Domus Dei.

Firmamẽtum] Stabilimentũ. Manifestè] Citracõtrouersiã. Sacramẽtum] Mysterium. Quod manifestatũ est] Deus manifestatus est.

lumna & firmamentum ueritatis. Et manifestè magnũ est pietatis sacramẽtum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Fidelis sermo. *Chrysostomus, & eius abbreuiator, referunt ad superiora, quæ Paulus uoluerit indubitata esse, quòd dixerit, mulierem saluari gignendis, & rectè instituendis liberis. Aut si mauis ad sequens referre, significat dicendorũ ueritatẽ, quæ Paulus non sua, sed Domini præcipuè sententia in episcopis & diaconis expetit.*

Si quis episcopatum. *Episcope, uisitatio, intendentia, obseruatio episcopi in suos dicitur. Sicut Episcopus explorator, superintẽdens, obseruator, & custos, ut pastor gregis. Non ait, Si quis dignitatem, gradũ, honores, aut prouẽtus: sed, si quis ipsum episcopatum, id est, ipsam superintendentiam desyderat, seu expetit, reuera desyderat opus: Cùm superintendere sit opus non qualecunq;, sed opus bonum, & præclarũ ex suo genere. Desyderare gradum, honores, & prouentus, non uidetur esse opus.* Episcope. Episcopus. Desyderare opus.

Vnius uxoris uirum. *Non exigit Paulus ab Episcopo quòd fuerit, aut sit coniugatus, qui* 1. Corinth. 7. *consulit meliorem esse cœlibatum. Sed exigit, quòd si contingeret quempiam habere uxorem, & ordinari, non sit ille plurium, sed unius uxoris. Hoc dixit, Quia multi eo tempore plures uxores habebant, imitantes, ut asserebant, patres ueteris testamenti. Aut si mauis, non diuiserit carnem pluribus uxoribus. Tunc enim iure arcetur ab illa sacra ordinatione, non solùm propter incontinentiam, sed etiam propter repræsentationem sacramenti, ait Thomas, quia sponsus est ecclesiæ Christus, & una est ecclesia.* Episcopus unius uxoris uir, intelligi debet.

Irreprehensibilem. *Hoc est, uita eius sit tam inculpata, ut de qua nemo iure queri possit, aut quæ nullo iure reprehendi & culpari possit.*

Sobrium. *Id est, rebus suis attentum, & nullis huius seculi curis addictum; perspicacem & meditabundum, ait Theophylactus. Oportet enim mentem Episcopi malis & impudicis cogitationibus nõ esse ebriã, sed Euãgelica meditatione plenã & sobriã.*

Prudentem. *Episcopi proprium est sapere & matura prudentia rebus consulere quibuslibet.*

Ornatum. *Id est, modestum, seu bene compositum, grauem honestũ, bene moratum: Hoc est, neq; uerbo, neq; habitu aliquo corporis, neq; cultu quempiam offendat.*

Pudicum. *Nihil quod aduersus castitatem castimoniam'ue militat, operetur.*

Hospitalem. *Liberalis sit, & humanus erga peregrinos: eò enim à maioribus ampliſsimas opes receperunt Episcopi: Sed auaritia impiorum factum est, ut nõ solùm nullam in pauperes exerceant liberalem hospitalitatem, sed etiam illis opibus nũc non ut Episcopi & dispensatores præsideant, sed ut duces imperitent, & diuitijs ad luxũ, in detrimentum Ecclesiæ pro animi sententia abutantur.*

Doctorem. *Non exigit Paulus ab Episcopo Lauream, sed saltem scientiam,*

quæ

Universidad de Deusto Biblioteca

quæ sit satis ad docendum subditos. Id est is sit qui suos docere possit.

Non uinolentum. Id est, non uino obnoxium, hoc est, nihil quod dementet & auertat sensum accipiat: non mero madeat. Non uini usum, sed abusum damnat. Leuitis præcipiebat Dominus, abstinerent ab omni potu inebriante, cùm ingressuri essent in Sanctum, ut essent sana mente & integris sensibus.

Percussor. **Non percussorem.** Hieronymus aduersus Pelagium legit ἀμαχόν, id est, alienum à pugna, aut absq; iurgio. Et illud, Nõ percussorẽ: non pertinet ad uiolentiã manuum, sed acerbitatẽ linguæ: ne sæuus, & improbus sit obiurgator, ut adnotauit Hieronymus. Quid enim magni sit, si Episcopus tẽperet manibus? Ad idẽ est Chrysostomus.

Sed modestum. Is sit, cuius modestia omnibus nota sit. Non proprio nitatur sensui, sed in omnibus rebus, alijs se accommodet, quantum cum Deo licet.

Non litigiosum. Oportet episcopum ab omni contentione & sæuitia alienũ esse, ne quod in aliquos animaduertit, id odio, & non amore, agere uideatur.

Non cupidum. Tametsi liberalem & hospitalem esse oporteat Episcopum, nullum tamen sectabitur lucrum inhonestũ illius hospitalitatis pretextu. Damnatur lucrum indecorum & iniustum.

Filios habentem subditos. Si ex uxore, ante susceptum episcopatum acceptã, liberos habuerit, hos morigeros, & omni uirtute præditos reddat: ut uel hoc exẽplo, quo suæ familiæ grauiter & reuerenter præest, ostendat, quàm aptus sit ad regẽdam ecclesiam, cui est præfectus. Ambrosius hoc loco obseruat Paulum cùm ait, Habentem filios: non autem dicit, Facientem.

Neophytus. **Non neophytum.** Non nuper ad fidem instructum, & recens baptizatum, & Christo insitum. Difficile est boni præceptoris fungatur officio, qui se non agnouit aliquando discipulũ. Qui discipulus esse non didicit, facilè elatus, & superbus in nouo honore, incidit in diaboli laqueum, & damnationem: sed oportet ab omni fastu tumoreq; procul abesse, & famam oportet habere non obnoxiam probris, aut calumnijs. Addit, ab ijs qui foris sunt. Per quos intelligit Ethnicos à Christiana religione alienos. Oportet episcopum tam claris moribus & uita conspicuum esse, ut ne Ethnici quidem habeant quod iure obijciant flagitiũ. Aelius Lampridius in uita Alexandri Seueri scribit Christianos, si quando sacerdotes ordinare uoluissent, prius ipsorum proposuisse nomina palàm, hortatosq; populum, ut si quis quid haberet criminis & probaret manifestis rebus. Hoc ad id utile erat, quod Ethnici de Christiana religione non malè sentientes, ab impietate sua facilius reuocabantur.

Episcopi presbyteris & sacerdotibus sola consecrationis ceremonia superiores. Diaconi.

Diaconos similiter. Chrysostomus quærit: Cur hîc Sacerdotes, seu presbyteros præterit? Quia quæ de Episcopis dicta sunt, Sacerdotibus competunt: his nanq; iunctum est, ut ecclesijs præsint, & alios instruant: Et sola sunt illis consecrationis ceremonia, & ordinatione inferiores. Diaconos eadem animi diuitias habere hortatur, ne sint bilingues, hoc est, ne aliter sentiant, atq; loquantur: ne bibaces sint, & auaritiæ nil studeant: habeant mysterium fidei in conscientia bona, sentiant, & in se planè habeant, quæ Christi sunt, ad salutem nostram, & eadem opere manifestent. Hoc est, non audeant aliud dicere, aut facere, quàm quod secundum fidem cognoscunt, & sentiunt. Istud est quod dicit, In conscientia pura. Hoc uerò ita exerceant, ut nulli dent occasionem, qua in ius uocentur. Id est quod dicit, Nullum crimen habentes: hoc est, incriminabiles. Diaconi sunt Episcoporum ministri, & ueluti membra, adeoq; & seges Episcoporum. Diaconorum duplicem reperimus fuisse functionẽ. Nam, ut est in Act. 7. cap. curam

Conscientia pura.

curã pauperum gerentes ærario ecclesiastico præfecti erant. Altera erat, qua sacrificanti assidebant seruientes, & quæ ad sacra facerent ministrantes. Temporibus prophetarum receptum erat alere aduleſcẽtes ad ministeria sacra, ut notum est ex Samuelis historia. Legimus Scholas cùm Iericho, cui præerat Heliſæus, tum in Ramoth Galaad, fuisse. Harum discipuli, & Nazaræi & Prophetarum filij appellabantur.

Mulieres similiter pudicas. Sermonis tenor declarat, Paulũ loqui de uxoribus Episcoporum, & Diaconorum. Si quidem Paulus non hîc instituit uniuersum populum, sed Episcopum cum sua familia, & cliẽtela, quam uult totam esse illibatam. Nec admodum huic repugnat sententiæ Chrysostomus, interpretatus hunc locum de mulieribus, quarum ministerio utebatur ecclesia. Poterant enim hæ Diaconorum & episcoporum uxores esse. Certè de uiduis, quas ecclesia susceperat, pòst suo loco præcipit. Sint pudicæ, id est, modestæ, non leues & ineptæ, sed matronali pudore graues. Nemini detrahãt, non sint calumnioſæ & garrulæ, per alienas domos perreptantes, & alienis facilè seipsas immiscẽtes causis, unde nascatur obtrectandi calumniãdiq; negotium. Sed sint sobriæ. Hæc non tam ad sobrietatem animi & temperantiam, quàm ad diligentiam & prudentiam referuntur: id est, rei familiari diligenter prospiciant. Et fideles in omnibus. Hæc dicens Paulus respicit ad fidem coniugalem, & ad fidelem facultatum dispensationem, ne sint adulteræ, impuræ, furaces, & inconstantes. Quare multum refert quam quisq; accepturus est uxorem: quum in uniuersa uiri uita hæc momentum non leue habeat. Viri enim existimatio ex illius improbitate periclitatur. Et eadem augescit ex studijs & moribus eius sanctis.

Qui enim bene ministrauerint. Qui accepto dono spiritus, ut possint esse ministri electi sanctorum, bene usi fuerint, ad utilitatem ecclesiæ siue indigentium, gradum bonum sibi acquirunt, id est profectum, & ex dono Dei augentis & ditantis proficiunt, & altius ascendunt in dono, ut in dies magis ac magis quàm ante prodesse possint. Et cùm suam uigilantiam, diligentiamq; monstrauerint, fulgebunt in ecclesia, quum à diaconatus gradu ad sacerdotium, à sacerdotio deinceps fuerint ad episcopatum prouecti.

Multam fiduciam in fide. Plurimum fiduciæ acquirent ut maiorẽ sibi gloriam pariant. Nec hoc fiet in mundanis his dignitatibus, aut pecunijs: sed in fide: hoc est, in cunctis, quæ secundum fidem sunt, operibus, & sermone.

Quæ est ecclesia Dei uiui. Ecclesiam Dei, uocat domum Dei, quòd uniuersa ecclesia, domus una est, unum habens patremfamiliãs. Omniũ Christianorum communio spiritualis mutua est, quemadmodum eorum qui sunt unius domus & familiæ.

Columna & firmamentum. Hæc est inter legem & ecclesiam discrepantia, quòd illa figuras, & umbras complectebatur: hæc ueritatem. Omnia quæ in ecclesia sunt, certiora, seu apertiora, & stabilia sunt: nihilq; in ea fucatum, uel quod umbram præ se ferat. Cuiusmodi sunt ea, quæ sunt legis Mosaicæ. In hac põtifex maximus præsidet Dei filius IESVS Christus, cuius diuinum corpus summum est sacrificium. Est igitur columna, & firmamentum inexpugnabile, ob certitudinem dogmatum inuiolabilem, & præsidem eius Spiritum sanctum, cuius numine omnia reguntur. Est ergo ad hanc, tanquàm ad anchoram recurrendum, si quid de doctrina periclitatur, & de re Christiana inter nos controuertatur.

Ecclesia columna & firmamẽtum ueritatis.

Magnum est pietatis sacramentum. Filium Dei esse incarnatum manifestum est: sed modus incarnationis non omnibus est cognitus: & hoc est mysterium

Iesu Christi manifestatio & incarnatio mysteriũ grande est.

& arcanum, hoc est quod Deus manifestatus est in carne assumpta, Ioan. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & uidimus gloriam eius &c. Iustificatus est in spiritu, & hoc secundum humanitatem, quam certum est non à seipsa sola fuisse iustam, sed à Deo, qui solus iustificat. Ideo ei qui Deus est, tribuit iustificationẽ, quia Deus & homo unus est Christus. Sicut filius Dei dicitur mortuus pro peccatis nostris, & tamen non est passus secundum diuinitatem, sed humanitatem. Propter illam ineffabilem unionẽ, qua unita est diuinitas humanitati, sunt hæ ueræ & catholicæ propositiones, Deus est homo, Deus est mortuus, Deus passus est pro nobis. Non absre à Propheta dictum est, Requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapiẽtiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & ueritatis, spiritus timoris Domini. Et de plenitudine eius accepimus omnes, Ioã. 1. Distributio hæc ualde accommoda, manifestatio est in carne, iustificatio autem in spiritu. In carne miraculis proditur & manifestatur, in spiritu autem iustificans, non nisi fide creditur. Siquidem in Christum hominem Deus ita iustitiam infudit, ut ipse esset nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio. De his 1. Corinth. 1. Psal. 44. Et Ioan. 10. Quidam interpretatur, quòd operatione spiritus sancti apparuit iustificatus & innocens, etiam ijs, qui falsò accusarunt eum, & crucifixerunt: ita ut aperto ore in hæc uerba proruperint: Verè filius Dei erat iste. Et Roma. 1. Qui prædestinatus (id est, declaratus) est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis. Hoc autẽ mysterium reuelatum est uniuersæ creaturæ: nam & angeli desiderant prospicere, quæ per Christum habemus, 1. Petri 1. Et prædicatum est Gentibus, cùm soli Iudæi sibi uiderentur ad Messiam pertinere, & ad mysteriũ regni cœlorum, ut ostensum est Ephes. 2. & 3. Creditum autem est in toto mundo: alioqui quid profuisset prædicatum esse? Præterea assumptum est in gloria, ut omnes glorificent filium, sicut glorificant patrem, ut in nomine IESV *omne genu flectatur, cœlestium, &c. Et omnis lingua confiteatur, quia Christus est in gloria Dei patris.*

Errores Antichristi prædicit. CAP. IIII.

De ultimis temporibus. 2. Timoth. 3. 2. 2. Petri 3. a. Iudæ 1. f

SPiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem: Quòd omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi IESV, enutritus uerbis fidei, & bonæ doctrinę, quam assecutus es. Ineptas autẽ & aniles fabulas deuita: exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ, quæ nunc est, & futuræ. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. In hoc

Manifestè] citra controuersiam, certò

Spiritibus erroris,] impostoribus.

Nubere,] matrimonium cõtrahere,

Fabulæ. 1. Timoth. 3. b Titum 3. c

Hæc proponẽs fratribus,] de his si commoneceris fratres.

Deuita:] reijce:

Fidelis] indubitatus

hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum uiuum, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum uenio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Hæc meditare. in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende enim tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluũ facies, & eos qui te audiunt.

Adolescentiã] iuuentutem.

Dum uenio;] donec uenero,

Presbyterij.] uel autoritate sacerdotij.

Presbyteri quales esse debeãt.

Manifestè dicit. *Propheta Paulus Timotheo de ijs erroribus, qui futuri erant, circa ciborum abstinẽtias, & nuptiarum: quasi hæc per se mala essent. Qui error postmodum apparuit tempore Eucratitarum, & eorum quos appellarunt Cataphrygas. Expediebat certè Asiaticos prophetia præmuniri, quia error apud eos plurimum inserpsit. Ait ergo: Spiritus (supple, sanctus) dicit manifestè: id est, præscriptè, siue præcisè, & certò non obscure, & inuolutè, quemadmodum loqui solet in prophetis. Quia in nouissimis, id est, posterioribus, uel sequentibus diebus.*

Discedent quidam à fide. *Vide quàm malorũ omniũ sit causa recessus à fide.*

Attendentes spiritibus erroris. *Id est, spiritibus seductoribus, siue deceptoribus, ut legunt Hilarius lib. de trinitate 10. & Augustinus aduersus Faustũ lib. 15. cap. 10. Arguit hìc Paulus omnes hæreses, quæ per dæmonum fallacias obrepsere, & doctrinam. Quomodo hæc contigerunt, hic Paulus explicat paucis. Sed diffusius de his tractat Epiphanius.*

In hypocrisi loquentium. *Quæ mentiuntur non per ignorantiam, neque inscij, sed simulando loquuntur. apud simplices enim uenditabũt se, persona sanctimoniæ.*

Et cauteriatam: *Id est, quibus conscientia cauterio notata est. Nam ferro candenti notabantur malefici, stigmatis impressis cuti. At isti non corpus, sed animum habent stigmaticum, ob uitæ dedecora, quorum ipsi sibi conscij sunt.*

Prohibentium nubere. *Hæreticos prohibentes nuptias tanquam malas præuidebat Paulus: & qui iubercnt abstinendum ab escis tanquam communibus, & immundis ex seipsis. Ex Ambrosio & alijs Doctoribus uidetur mihi sic ordinandus textus, Prohibentium nubere, & iubentium abstinere, &c. Ita ut subaudias, iubentium abstinere à cibis, tanquam communibus, & immundis. utrunq; hoc præceptum est Manichæorum, & Tacianorum, quos Eucratitas appellant. Lege Augustinum ad Quodvult deum.*

Sanctificatur enim. *Si quid immundum duxeris, medicamentum in promptu est, ait Chrysostomus: Signum crucis illi imprime, gratias age, deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscesit. Aut sanctificatur per uerbum Dei, quo credimus, nihil amplius commune, & immundum dici. Et per orationem, qua talia oramus nobis dari, & pro datis gratias agimus.*

Enutritus. *Potest & actiuè legi, educans illos uerbo fidei. Nam Græcum par-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ticipium huic respõdens, est medium præsentis temporis. Aut, Enutritus: hoc est, à puero in sacris literis uersatus.

Assecutus es. Græca scholia sic hunc locum exponunt, Cuius es alumnus: hoc est, in qua es educatus, & ab adolescentia uersatus. Chrysostomus & eius abbreuiator huic subscribunt expositioni.

Exerce teipsum. Hoc est, ad fidem puram, & rectam uitam, exercitatione nobis opus est spiritali, quæ lætissimos fructus in futuro seculo reddit, & hîc, atque illhic recreat. Quidam aiunt, Paulum per corporalem exercitationem intelligere ieiunium: sed spiritualis, non corporalis dici debet exercitatio, autore Chrysostomo. Corporalis exercitatio.

Laboramus. Molestijs afficimur.

Præcipe hæc, & doce. Cùm nihil ignari, sed prudentes & socij in prauum aliquod facinus labimur, præcepto egemus. Cùm uerò ignoranter delinquimus, disciplina est opus.

Nemo adolescentiam tuam. Cùm Timotheus teneræ admodum esset adolescentiæ, iuxta communem quandam præsumptam opinionem timebatur ne cõemptibilis sua adolescentia redderetur. Quare Paulus hanc obiectiunculam præoccupat dicens, Nemo adolescentiam tuam contemnat. Ac si diceret, Non eò spectent homines, quot annos natus es, aut uixeris, sed quod munus geras. Tametsi iuuenis & adolescens sis iuxta annos, tu tamen fide integra, & pietate, & morum grauitate, senilem præ te fer ætatem. Quare nihil uereare in re tanta, & tanto tuo ministerio, ne senum improbitati diuersa docentium cedas. Viue ergo, & ita cum omnibus uersare, ut nemo iuuentutem tuam possit despicere. Hoc est quod subiungit Paulus: Sed exemplum esto fidelium, in uerbo, &c. Ex his colligimus hominum ingenia non à uetustate, ut uina, esse æstimãda, sed ab ipsa probitate, eruditione, & morũ grauitate. Iuuenes etiam prophetico fungentes munere fuerunt Daniel, Dauid, Samuel, Hieremias, & alij in uetere testamento uiri egregij. Et in sacris legimus non semel, senes imprudentes & impudicos. Non negamus tamen, uitæ usu multaq; rerum experiẽtia parari prudentiam, unde etiam agnoscimus sanctam & uenerandam senectutem esse colendam.

Dum uenio attende lectioni. Si Timotheo iniungit, ut sacris literis uacet: quid nobis erit agendum? Quinetiam & Paulus ipse ad finem usque diuinis scriptis intenderat, ut alios posset instruere. Ait ergo: Quoad ipse ad te proficiscar, scripturas perlege, è quibus intelliges, quemadmodum alios commonefacies: ipse uerò & reliqua suppeditabo, cùm uenero. Nullam hîc agriculturæ mentionem Paulus facit, neq; episcopos manuarijs sellularijsq; artibus aut opificijs affigit. Quò magis miror quæ agat illos dementia hodie, qui malunt cõmendari se ab inoculatione, re hortensi, malleo, dolabra, lima, equorum, canum ue præfectura, aut uenatione, quàm ab assiduo sacrarum & honestarum literarum studio. Hos per Deum rogo & obtestor, ut nonnihil etiam apud eos Paulina ualeat autoritas, audiant præcipiẽtem, attende lectioni, id est, totum te sacris literis consecra, non autem uenationi & aulicæ seruituti. Succisiuas ac secũdarias horas honesto exercitio, iustas uerò sacrarum literarũ studio eloca. Intelligo Paulum exercuisse opificium manuarium, quo uictui necessaria pararet, non obmisso tamen suæ functionis Apostolicæ munere. Eò nõ te cogit necessitas, manibus labores: abundas & locuplete censu donatus es. attende ergo lectioni sacræ: qua, exhortatione & doctrina apud commissum tibi gregem plurimum ualeas.

Impositio manuum.

Cum impositione manuum. Non de Presbyteris hoc loco (ait Chrysostomus)

mus) sed de Episcopis loquitur: neque enim presbyteri ipsum Timotheum ordinarant.

Presbyterij: Id est, officij presbyteratus, iuxta antiquorum textuũ lectionem, quæ cum Græcis etiam consona est. Et ita legit Ambrosius. Ait Paulus: habes, ô Timothee, non solùm prophetiæ donum, uerùm etiam efficaciam, imposita manu, dandi spiritum & alijs: idq; ex officio presbyterij tui, nimirum episcopus. Aduerte. Impositio manuum Hebræis fuit admodum familiaris, ubi aliquid commendabatur, uel offerebatur Deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioseph, Genes. 48. Sic manus super caput hostiæ immolandæ ponebatur, Leuit. 1. Sic Christus imposuit manus super paruulos. Et de credentibus ait, Marci ultimo: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Religiosè & sanctè hîc Paulus, Apostoli, & eorum successores Episcopi, ordinandis presbyteris manus imponunt. Quod signum externum inuisibilem gratiã cum potestate presbyterij significat esse ordinato collatam.

Meditare. Hæc exerce, & in his persiste. Est enim Meditari, tam animo quàm corpore adeoq; totis uiribus in rem aliquam perficiendam incumbere.

DICTIO.

CAVTERIATVS *is dicitur, cui conscientia cauterio notata est. Cauterium autore Cælio lect. antiq. lib. 5. cap. 31. instrumentum est, quo putridæ carnes aduruntur & ulcera.* Cauteriatus.

ANILES *fabulæ sunt meræ nugæ, Siculæ gerræ, quas diuus Hieronymus uocat Hiberas nugas: hoc est, portentosas nænias, quòd apud Hiberos magica miracula narrarentur, ut apud Thessalos: hinc Thessala mulier.* Fabulæ aniles.

PRESBYTER, *Latinè senior dicitur.* Presbyter.

Quisque pro decore tractandus ab episcopo. CAPVT V.

Increpaueris.] sæuius obiurges, Obsecra] adhortare

SEniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem: iuuenes, ut fratres: Anus, ut matres: iuuenculas, ut sorores in omni castitate. Viduas honora, quæ uerè Viduæ. **uiduæ sunt. Si qua autem uidua filios, aut nepotes habet: discant primùm domum suam regere, & mutuam uicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem uerè uidua est, & desolata, speret in Deo, & instet obsecrationibus, & orationibus die & nocte. Nam quę in delicijs est, uiuens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem**

Regere,] piè tractare,

Quis] qua

suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Vidua deligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationẽ patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem uiduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nube-

Omne opus bonum subsec.] in omni opere bono fuit assidua

Deuita.] reijce, refuta.

Luxuriatæ fuerint in] lasciuire cœperint ad uersus Christum.

re uolunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solùm otiosæ, sed & uerbosæ, & curiosæ, loquentes quę non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse: nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quædam cõuersæ sunt retrò post satanam. Si quis fidelis habet uiduas, subministret illis, ut non grauetur ecclesia, ut ijs, quæ uerè uiduæ sunt, sufficiat. Qui benè prę sunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in uerbo, & doctrina. Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et, Dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Peccantes, coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeãt. Testor coram Deo, & Christo IESV & electis angelis, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens, in alteram partem declinando. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi. Noli adhuc aquã bibere: sed modico uino utere, propter stomachũ tuum, & frequentes tuas infirmitates. Quorundã hominum peccata manifesta sunt, præcedẽtia ad iudiciũ: quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona, manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

Deut. 25.a
1. Corinth. 9.a
Matth. 10.b
Luce 10.b

Verbosæ.] linguaces, nugaces, inepte loquaces,
Matresfamilias esse:] domũ administrare:
Maledicti gratia. Ut habeant maledicẽdi causam.
Conuersæ sunt retr.] deflexerunt secutæ
Præiudicio.] præcipitatione iudicij,
In alteram partem declinando.] Vel. iuxta propensionem animi.
Castũ.] Purum
Adhuc.] Posthac

Senior.

Seniorem. *Senior, hìc ad ætatem refertur, propterea quòd sequitur, Iuniores. Et comparatiua posita loco positiuorum puto. Hoc primo uerbo desiderat Paulus episcopi obiurgationem ab omni tyrannidis specie alienissimam esse, sed lenem & mitẽ, quæ tamen ad mollitiem & sceleris impunitatem non deflectat. Mauult reuera hominis ingenium dũci quàm cogi. Si episcopus agit siue cum senioribus, siue cum iunioribus, siue cum puellis, nihil impurum habeat sermo eius, nihil uel sæuitiæ, uel cõtumaciæ, uel auaritiæ, uel odij habeat. Obsecra, id est, exhortare, (ut legit Ambrosius) propter honorificentiam ætatis, maiorem natu cum mansuetudine ad bonum opus, ut facilius suscipiat admonitionem.*

In omni castitate. *Non solùm scelus ipsum concubitus omnino fugiendum, sed etiam omnis alia suspicionis causa deuitanda. Hæc non Timotheum monẽdi gratia scribit, quippe quem sciret castissimum: sed nostri qui posteri sumus, ut & ipsi suspecta omnia caueamus.*

Viduis subueniendum. Honorandi uerbum.

Viduas honora: *Id est, commiserere, & necessaria illis suppedita. Honorandi uerbum iuxta morem Hebræorum, subsidij significationem habet. Locus hic est de uiduis, quas omni auxilio destitutas suscipiebat ecclesia alendas, quibus prouidebant Diaconi ex bonis ab ecclesia in pauperes collatis.*

Quæ

Quæ uerè uiduæ sunt. *Id est orbatæ, desolatæ, & uiri, uirium necessariorũ & liberorum solatio destitutæ. Latinis uidua dicitur à uiduando, id est, orbando. hinc uiduitas pro desolatione & solitudine.*

Verè uidua.

Quæ autem uerè uidua est. *Eam uerè uiduam esse asserit, quæ desolata speratur castè uictura, & neminem habeat qui sibi prospiciat, non nepotem, nõ filium, sed omnis spes eius in Deo sit affirmata. Hæc est illa magna consolatio, utpote quæ Deũ habeant omnium loco. Huiusmodi erant, quæ ex paganismo ad Christianismũ transibant, quarum omnia plerũq; bona proscribebantur. Hæ poterant nubere. Sed ut meliores essent & dignæ Deo, secundas nuptias respuerunt, æmulæ sanctissimæ Annæ, quæ ieiunijs & obsecrationibus die & nocte Deo seruiebat.*

Viuens mortuus.

Nam quæ in delicijs est. *Augustinus lib. quæst. in Deuteron. quæst. 43. refert ad hunc modum hanc sententiam: Quæ uerò in delicijs est, uiuens mortua est. Græci ita distinguunt, ut duo contraria cõiungant, Viuens mortua est: quasi dicas, Viuens nõ uiuit. Hilarius in Psalmũ 67. Apostolus (inquit) scit quasdam mortuas uiuere: id est, dum uiuunt iam esse mortuas. Carne uiuens uidua, mortua est spiritu. Neq; existimandi sunt uiuere qui carni non Deo uiuunt, cum extra pietatem non sit uita. Delicijs ergo ducta uidua mortua est.*

Si quis autem suorum. *Hunc locum Ambrosius & Theophylactus interpretantur de uidua, quæ uiuens in delicijs nullius curam habet, nisi suijpsius.*

Si omne opus bonum. *In omni opere bono sint assiduæ*

Luxuriatæ fuerint. *Lasciuire cœperint aduersus Christum.*

Habentes damnationem. *Christum sponsum offendunt, cùm inanem reddunt conuentionem, quam cum Christo pepigerant. Fidem enim & Christo sponso & ecclesiæ dederunt semel, & sese sua sponte abdicarunt connubio. Seruent ergo promissum, & fide stent: ne suam, quam professæ sunt, religionem soluant.*

Matresfamiliâs esse: *Id est, domum & familiam administrare.*

Presbyter episcopus.

Qui benè præsunt. *Presbyteri, hìc episcopi, & parochi, seu pastoris spiritualis uocabulum est, non ætatis. Quales hi sunt, qui bene præsunt, Dominus docet, inquiẽs Ioan. 10. Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus, uidelicet nemini parcẽs ut oues curet.*

Honor pro uictu.

Honorem autem dicit, quæ in uitæ alimoniam conferuntur. Oportet enim abundent, qui alios instruunt, ijs rebus quæ hominum uitæ sunt necessariæ: ne horum cura distracti, prædicandi munus omittant. Sic enim & olim Leuitæ degebant. Duplici, pro abundanti positum est.

Doctoris labor magnus.

Dicit enim scriptura. *Subnectit testimonia, alterum ueteris testamenti, alterum legis Euangelicæ. Aduerte autem, quemadmodum unusquisq; cogitur insudare, qui docet. Nam ut frumenta dissoluere & in grana deinceps cõminuere, nõ paruus est labor: Sic & qui alios instruit, necesse est ad angoris, & penuriæ, & laborum se tolerantiam præparet. Cùm uerò de operario disserit, ostendit nequaquam hunc oportere delicias & quietem conquirere, ait Chrysostomus. Obserua uerbum Trituranti: hoc est, docẽti, monenti, exhortanti, sacrificãti, ac cæteris sacerdotalibus officijs fungenti. Quid autem hoc ad istos quosdam, qui non solùm in otio, sed in delicijs uitam omnem transigunt?*

Triturare.

Presbyterorũ accusatio nõ facile admittẽda.

Aduersus presbyterum. *Qui præsunt facilè incurrunt odia inobedientium, & idcirco non facilè audiri debent, qui tales accusant: tum quòd suspecti sunt delatores, & accusatores, tum quòd maiori scandalo sunt, qui præsunt, si crimine notati fuerint uel suspecti. Quòd si manifestum fuerit ecclesiæ eos peccasse, aut contra eos probatum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

batum fuerit duobus aut tribus testibus, secundum legem Deutero. 19. ab episcopo corripiantur, ut emendentur: ne sibi ob sacerdotij functionem placeat quisquam, putétque omnia sibi licere: sed cogitet peccata sua, non priuata, sed publica, quæ reliquos contagio inficerent.

Testor coram Deo. Quæ facimus, & operamur, Deus, Christus IESVS, & angeli ipsi uident. Ergo exequamur nobis commissa, ut in conspectu talium.

Præiudicium. Sine præiudicio nihil faciens. Præiudicium hoc loco non significat, quod apud Iureconsultos, rem prius iudicatam: sed præcipitatum iudicium, cùm ex concepta temerè opinione quidpiam agitur, & iudicamus ipsi apud nos, antequã compertum habeamus: hoc est sine personarũ acceptione, Deuter. 16. Iudicent populum iusto iudicio, nec in alterã partem declinent: non accipias personas, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, mutant uerba iustorum, Iustè, quod iustum est, persequaris.

Ordinãdi sunt probandi. Manus cito nemini. Non sunt, nisi quos diligenti cura probaueris, ad sacros ordines promouendi.

Neq; cõmunicaueris peccatis. Obnoxius es alienis delictis, his scilicet, quæ ille in futurum commiserit, cui citò manus imposuisti. Aut: Si qui iniustè faciunt, si qui quod iustum est non iustè exequuntur, uide ne consentias, ne conniueas, ne taceas, sed contradicas. Vt si nihil aliud efficias, tamen conscientiam tuam liberes. Hoc est quod addit, Teipsum castum custodi.

Noli adhuc aquam. Videtur hic locus indicare Timotheum fuisse abstemium. Certè Plato de Legibus iubet pueros usq; ad ætatem XVIII. annorum à uino abstinere, quòd non sit necesse ignẽ igni addere: inde uerò usq; ad XL. modice uti. post eam ætatem, ad uitæ tædium leuandum pluisculum bibat. Paulus uult Timotheum paululo uino uti ob stomachum & frequentes infirmitates. Inest enim uino temperatè sumpto mira medicandi uis. Lege Plinium lib. 23. cap. 1. hoc si sumatur immodicè, maximorum est causa morborum. de qua re, qui uult, legat Plinium lib. 14. cap. 22. Huc pertinet quod scribit Ambrosius: Prudenter Deus sibi seruiri uult, non ut nimietate sua debiles fiant, & postea medicorum suffragia requirant. Temperandum enim est, ut, si fieri potest, cœptum obsequium grauatim prouehatur, quàm per incõsiderantiam minuatur. Intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut cum de infirmitate solicita est, non tantum dedita sit diuinis seruitijs. hactenus ille.

Quorundam hominum peccata. Totus fortassis trepidasset Timotheus, audiens Paulum dicentem, Neq; communicaueris peccatis alienis: propterea obijcere uidetur: Quid si ignorem peccata aliena: id est, illorum, quibus communico? Respondet, De occultis dies docebit. Interim pro bonis habeto, de quibus nemo male sentit, qui nemini sunt occasio peccati. hìc nihil tuæ conscientiæ, aut tuo officio erit periculi. Sed quædam sunt tam manifesta, ut ad dignoscendum non sit opus iudicij examinatione. Id est quod dicit, Præcedentia ad iudicium: id est, non indigent iudicio: uel ut iudices, siue sententiam de eis proferas: quia iam iudicata sunt, & cognitionem tuam non subterfugerunt, quippe cum prius sint facta quàm de homine formaueris iudicium. Intelligo hoc loco Iudicium, non illud Christi extremum, tametsi ita dici possit: sed iudicium humanum in hac uita, quod suprà commisit Timotheo. Quosdam autem & subsequuntur: id est, aliquorum peccata postea nota erunt. Ex fructibus enim cognoscetis eos, Similiter & opera bona manifesta sunt: supple, antequàm iudicentur, uel de eis sententia feratur. Ea uerò quæ aliter se habent: id est, in occulto malè fiunt, aut uelut bona

bona sese per hypocrisim uenditant, occultari & abscondi non possunt: id est, suo tempore prodentur.

CONCILIATIO.

ADVERSATVR hoc à Paulo dictum, peccantes coram omnibus argue: sententiæ Christi, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. AVGVSTINVS libro uno de correptione & gratia, cap. ultimo, facit ut ita respondeamus: Locus Pauli intelligendus de peccatis, quæ non latent. Sed quæ ex Matthæo adducuntur, intelligi debent de peccatis non manifestis. Veruntamen & ipse seueritatẽ correptionis eousq; perducit Christus ut dicat, Si nec ecclesiã audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

CVR beatus Paulus ualetudini Timothei aliter non medebatur, imò ipsum sanabat, qui à mortuis alios reuocabat? RESPONDENDVM, Eò scilicet, ut nihil ipsi hoc tempore offendamur, si sanctos & innoxios mala pati conspicimus: quin etiam ut nequaquam malè existimemus, supra nostram naturam fuisse ueteres illos sanctos, sed homines, & nobis adsimiles. Demum ne Timotheus ipse de sua uirtute forsitan efferatur, superbiatq;.

Vitandæ curiosæ quæstiones, & auaritia. CAP. VI.

Serui. QVicunque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti: qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri IESV Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ: superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,

Blasphemet.] Male audiat.

Languens] Insaniens Verborum,] Vel disputationum, Blasphemiæ,] Maledicentia,

conflictationes hominum mente corruptorum, & qui ueritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cũ sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desyderia multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei, hæc fuge; sectare uerò iustitiam, pietatem, fidem, charitatem,

Sufficientia.] Vel, animo sua sorte contento.

Iob 1. d Ecclesiast. 5. c

Cupiditas:] Studium pecuniæ, auaritiæ.

patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehende uitam æternam, in quam uocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui uiuificat omnia: & Christo IESV, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: ut serues mandatum sine macula, irreprehensibile usque in aduentum Domini nostri IESV Christi, quem suis temporibus ostendet, beatus & solus potens, rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum uidit, sed nec uidere potest: cui honor & imperium sempiternum, Amen. Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamētum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas uocum uouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

Confessionē] Professionem.

Testimonium reddidit] Testificatus est

Potens,] Princeps,

Incerto diuitiarum,] Incertis diuitijs,

Nouitates] Vel, ianitates. Falsi nominis] Falsò nominatæ

Ioan. 18. g

Apoc. 17. d. 9. c
Ioan. 1. b
2. Ioan. 1. c

Luc. 11. b
Ioan. 1. b

Quicunq; sunt. Hic locus non de ministris quales habemus intelligendus est, sed de seruis seruitutem seruientibus. Cuiusmodi olim erant apud Hebræos & Gentes, & hodie apud Turcas. Periphrasi hanc seruitutem & eius genium indicauit dicens, Quicunq; sunt sub iugo serui. Allusit ad boum seruitutem, quorū libertas, iugo capiti & cornibus alligato, opprimitur. Ita & seruus alieno subiicitur imperio, ut iam nō sibi, sed domino uiuat, à cuius uoluntate & imperio omnes serui operæ pendent. Docet ergo Paulus quibus formulis & præceptionibus informādi sunt serui, dicens: Quicūq; libertatem amiserunt, & alieno imperio colla sua submiserunt (de seruis Ethnicorum Christianis hic loquitur) dominos suos non contemnant. Hoc est, quæ ipsis debēt officia præstent fidelissimè, & hos ament. Hoc ut faciant, addit stimulum Paulus: ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Id est, ne inuidiosa reddatur doctrina Christiana, si seruos minus fidos, quam ante susceptam fidem cognouerint.

Qui autem fideles habent dominos. Duo fidelium seruorum genera sunt, de quibus hic mentionem facit Apostolus. Alterū iam explicuit, de seruis qui seruiunt Ethnicis. Nunc secūdi generis querelas reprimit. Querebātur fideles serui quòd Christianis dominis seruirent, existimantes se omnem seruitutem Christiana libertate exuisse. Atq; impiū esse sanguine Christi redemptū seruire Christiano cuius est frater. Ait Paulus: Qui autē habent donānos fideles, id est, Christianos, non ideo contemnant dominos quia ipsi serui sunt fratres, id est, Christiani, sed magis seruiant. Id est, imò hoc nomine quia domini Christiani sunt, magis sunt obseruandi, & illis potius obediendum

diendum. Et dilecti sunt: id est, nō morosi & difficiles. Qui beneficij participes sunt, ac si dicat, imò eò magis obtemperandū est illis quia beneficentiæ participes sunt, & beneficentiam compensant: quippe qui alunt, uestiunt, & necessitatem subleuant. His non solum serui, sed etiam domini monentur sui officij. Obiter dixerim Fidem & religionem Christianam, quod ad interiorem hominem attinet, omnes æquare, & æquales facere. Ad Galat. 3. Omnes unum estis in Christo IESV. Nō est Iudæus, neq; Græcus, non est seruus, neq; liber: non est masculus neq; fœmina. Sed quod ad exteriorem hominem & politiam attinet rerum humanarum, Fides non impedit, imò uult & præcipit ut serui obediant dominis, domini præsint, serui subsint.

Ex quibus oriuntur. Vocauit Paulus eum qui circa rixosas & superuacaneas quæstiones uersatur, languentem & insanientē. Quod probat argumēto ab effectis sumpto. Ex concertationibus illis rixosis & blatterosis nascitur inuidia: nā quum uolunt sibi autoritatem parare, alios eleuant seu deprimunt, nihil soliciti de ueritate & Christi gloria quærenda. Hæc dum fiunt nemo alteri cedere uult. Rixarū calor incalescit, nascuntur contentiones, blasphemiæ seu maledicentia & peruersa de religione Christiana opinio, rursus impiæ suspiciones in religionem Christianam. Statim conflictatur, & in rabiem furor disputantium uberrimè profundit conuitia, & nonnunquàm à uerbis ad uerbera descenditur. Hi corrupti sunt mēte, id est, putridis & turpibus ratio obtenebrata est affectibus. Cæci sunt: Nam hi existimāt quæstū esse pietatem.

Quæstum esse pietatem. Contentiosi, & nugigeruli, uocant suum quæstum & lucrum Pietatem: id est, gloriam, & cultum Dei, existimant sui lucri, & quæstus causa nouum testamentum uenisse. Post hæc uerba apud Græcos reperiuntur aliqua, quæ Latinè ita sonant: Abstine à talibus. Item Ambrosius: Discede ab huiusmodi. Sed hoc in uulgatis Latinorum codicibus non habetur. Theophylactus hæc addit, & interpretatur, dicens: Discede ab eiusmodi. Non dicit, Verbis contendito, & hos oppugna: sed, Discede: id est, cùm semel, aut bis ipsos monueris, missos facito.

Est autem quæstus magnus. Quid attinet falsa scientia, & humana doctrina pro quæstu seducere mundum: cùm quæstus uerus sit, & magnus, Habere pietatem, & esse sua sorte contentum? O uerbum breue, & suauissimū: quod creditum, uerè facit in utraq; uita beatos, & mente pacatos. Contrà, qui non curata pietate, sua sorte nolunt esse contenti, sed uolunt ditescere, id est, uoluntatem, quam Deo debent, conseserant Mammonæ, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Quia pro consequendo lucro incipiunt agere contra conscientiam, & perdunt fidem. Sicut uides in Euangelio de semine, quod cecidit inter spinas. Cæterùm attende quod dicit, Qui uolunt diuites fieri, non contenti sua sorte. Et non dicit, Qui diuites sunt. Nam diuitiæ sunt media quibus spiritualis rectè uti potest. Sed qui uolūt diuites fieri, hi certè periculis multis obuoluuntur: destinarunt enim per fas & nefas opes colligere.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur. Describit Sufficientiam: quæ est, tantum rerum potiri, quantum ad uitæ decentiam sat sit, non ad luxum. Sufficientia.

Radix enim omnium malorum. Exponit quàm sit pestiferum & pernicioſum auaritiæ incumbere, quam quidam Græcorum dixere totius uitiositatis metropolim. Nā Cupiditas nec uiuētibus parcit, nec mortuis, quæ uel hos ipsos spoliat, prædaturq;: & in parentes, ut insurgant, liberos (qui parentum uitam longam fastidiunt) cogit: & fratres, ut cum fratribus litigent, & humana simul & diuina iura peruertit. Hanc itaque si tollas cupiditatem, nec bellum, nec odia erunt, ait Chrysostomus. Cupiditas nemini parcit.

Quàm

Quam quidam appetentes. *Nam quo pacto Euãgelio fidẽ præstiterit pecunijs inhians, cùm paupertatem illud indicat, & hanc ut sectemur suadeat. Neq; enim sinit cupiditas hæc ut salutis uia cernatur, quæ oculos hominum ad se conuertit. Tandem onerati deprimuntur in exitium, & interitũ, ut neq; præsentibus bonis neq; futuris fruantur. Auaro enim (ait Cicero) tam deest quod habet, quàm quod non habet. Huc pertinent exempla quæ Christus proposuit Luc. 12. & 16. cap. de constructore horreorum & diuite purpurato.*

Tu autem ò homo Dei. *Quid non modò Episcopũ, sed & quemlibet Christianum decet, paucis perstringit, Tu ô homo Dei: id est, tu ô Christiane, qui Deo consecratus es, fugito auaritiam & reliqua facinora, quæ indigna sunt tua professione. Et sectare præclaras animi dotes, iustitiam quæ neminem fraudat, neminẽ afficit iniuria, unicuiq; quod suum est reddit. Pietatem, id est, religionem & cultum Dei. Fidem, quæ æternis adhærens corruptibilia & peritura aspernatur: Charitatem, quæ omnibus inseruit, & omnia condonat. Patientiam, quæ in aduersis durat spe uitæ æternæ. Mansuetudinem, quæ iram & animi inflatos motus & affectus compescit. At quoniã harum cœlestium opum studia non mediocrem habent annexum laborem, subiũgit Paulus: Certa bonum certamen, id est, persta in fide, & nullis cede uel aduersis uel aduersarijs, ut agas uel omittas contra tuæ fidei rationem, id est, contra id quod iam doctus rectè sentis. Hoc certamine atq; conflictatione uocaris à Domino non ad res & opes caducas, sed ad uitam æternam. Fidei enim (ait Ambrosius) uictoria est, cùm omnia uitia & crimina subiugantur, ut ad æternæ uitæ præmia ueniatur: cuius confessio inter ipsa rudimenta fidei teste interrogante & respondente monumentis ecclesiasticis continetur. Hactenus ille.*

Confessus bonam confessionem. *Professus es in baptismo, abscedendum esse à Satana, & uitam Christo ducendam. Similiter præstitit bonum testimoniũ, cùm præsente populo Christiano episcopi munus suscepit. Aut in uitæ discrimine professus est bonam confessionem, id est, ipsum Christum.*

Præcipio tibi coram Deo. *Vt cautiorem reddat discipulum, testem inuocat Deum: arguens, haudquaquam humana esse sua præcepta, sed Dei.*

Testimonium reddidit sub Pontio. *Roganti Pilato respõdit* IESVS: *Ego ad hoc natus sum, & ueni, ut testimonium perhibeã ueritati, & multa huiusmodi. Aut testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, id est, testatam fecit sub Pontio Pilato bonam professionem, quam qui ex animo confitentur, salui fiunt. Vt serues mãdatum tibi præscriptum ne pabionis Dominicæ, quam testatus est sub Pilato, reus fias. Non solicitus (ait Ambrosius) de cura Timothei tam circunspectus est, sed propter successores eius, ut exemplo Timothei Ecclesiæ ordinationem custodirẽt, ipsi quoque futuris formam tradentes à semetipsis inciperent. Hæc ille.*

Vsq; ad aduentum. *Ad perseuerantiam in mandatorum obseruatione hortatur. Non ad aliquot horas aut dies serua quæ scribo, sed usque ad aduentum, id est, apparitionem domini. qua intelligit uel extremum cuiusuis hominis diẽ, uel iudiciũ illud postremum, quo omnis caro iudicabitur.*

Quem suis temporibus. *Quem, scilicet aduentum Christi, decentibus & præfinitis temporibus ostendet.*

Beatus, & solus potens. *Beatus, extra quem nihil beatum. Solus potens, ergo omnis potentia & fortitudo ab eo est. Obserua: Quæ de Deo essentialiter dicuntur, nulli creaturæ competũt, nisi dono, & gratia. Vt Deus ex se potens est, uita est, &*

huiusmodi. Sunt ergo alia à Deo impotentia, & mors ipsa: Dono enim Dei, & gratia & possunt, & uiuunt: ita & solus habet immortalitatem. Angeli autem non natura & ex se, sed gratia immortales, & immortalitatis participes effecti.

Lucem habitat inacceſsibilem: *Id est, hominibus incomprehensam.*

Diuitibus huius seculi præcipe. *Diuites huius seculi dicit: quia sunt & in cœlis longè aliæ & excellentiores diuitiæ.*

Depositum custodi. *Id quod tibi creditum est, scilicet doctrinam sanam, gratiam, & officium episcopatus.*

Deuitans profanas. *Profanas impuras dicit & inquinatas uoces, & uerba inania. Basilius Magnus uocat nouitates uocum, nouas quasdam, & nuper inuentas institutiones, & doctrinas, à uero penitus alienas.* Profanum.

Oppositiones falsi. *Quædam sunt humanitus inuenta, quæ falsò dicuntur Scientia: uera enim scientia est, tum de Deo, tum de his, quæ ad Deum sunt. Hæc uocat Oppositiones, quoniam solas disceptationes, contentiones, & hæreses pariunt: ob id indigna sunt, quibus respondeatur. Hanc scientiam quidam habentes: id est, sese in illa doctores profitentes, à fide exciderũt. Necesse enim fit, ut qui solis ducuntur humanis cogitationibus, à fide excidant, & aberrent.* Oppositiones.

CONCILIATIO.

CVM *sapiens dicat, Initium omnis peccati, superbia: quomodo hic Apostolus pronuntiat, Radix omnium malorum cupiditas?* RESPONDEO, *Sermonem propheticum Paulus Apostolus hoc dicendo, ut solet, exposuit. Quandoquidem siue initium omnis peccati, siue radicem omnium malorum dicas, unum idemq; significas. Porrò Cupiditas atque Superbia intantum unum est malum, ut nec Superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit Cupidus inueniri. Facit ad hoc, Si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi meæ delectationi consentiã, quod cupiditatis est proprium, & Dei præceptum quodammodo contemnam, quod est superbiæ malum. Quomodo non ex cupiditate, quæ est radix omnium malorum, & ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum? De his quidam doctor hunc in modum ait, Cùm superbia sit amor excellentiæ propriæ: Inuidentia uerò sit odium felicitatis alienæ: quid unde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, uel paribus inuidet, qui ei coæquãtur: uel inferioribus, ne sibi coæquẽtur: uel superioribus, quòd eis non coæquatur. Legito Aug. Tomo 9. In epist. beati Ioan. tracta. 8. fol. 431. a* Superbia. Inuidia.

QVOMODO *hic Paulus dicit, Deum habitare lucem inacceßibilem: cùm scribatur in Dauide Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Et Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.* AVGVSTINVS *parte sexta lib. 2. de actis cum Felice Manichæo, Cap. 7. Et parte 8. in Psal. 118. fol. 919. a Ad illam lucẽ (ait) nemo potest uiribus suis accedere: sed cui Deus ipse donauerit ut accedat. Ad hanc accessus est per* IESVM *Christum.*

FINIS.

Missa est hæc prima ad Timotheum, ex Laodicea,
quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ,
per Tychicum diaconum.

STAT

Universidad de Deusto Biblioteca

STATVS EPISTOLAE II. AD TIMOTHEVM.

Paulus cùm sisteretur iterum Cæsari Neroni, & sese putaret interficiendum, hortatur Timotheum, ut constans ad mortem usq; suo exemplo perduret, prædicens suum obitum instare, & de ijs qui nouissimis temporibus ueritati euangelicæ aduersabuntur, eum ad se cum Marco uenire iubet.

LOCI INSIGNES EPISTOLAE.

1 Quare uinctus Paulus, & quis bonus Christi miles. Cap. I. & II.
2 Salus ante tempora æterna, sed nunc manifestata. Cap. I.
3 Impositio manuum. Cap. I.
4 Inanes & profanas doctrinas uitandas. Cap. II. & IIII.
5 De uasis iræ, uasis misericordiæ: de resipiscentibus qui antea ueritati resistebant: de excidentibus à ueritate, & ipsam oppugnantibus. Cap. I. II. III. & IIII.
6 Persequutiones profitentibus Christum. Cap. II. III. & IIII.
7 Describit quàm periculosa sint tempora futura. III. IIII.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI, AD TIMOTHEVM II.

Monet Paulus Timotheum, ut pater filium. CAP. I.

PAVLVS Apostolus IESV Christi per uoluntatem Dei, secundum promissionem uitæ, quæ est in Christo IESV, Timotheo charissimo filio, gratia & misericordia, & pax à Deo patre nostro & Christo IESV Domino nostro. Gratias ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis in cõscientia pura, quòd sine intermissione habeam tui memoriã in orationibus meis, nocte ac die desiderans te uidere, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem quòd & in te. Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus

Vita per Christum.
Secũdum promiss.] id est, ad prædicandam promissionẽ.
Progenitoribus] maioribꝰ.
Recordationẽ accip.] ubi cõmonefactꝰ fuero.
Impositio manuum.
Spiritus. Roma. 8. c

Virtutis,] potentiæ,

spiritum timoris: sed uirtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me uinctum eius: sed collabora Euangelio
Collab. eu. sec. uirt. Dei,] Esto particeps afflictionũ quę euãgelium comitatur iuxta potẽtiam Dei,
Secularia.] æterna.
secundum uirtutem Dei, qui nos liberauit, & uocauit Titum 3. b
uocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo IESV ante tempora secularia. Manifestata est autem nunc per illuminationem saluatoris nostri IESV Christi, qui destruxit quidem mortẽ, illuminauit autem uitam, & incorruptionem per Euangelium: in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium. Ob quam causam etiam hæc Vinctus Paulus. 1. Timoth. 1. b
Illuminationẽ] apparitionem
Destruxit] abolenit
Illuminauit autem uitam,] uitam autẽ in lucem produxit,
patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi, &
Confundor.] erubesco.
certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Formam habe sanorum uerborum, quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo IESV. Bonum depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quòd auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt: ex quibus est Phygelus, & Hermogenes. Det misericordiã Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam Onesiphorus.
Cui crẽdidi &] certus sum quòd is cui credidi.
Refrigerauit,] refocillauit,
non erubuit. Sed cùm Romam uenisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quanta Epheſi ministrauit mihi, tu melius nosti.

Secundum promissionem uitæ. *Contemnendæ sunt hæres terrenæ, ex quibus non est quærenda illa uita, quæ est in Christo. Nihil ergo hìc timẽdum, si omnia amiserimus, modò consequamur promissa. Se Paulus prædicatorem insinuat, nõ regni terreni: nam hìc audis, Omnes qui piè uolunt uiuere in Christo IESV, persequutionem patientur: neque Mosaicæ legis professorem, quæ uitam huius temporis promittebat facientibus legem, dicens, Si feceris, habitabis in terra tua, hostes subijcientur tibi, & huiusmodi: Si non feceris, lapidaberis, occidêris, fame & penuria laborabis, exulabis, &c. Deuter. 28. Sed dicit se esse Apostolum ad promissionem uitæ, siue ad promittendam credẽtibus uitam, quæ non est in mundo, & gloria humana: sed in Christo IESV. Quæ uita spiritualis est, & uerè pia: per quam omnia moriuntur, quæ sunt huius creationis, ut tandẽ mortificatis membris nostris, solus in nobis Christus uiuat. Quemadmodum alibi dicit, Viuo autem iam non ego, uiuit uerò in me Christus.*

A' progenitoribus. *Gentibus credẽtibus nõ obstitit quòd patres fuerint idolatræ: Impietatem patrum non portabunt filij, ut est in Ezechiele. Si parentes habueris impios, non tibi præcluditur uia salutis. Quandoquidem filij Dei nascuntur, non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri: sed ex Deo. Spiritus necessitas ad carnem non pertinet. Quid profuisset Paulo aut Timotheo fides*

maiorum, nisi & ipsi in Deum credidissem? Magna tamẽ gratia est, à puero ad Deum institui recta fide parentum. Sed cui hoc non est datum, non est cur animum despondeat: sed ad Christum accedat, qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: imò & qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.

Progeniti. Paulus dicẽs, se Deo seruire à progenitoribus, significat se natum ex ijs, qui longa retro serie fuerunt cultores Dei. Pronomen Meis, redundat, additum apud nos explicãdæ rei gratia. Progenitorum uocabulum non solùm complectitur parentes, sed superiores, etiam nominibus carentes.

Conscientia pura. **In conscientia pura.** Pura conscientia est, quando in nullo tibi conscius es, te aliter uel uoluisse, uel feciße, quàm rectè sentiebas.

Memor lacrymarum. Hunc textum ita construito: Cupiens te uidere, ut gaudio implear: deinceps id sequitur, Memor lacrymarum tuarum: ac si dicat, Et si natura ipsa essem charitatis expers, sunt tamẽ lacrymæ tuæ satis, ut te in animo meo frequens uersem. Erat enim id decens, ut cùm à Paulo Timotheus seiungeretur, maiori hunc fuiße querimonia & fletu disiunctum, quàm infans solet cùm ab uberibus matris diuellitur, ait Chrysostomus.

Eunica. **Primum in auia tua Loide.** Hortatur Timotheum ut in fide persistat, & hanc syncerè alijs tradat, argumento ab hæreditaria doctrina sumpto, quam profeßæ sunt auia & mater eius Christianæ religionis alumnæ. Est boni discipuli mores præceptoris optimi imbuere. Vt ergo religionis integritas ueluti hæreditaria in me fuit, ita & à maioribus tibi syncerita fidei tradita est. Vt iam maiorum exempla te ad constantiam & pietatem maximè hortentur. Eunica siue Eunice mater Timothei, à uictoria dicta est.

Vt resuscites gratiam. Velut ignem sopitũ excita gratiã tibi collatam per impositionem manuum: id est, non negligẽter cures negotium episcopi, tibi à me & ab alijs, qui adfuerunt, iniunctum. Simul cum ordinaretur episcopus, accepit gratiam potentiæ resistendi aduersarijs, docendi, miracula edendi, & ecclesiam rectè regendi.

Spiritum timoris. Videtur hæc esse Pauli sententia: Non est quod uereare, quasi defuerit tibi functionem tuam episcopalem suscitandi facultas. Nõ enim Deus dedit nobis spiritum timoris, Id est, timiditatis, ignauiæ, & animi imbecilli. Sed uirtutis: id est, potentiæ, & roboris, ac fortitudinis, & sobrietatis, ut peragamus nobis delegatum munus. Sobrietatem hîc dicit uerborum, de qua Act. 26. ad Festum uerba faciens Paulus meminit: Non insanio (inquit) optime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Aut spiritum sobrietatis dicit, qua non solùm attendimus ne grauemur crapula, & ebrietate: sed etiam mente sobrij simus. Non sapientes plusquàm oportet, sed tantum secundum sanam doctrinam.

Sobrietatis uerbum.

Collabora: Id est, simul affligere cum Euangelio, & particeps esto afflictionũ quæ prædicationem Euangelij comitantur. Non te pudeat meorum uinculorum, quæ non furti, aut alterius infandi criminis nomine sustineo, sed pro Christo lubẽter ea fero, & patior. Pro confeßione nominis eius qui me confessurus est coram patre suo.

Ante tempora secularia. Deus ab æterno proposuit secundũ beneplacitum suum seu bonam suã uoluntatem, dare nobis suam gratiam, quæ nunc manifestata est in nobis, quam opera non præcedũt, sed sequũtur, tanquàm illius gratiæ effectus. Aut manifestata per illuminationem, id est apparitionem Christi: id est, ubi Christus nobis apparuit, & prædicatum est Euangelium. Qui adueniens destruxit, id est, obliterauit in

propr

proprio corpore, mortẽ: & eius resurrectione & Euãgelio uita, quæ latebat, emicuit.

In quo positus sum. In quod, nempe Euangelium, positus sum: non ego me posui. Tria sibi uindicat Paulus. Prædicator, seu potius præco palàm euulgat: Apostolus, nihil celans exequitur quod commissum est: Magister, seu Doctor, reddit rationẽ, ut persuadeat: Hanc autoritatem Deo tribuit Paulus.

Ob quam causam. Non quòd prauũ facinus admiserim, sed quòd Gẽtibus mysteriũ IESV Christi annũtio, hæc patior: nihil timẽs mortẽ: ut qui seruio habẽti mortis & uitæ imperiũ. Sed nõ cõfundor: id est, non erubesco, hoc annũtiare nõ me pudet. Non confundi.

Scio enim cui credidi. Scio quod is cui credidi, id est Christus, potens est seruare depositum meum. Aut fideles dicit, quos Christus sibi iam demandarat, uel quos ipse Domino commendasset: sperans sua uincula nihil impedimenti adlatura, quin potius se plurimos Domino oblaturos, & ab eodem suscipiendos speraret. Aut scio cui me totum credidi, depositum meum, id est, meipsum salutem, animam meam ad eum usq; diem quo hinc soluam, seruare. Aut credo & spero me accepturum redemptionem corporis huius per resurrectionem & uitam æternam, quando Deus erit omnia in omnibus, sicut infrà dicit: Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet, &c. Tunc accipiet unusquisque secundum opera sua. Bonis adseruatur thesaurus, quem unusquisque sibi thesaurizat in cœlo secundum laborem acceptum in uinea Domini.

Formam habe: Id est, alijs exemplar & formam propone piè uiuendi, quam à me didicisti, non solùm scripto, sed ore ad os.

In fide & dilectione. Forma de qua meminit, docet constare fide & dilectione. Quia puritas & syncerita uitæ, fide & dilectione seu charitate conflatur: imò tractanda explorandaq; ueniunt omnia.

Bonum depositum custodi. Gratiam tibi impositione manuum collatam, aut præcepta, quæ sunt tibi per me tradita, custodi, non existimans te seruaturum illa humanis uiribus, sed per Spiritum sanctum, in bonis & iustis inhabitantem. Depositum.

Qui in Asia sunt. Cùm Paulus catenis uinctus sisteretur Neroni, à fidelibus, qui ex Asia secum Romam concesserant, est mox destitutus.

Philetus. Legitur Phygelus à diuo Ambrosio, & à beato Hieronymo, in epistola de uestibus Aaron.

Onesiphorus. Latinè dicitur utilitatem, aut commoditatem ferens: nam ὄνησις utilitas & iuuamen est. Onesiphorus.

Docendi uerbi ratio. CAP. II.

Cõfortare] Fortis esto. In] Per. Labora] Feras igit̃ afflictionẽ Secularibus:] Vitæ, uel, non est solicitus de uictu. Cui se probauit.] Qui se militem delegit, id est, cuius spiritu ascript⁹ est ad hãc militiã. Dabit] Det.

TV ergo fili mi, cõfortare in gratia, quę est in Christo IESV: & quę audisti à me per multos testes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erũt & alios docere. Labora sicut bonus miles Christi IESV. Miles. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus: ut ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectũ. Memor esto Dominũ IESVM Chri-

D stum

Quare uinctus Paulus.

stum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro usq; ad uincula, quasi malè operans: sed uerbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos: ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo IESV, cum gloria cœlesti. Fidelis sermo. Nam si cõmortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum nõ potest. Hæc commone, testificans coram Domino. Noli cõtendere uerbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audiẽtium. Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem uerbum ueritatis. Prophana autem, & uaniloquia deuita. multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à ueritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt sui. &, Discedit ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. In magna autem domo, non solùm sunt uasa aurea, & argẽtea: sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit uas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem desyderia fuge: sectare uerò iustitiam, fidem, spem, & charitatem & pacem cum ijs, qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patiẽtem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt ueritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam ueritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem.

Matth. 10.d Marc. 8.c Rom. 3.a

Laboro] Malis affligor.

Fidelis] Certũ, id certe uerum est quod si, &c. Sustinebimus.] Sufferimus.

Noli cõtendere uerbis:] Ne uerborum pugnas sectentur.

Incõfusibilẽ,] Qui non erubescat.

Serpit,] Pastionem habebit, uel, circum seuorat. Emundauerit] Vel, expurgarit.

Istis,] Id est, huiusmodi hominibus impijs.

Vtile domino,] Accõmodum usibus domini.

Sine disciplina] Ineruditas.

Deuita,] Respue.

Mansuetum] Placidum.

Docibilem,] Propensum ad docendum.

Patiẽtẽ, cũ modestia] Tolerãtẽ malos, uel, mala, cum mansuetudine.

Corripientem] Erudientem.

Confortari.

Confortare. *Robustus, & fortis esto. In gratia quæ est in Christo* IESV: *id est, hanc habeas uelim gratiam tuo hoc in certamine adiutricem, per quam potestatem accepimus conculcare omnes inimici conatus, & nihil ipsis offendi. Marci ultimo.* Tum *Lucæ 10. Ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit.*

Labora

Labora sicut bonus miles. *In labore & aduersis, fer afflictiones patienter.*

Nemo militans Deo. *Ad uniuersos hæc uerba habentur episcopos, & præceptores. Adhibet Paulus hoc simile à militibus sumptum, quorum nemo curat rem domesticam, postea quàm sacramẽto fuerit addictus militiæ: sed imperatoris sui negotium agit. Multò magis id conuenit facere eum, qui militat Euangelio. Is qui militat, non se implicat: id est, non se immiscet uitæ negotiationibus, aut occupationibus: id est, non est solicitus de uictu, & annona: rem uictoriæ agit, de uictu prospicit Imperator. Vt ei placeat, cui se probauit: id est, ut gratus sit imperatori, qui se in militem delegit. Sic tu qui episcopi munus suscepisti, hoc præsta relictis alijs negotijs: salarium nõ deerit suo tempore. Hoc contextu tribus utitur similitudinibus, Militis, Athletæ, & Agricolæ. Et præterea addit exemplum Christi, per crucem glorificati, quod & se imitari in suis dicit uinculis. Non'ne hæ fortes sunt persuasiones?*

Intellige quæ dico. *Meditare & cogita apud te. His uerbis attentus redditur Timotheus. Appenditur huic sententiæ oratio, qua Paulus bene precatur Timotheo. Dabit, positum est pro, det. Rogo Dominum, ut tibi & hæc quæ dico & alia aperiat mysteria.*

In quo laboro usque. *Pro Euangelij defensione afflictiones sustineo, etiam uincula: sed tametsi uincior, non tamen amputata est mihi lingua, non est uerbum Dei catenis uinctum. Perseuerat enim Dei uerbum & currit. Nam etiam in carcere Paulus prædicabat, & epistolas scribebat. 2. Thessalo. 3. Vult Paulus oretur, ut sermo Domini currat, &c. & in Psalm. Velociter currit sermo eius. Veritas reuera immortalis est. Hanc impij frustra opprimere conantur, dum capiunt & trucidant ueritatis ministros, quibus ueritas Euangelica, atque tibijs harmonia & modulandi ars alligata est. Nam ut hac fistula fracta potest sumi alia per quam fiat modulatio, ita licet ministros uerbi trucident, ipsum tamen ministerium & uerbum Dei uincire & excindere nequeunt. Excitat enim Dominus alium ministrum in trucidati locum, cuius ministerio ueritas currit & manifestatur.*

Paulus in carcere & scribebat & prædicabat.

Ideo omnia sustineo propter electos. *Nihil me morantur mea uincula, nihil specto quod esurio, sitio, algeo, ignominia & contumelijs afficior: Sed quantum hæc quæ libenter suffero, electis Dei & fidelibus, emolumenti & utilitatis afferunt, his meis uinculis augescit apud fideles & electos charitas, & confirmatio in Christo, quem omnium saluatorem & cœlestium bonorum thesaurum prædico.*

Fidelis sermo. Nam &c. *Certitudinem præmiorum ex afflictionibus & supplicijs propter ueritatem Euangelicam prouenientium proponit. Sermo quem dicturus sum est fidelis, id est, certus. Est autem quem pronuntio. Nam si commortui sumus. Alludit Paulus ad ea, quæ à Domino dicta sunt Matth. 16. & Ioan. 12.*

Deus seipsum negare non potest, & quare.

Negare seipsum non potest. *Deus omnipotens est: tamen quemadmodum non potest peccare: quia posse peccare, non est posse, sed defectus potentiæ: Ita non potest seipsum negare: quia posse negare seipsum, non est posse, sed defectus potẽtiæ. Qui seipsum potest negare mutabilis est: At Deus immutabilis est, & ueritas est, & aliter fieri non potest, quin semper suapte natura sit ueritas. Hoc maxime nos cõsolatur consyderantes, Deus promisit, & mendax non est.*

Operarium inconfusibilem: *Id est, omnis notæ expertem, & quem nihil pudet ea facere, quæ ad pietatem conferre uideantur. Multi enim prædicare uerebãtur*

Inconfusibilis operarius.

quæ ab infidelibus & Iudæis ridicula uiderentur. Sed Paulus inconfusibilis prædicauit IESVM Christum crucifixum, Gentibus quidem stultitiam, Iudæis uerò scandalum, nobis autem gloriam. Aut operarium inconfusibilem: id est, talem te præsta, qui coram Deo nõ cogaris erubescere de neglecta seruitute, ut rectè diuidas, & scindas filijs Dei tibi commissis panem uerbi diuini, pro singulorum captu, & conditione.

Tractantem recte: Id est, pertracta (ait Theophyl.) dirige, circũcidito inutilia quæq;, & deme gladio sermonis & uerbi, quæ ab Euangelij sunt prædicatione aliena.

Profana: Id est, quæ non nouit sacra scriptura. Basilius Magnus ubique profanas uocum nouitates, quasdam innouationes intelligit.

Hæresis ut cancer.

Vt cancer serpit. Sicut cancer morbus paulatim plus corporis occupat, ita illæ inanes uoces, si pro sacris recipiantur, tandem fidem extinguunt. Testes sunt nouorũ inuentores, sicut hi qui incœperũt auferre sacrosanctum sacrificiũ, in quo uerum IESV Christi corpus offertur, & sumitur, & alia sacramẽta, quæ sunt passionis IESV Christi applicationes morbis nostris spiritualibus. Nominatim duos pronũtiat Paulus hæreticos, Hymenæum, & Phyletum, qui incœperunt asserere non aliã resurrectionẽ sperandam nobis, posteaquàm iam resurrectio in Christo cõpleta esset. Horum sunt hodie discipuli multi schismatici, qui nõ adhærent sacro Euãgelio, & sponsæ IESV Christi ductæ & directæ spiritu sancto, sed suis ingenijs, & propriæ sentẽtiæ, & prudẽtiæ.

Dicentes resurrectionem. Tertullianus in libro de resurrectione carnis, refert quosdam adhuc suo uixisse seculo, qui asseuerarẽt resurrectionem esse factam. Nam resurrectionem mortuorm quam dicimus futuram, distorquebant in imaginariam significationem. Et nullam futuram prædicabant, quàm eam quæ iam fit, factaq; est, cùm quis Dei ignorantiam habet mortuus est Deo, & in errore sepelitur, à quo redanimatus & reuiuificatus Deo resurgit, discussa morte & sepulchri fossa. Vide quàm perniciosum & canceris naturam sapiat: seu quàm contagiosum sit profanas concertationes inquirere, relicta pura & simplici ueritate.

Sed firmum fundamentum. Occupat. Nolite timere hæreticos posse uniuersam religionem Christi subuertere: nam fides fundamentũ tam firmũ est, ut qui Christo firmiter adhærent, oppugnãtur quidẽ, sed non expugnãtur. Habet signaculũ Christus in suis ueluti sigillũ impressum ex ipsis operibus, rebusq; gestis illi cõueniens. Et cognouit ab æterno qui sunt sui. Et ipse spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Qui hoc signaculum spiritus in se habet, discedat à malo, & caueat ne cadat.

In magna autem domo. Occupatio est. Dicet aliquis: Cur Deus impios sinit, ut alios seducant, alij seducantur: cur nõ eos sua dignatur gratia? Respõdet Paulus per simile, de supellectili & instrumẽtis in domo diuitis, sicut Roma. 9. cap. de uasis figuli.

Si quis ergo emundauerit se. Vides quemadmodum uel aureum esse, uel fictile nec naturæ sit, nec materiatæ necessitatis, ut asserunt Manichæi: sed gratiæ Dei, nostræ uoluntatis, & animi. Paulus cùm fictilis esset, effectus est aureus. Iudas contrà, qui aureus fuerat, est fictilis redditus.

Particula nequando, dubijs præponi soler.

Cum modestia corripientem: Id est, mansuetudine, non cum iurgijs. Est enim adhuc fortassis aliqua redeundi ad sanitatẽ spes. Propterea subdit particulam Nequando, quæ incertis & dubijs rebus præponitur. Fortasse te negligẽte dabit illis Deus gratiam, & resipiscent à Diaboli captiunculis: qui quandiu captiuos habet, pro arbitrio ductat, quantum sinit Deus.

Diaboli autoritas in nos est permissa.

Non enim plus dominij in nos habet Diabolus, quàm quod Deus illi permittit. Propterea ad ipsius, supple Dei, nõ autem diaboli, uoluntatẽ.

CONC

CONCILIATIO.

CVM hoc loco Paulus Timotheo præcipiat, Noli uerbis contendere: Quid est quod contrarium uidetur Tito Dicere, 1. cap. ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere? HOC capite Paulus hortatur ac præcipit contentionem & uerborum phalangem uitandam esse, hæc planè quædam uanitas est. Sed Tito ait, Episcopum debere armatum esse sana doctrina, qua cum omni modestia refellat eos qui ueritati aduersantur.

QVID hic Paulus ait, uasa fictilia à Deo contemni: Cùm 2. Corinth. 4. dicat, Habentes thesaurum hunc in uasis fictilibus? PAVLVS Corinthijs de corporis natura disserit. Nam quemadmodum fictile uas præter lutum incoctum nil eße aliud constat: sic corpus hoc nostrum nil aliud est quàm lutum calore animæ obfirmatum. Hic uerò Paulus facit de uoluntate animi mentionem, quæ fictilis & lutea à Deo contemnitur & reprobatur.

DICTIO.

CANCER, ceris, neutro genere, morbus est, ne quis hoc loco animalculum putet esse. Cancer.

SERPO significat latenter repo, & quandoque quasi in modum serpentis circumeo, & paulatim decurro. Serpo.

PHILETVS Latinè amabilis: sed hic nomen apostatæ est. Philetus.

DOCILIS: Id est, idoneus & paratus ad docendum. Docilis.

Pericula nouissimorum dierum.

CAP. III.

Qualia futura nouissima tempora. 1. Timoth. 4. a 1. Petri 3. a Iudæ 1. f

HOc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & uoluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita, ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uarijs desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi; ita & hi resistunt ueritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultrà non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris,

Cupidi,] auari, Sine pace,] nescij fœderis, Sine benignitate,] negligẽtes honoris, uel, bonorũ inimici, Proterui,] temerarij, Virtutem] uim Deuita:] auersare;

Exod. 7. b

Assecutus es] assectatus es: id est, à principio ad finẽ assuisti, & testis es omnium.

quales perſequutiones ſuſtinui: & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui piè uolunt uiuere in
Perſequutiones ſequẽtibus Chriſtum. Chriſto IESV, perſequutionem patientur. Mali autem homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Tu uerò permane in ijs quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & quòd ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto
2. Petri 1.d IESV. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: ut perfectus ſit homo Dei ad
Perfectus] integer omne opus bonum inſtructus.

Hoc autem ſcito, quia. *Poſteaquam de mataeologis & ſui ſeculi magiſtris prurientibus diſſerui, & quàm diligenter ab eis cauendum fuerit, eruditiſſimè docuit: nunc de moribus & pſeudoprophetis falſiſq; doctoribus poſtremi ſeculi uaticinũ adducit, explicans ad uiuum notas & colores quibus cognoſci poterunt, ſimul præſcribens fidelibus modum & uiam qua iſtorum technas, inſidias & apparata pericula, facilè euadent: nempe ſi unicè adhæreant doctrinæ ſacræ & apoſtolicæ, quæ nihil non ueræ pietatis in ſe continet.*

Seipſos amantes. *Primus color & nota mataeologorũ, erunt homines φιλαυτοι, id eſt, ſui amantes. Quærentes quæ ſua ſunt, non quæ ſunt* IESV *Chriſti. Hæc eſt*
Cupidi. *omnium malorum radix, cuius ramos ſubdit dicens, Cupidi, priuato affectu ducti, &*
Elati. *ſua auaritia ita obcæcati, ut neque ſui, neque proximorum miſereantur. Elati: id eſt fa-*
Blaſphemi. *ſtuoſi, & inſolentes iactantes res magnas cùm ſint uaniſſimi. Blaſphemi, maledici non ſolùm in ueritatis profeſſores, ſed etiam in Euangelium.*

Parentibus inobedientes. *Id eſt, immorigeri, non tam ijs à quibus geniti ſunt, quàm ijs qui loco parentum ſunt, ut præceptoribus, paſtoribus & magiſtratui.*

Sine affectione: *Id eſt, qui nullo affectu ſunt in ſuos, puta filios, aut famulos, aut uxorem. Sunt enim deploratiſſimi, in quibus etiam naturæ adfectus abſoluerunt. Aut ſine affectione: id eſt, carent affectu amicitiæ in homines.*

Fœdifragi. Sine pace: *Id eſt, neſcij fœderis. Fœdus ad alienos refertur. Natura ipſa coniuncti ſunt, ut mutuò ament, tum parentes, tum domeſtici: ſed fœderibus & amicitiæ uinculis copulantur boni exteris & alienigenis.*

Criminatores. Criminatores, *calumniatores ſiue delatores. Qui enim ſibi nullius boni conſcius eſt, omnes ut inuidus criminatur.*

Incontinentes. Incontinentes. *Lingua ſcilicet, uentre & alijs mẽbris, ait Chryſoſtomus, &c. Hoc eſt, intemperantes cibo, potu, ueſtitu, & reliquis ad uitæ uſum pertinentibus.*

Sine benignitate. *Quaſi diceret, etiam bonis non ſunt amici: Omnium rerum bonarum ſunt hoſtes & inimici. Immites ſunt, ut uerius beluas quàm homines dixeris.*

Proditores. Proditores. *Deſertores amicitiæ & ſodalitatis, ſecreta non ſeruantes. Qui tam amicos quàm beneuolos produnt.*

Proterui. Proterui. *Præcipites iudicio, ſiue temerarij, proprio ſenſu nitentes.*

Habentes ſpeciem. *Id eſt, deformationem religionis, ait Cyprianus. Aut quid alijs*

alijs facto opus ſit præſcribunt, cùm ipſi interim impuriſſimè uiuant.

Et hos deuita: *Id eſt, iſtos auerſare. Illis temporibus nouiſſimis non erit ipſe Timotheus, obijciet aliquis. Sub Timothei perſona, ait Baſilius, cæteros commonefacit Paulus, ut eiuſmodi uiros deuitent. Fieri etiam poteſt, ut nonnulli eſſent tales temporibus Timothei, ſicut & ſunt frequenter quouis tempore.*

Captiuas ducunt mulierculas. *Mulieres enim facilius circũuenũtur. Quo fit, ut ſi uirorũ ſeducitur quiſpiam, dici meritò muliercula queat. Huius rei exemplum inuenias apud Irenæum lib. 1. cap. 9. ubi impuriſſimam Valentiniani hæreſim exponit.*

Semper diſcentes. *Semper diſcere eſt laudabile, modò qui diſcunt, fructum*
Semper diſcere cum fructu, laudabile eſt. *& ueritatis notitiam conſequantur. Qui autem abſque fructu diſcere ſemper uidentur, abijciendi ſunt.*

Quemadmodum autem Iannes. *Horum nomina nuſquam alibi reperies in uetere teſtamento: ſed illa Paulus ex ſpiritu didicit. Hi fuerunt magi Pharaonis, qui ſigna in Aegypto feciſſe leguntur, Exodi 7. cap.*

Sed ultrà non proficient. *Qui nouitatibus ſtudent, nuſquam erroris finem*
Erroris uirtus. *inuenient, ſed noua ſemper commenta & corruptum dogma proferent. Ea eſt enim erroris uis, ut ſiſti non queat.*

Sicut & illorum. *Quemadmodum impoſtura, impietas & fallacia magorum Aegyptiorum iudice Deo cognita (Exodi 8. cap.) & ſubuerſa eſt: ita iſtorum Antichriſti præambulonum amentia omnibus euidens erit.*

Mihi facta ſunt Antiochiæ. *Antiochiam Piſidiæ dicit, non de Antiochia*
Antiochia duplex. *Syriæ, unde Paulus & Barnabas egreſſi ſunt ad prædicandum gentibus. copioſè tractatur de ijs Pauli afflictionibus Act. 13. & 14.*

Omnes qui piè. *Generalis eſt hæc ſententia. Non hæc de me ſolo dixerim. Nemo hic excipitur. Crux eſt probatio fidei. Ergo ſicut fidei adeſt charitas, ita & patientia. Sed ſicut afflictiones cedunt pijs in bonum: ita perſecutoribus & ſeductoribus, qui obnituntur ueritati, cedet in damnationem, quicquid huiuſmodi egerint. Quod explicat ſequente textu, cùm ait, mali proficient in peius: hoc eſt, ſemper malorum & obſtinatorum augetur damnatio & obcæcatio. Et hoc magis à Deo puniẽtur, quò plures ſeduxerint.*

Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata. *Manifeſtum eſt, ait Ambroſius, quia omnis ſcriptura, cuius Deus autor oſtẽditur, utilis eſt. Ad hoc enim data eſt ut proficiat imperitis, & inſtauret deformes, attrahens iniquos ad iuſtitiam: ut homo Dei in omni opere bono perfectus ſit. hæc ille.*

Vt perfectus ſit. *Id eſt, integer: & inſtructus, id eſt, conſummatus ad omne opus bonum.*

Ad ſui imitationem Timotheum excitat Paulus. CAP. IIII.

Per aduentum &c.] apparitione ſua & regno ſuo:
Opportunè, imp.] tempeſtiuè, intempeſtiuè:
Obſecra, in-

TEſtificor coram Deo & IESV Chriſto, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos, per aduentũ ipſius, & regnũ eius: prædica uerbũ, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patiẽtia & doctrina. Erit enim tẽpus cùm ſanã doctrinã nõ ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, pru-
In eos qui ad fabulas cõuertuntur.

rientes auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu uerò uigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. Festina ad me
Coloss. 4. d uenire citò. Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, ueniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita: ualde
Paulus coram Cæsare. enim restitit uerbis nostris. In prima mea defensione, nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur: Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum, Amen. Saluta Priscillam & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem uenire. Salutant te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia, & fratres omnes. Dominus IESVS Christus cum spiritu tuo. Gratia uobiscum. Amen.

crepa in omn pat.] increpa, exhortare, cum omni lenitate
Ad sua desyderia] iuxta cõcupiscentias suas
Labora,] obdura in afflictionibus,
Imple.] uel ad plenum probatum reddito.
Delibor,] immolor,
In reliquo,] quod superest,
Festina] da operam. & infrà
Diligens] uel, amplexus
Ærarius] faber ærarius
Ostendit:] uel, fecit:
Deuita:] cauet
Confortauit] Corroborauit
Priscillam] Priscam
Infirmum] languentem

Prædicandum quocunq; tempore. **Testificor coram Deo.** *Adiurat Timotheum, ut modis omnibus pergat exequi quæ sunt sui muneris: id est, ut prædicet uerbum, non intercisa, sed cõtinua oratione, opportunè, importunè, id est, quocunque tempore. Sicut enim uerbum Dei personis, aut locis non est alligatum, ita neque temporibus. Semper uerbo opus est, ut credamus, & perstemus in tentationibus.*

Prurientes auribus. **Prurientes auribus.** *Prurientes hic nominandi casu est accipiendum: qui titillantur, & pruriunt auditu. Vnde quærunt qui scalpant aures uoluptate orationis, non qui radant ueritate. Homines enim huiusmodi deliniti, quæ iuuent semper, & minus contristent, audire percupiunt.*

Tu uerò uigila. *Vigila, & labori insudato, priusquam corruptionis huiusmodi tempus adueniat, & lupi irrumpant, ut oues tibi creditas in tuto constituas.*

Opus

Opus fac Euangelistæ. *Qui Euangelium purè prædicat, & persequutionibus non cedit, quin potius aduersariorum clauum retundit, dicitur opus Euangelistæ peragere: huic exhortationem appendit, ministerium tuum imple, id est, da operam in ministerio tuo, ut quæ doces, auditorum animis indiuulsè adhæreant, ne facilè abducãtur ab ijs qui diuersa conabuntur docere.*

Resolutionis meæ. *Resoluendus erat in animam reddendam Deo, & corpus ipsi terræ, è qua sumptum erat. Cyprianus adducens huius loci testimonium in quadam epistola, ait, Ego iam delibor, & tempus instat assumptionis meæ. Origenis interpres in homilijs in Numeros, indicat duplicem huius loci fuisse scripturam, resolutionis & regressionis. Quidam ait se non intelligere uerbũ regressionis: Videntur mihi, qui salui fiunt, regredi in cœlum, è quo cum Christo descenderunt, iuxta dictum Ioannis 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Qui fide uiua Christo adhæserunt, in uirtute descendisse cum Christo dicuntur, qui simul cum Christo capite tanquam membra regrediuntur. Delibor, id est, immolor & interficior. alludit ad ueterum sacrificia. gratissima est Deo uictima, qui propter Christi confessionem ab impijs mactatur.* Pauli mors præcognita.

Fidem seruaui. *Fidem suscepti muneris in finem usque seruaui. Hoc dicit, quia cursum suum consummauit, sibi iniunctum à Deo. Quæris, quomodo cursum consummiuit? Vt à Ierusalem, inquit, & in circuitu usque Illyricum impleuerim Euangelium Christi. instar enim uolucris in orbem peruolauit eius prædicatio.*

Corona iustitiæ. *Præmium iustificationis, & fructuum eius: hoc est, omnium laborum à iustificatione, tanquam à radice, productorum. Est corona & beatitudo illa quam dedit Deus non solùm Paulo, & ijs qui iam salui sunt, sed & daturus est ijs, qui diligunt aduentum eius. Is aduentus Domini bonos lætificat, terret iniquos. Imitemur ergo Paulum in Christo.*

Diligens hoc seculum. *Qui mauult domi per delicias uiuere, quàm mecum pro Christo periclitari.*

Penulam, quam reliqui. *Penula, pallij genus est, non consularis, ut quidam putant, sed quo tegimur in imbribus, pellicem, ut putat Hesychius. Quanquam idem addubitat, num sit scriniolum. Alij putant esse thecam librorum. O' supellectilem Apostolicam, penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot, cum mẽbranis quæ seruirent scribendis epistolis!* Penula.

Multa mala mihi ostendit: *Id est, admodum me oppressit, & multis malis me affecit. Annotauit Augustinus, de locutionibus Geneseos 1. In sacris literis ostendere, frequẽter usurpari pro facere. Putat Ambrosius hunc Alexandrũ fuisse collegã Demæ.* Ostendo pro facio.

Reddet illi Dominus. *Hæc uerba non sunt Pauli imprecantis, sed denuntiãtis interitum.*

In prima mea defensione. *Quam primam dicit? Neroni adstiterat, & illæsus relictus mortem euasit: & ita, ut eo ex tempore prædicandi sibi esset facultas. Sed cùm Nero sæuissimus audisset pincernã suum autore & doctore Paulo factum Christianum: uesania furens, & Paulum coniecit in carcerem, & paulò pòst ei caput præcidit.* Pauli mors unde. Leo, Nero.

Liberatus sum de ore leonis. *Leonis, id est, sæuissimi Neronis.*

Trophimum. *Quod hunc in Mileto reliquerit languentem, conuincit quòd Apostolis non licuerit quoties liberet facere miracula, sed quum infidelium posceret infirmitas, & diuina iuberet uirtus.*

Linus. *Hunc Linum ferunt nonnulli post Petrum Romæ secundum (ait Chrysostomus)*

ſtomus) fuiſſe epiſcopum.

CONCILIATIO.

PVGNANT hi loci, Argue, (ait hoc loco Paulus) obſecra, increpa in omni patientia & doctrina: Et ad Tit. 2. Argue cum omni imperio. NIHIL pugnantiæ eſt. Quid eſt quod doctrinam ſuam Paulus tanta arte diſpenſat, ut ex his duobus alteri imperium atque alteri patientiam præponat: Niſi quod manſuetioris ſpiritus Titum, & paulò feruẽtioris uidit eſſe Timotheum, illum per æmulationis ſtudium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat.

Secunda. QVID hic Paulus tam conſtanter pronuntiat, Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam, &c. Cùm Eccleſi. 9. cap. dicatur, Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit. ECCLESIASTES non loquitur de cõſcientiæ propriæ iudicio. Nam quis neſcit ſe odio dignum cùm deliquerit? Quis ignorat Deum offendi peccato & malitia animi? uidetur igitur potius loqui Eccleſiaſtes de ratione diſcernendi pios ab impijs, & ab alijs extrinſecus, quandiu hic indiſcriminatim uerſamur. Eo quòd uideret Sapiẽs omnia iſta externa euenire pijs atq; impijs. Tribuit enim opulentiã, robur corporis, legis doctrinam, ſapiẽtiam, eloquentiã gloriam, ſanitatem, formam & huiuſmodi, cùm pijs, tum impijs. Vnde neſcit ratio in facie eorum neq; dilectionem, neq; odium, aut quem diligat Deus, aut quem odio habeat. Certitudinẽ igitur de noſtra ſalute nõ aufert Sapiens: ſed non uult iudicemus de proximo ex his quæ illi accidunt, quandiu hic uerſamur & uiuimus: ſed omnia illa in futurũ ſeruantur incerta. Nõ igitur iudicemus quòd proximũ uideamus morbo afflictum, eius bona grãdine & fulmine percuſſa, domũ eius aduſtam, & huiuſmodi, qualis futurus eſt eius finis & uitæ exitus. Et, ut in hunc locũ ait Hieronymus, quicunq; aduerſa ſuſtinent, utrũ per amorẽ Dei ſuſtinent, ut Iob, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertũ. Quantum autem attinet ad certitudinem de noſtra ſalute, paucis abſoluamus. Certus es quòd quæcunq; promiſit tibi Deus, potẽs eſt & facere. Rom. 4. Ergo ſi credis in eum, certus, & non dubius es (cùm fides dubium & formidinẽ excludat) te ab eo amari: eùm promiſerit credentibus in eum ſaluos fieri, & filios Dei nuncupari. Quare Paulus hac perſuaſione concepta reſpiciens promiſſiones Dei infallibiles, ait, Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi in illa die iuſtus iudex: non ſolùm autẽ mihi, ſed & omnibus, qui diligũt aduentũ eius. Sic & ſuprà 2. Timoth. 1. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potẽs eſt depoſitũ meum ſeruare in illum diem. Quia fidelis eſt, ſeipſum non poteſt negare. 2. Timoth. 2. Et ut rem attingamus, Certè ex ſe, & propria natura, nemo ſcit an odio uel amore dignus ſit: ſed ex uerbo & promiſſionibus Dei per fidem ſcit. Nec eſt aliquis, ſi Chriſtianiſmũ calleat, & uerè Chriſtianus ſit, qui per fidem non certò teneat ſuam ſalutẽ eſſe ratam, infallibilem, depoſitã in manu Dei. Omnis enim qui audit uocẽ filij Dei (ut eſt in Ioãne) & credit in eum, habet uitam æternã. Neq; te terreat, quod Paulus ad Rom. 8. ait, Non ſunt cõdignæ paſſiones huius ſeculi ad futuram gloriam. Non reuera ſunt cõdignæ ex propria noſtra uirtute: ſed ſunt condignæ ex gratia ſpiritus ſancti habitantis in nobis. Charitas (ait Paulus) diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Tertia. PRAECEPTO Domini quo nos hortatur diligere inimicos noſtros, & benefacere his qui oderũt nos, & orare pro his, qui perſequuntur nos, minus diligẽter & ſobriè cõſyderãtibus uidetur aduerſum quod hîc Paulus ait, Reddet illi Dominus ſecũdũ opera illius. Sicut in Prophetis inueniũtur multæ imprecatiões aduerſus inimicos, quæ maledictiones putantur: ut Pſal. 68. Fiat menſa eorum in laqueum. Et multa huiuſmodi: ut de

ut de Chriſto, qui ciuitatibus maledixit. RESPONDEO, quia & Propheta per imprecationem, quod eſſet futurũ cecinit, non optantis uoto, ſed ſpiritu præuidentis: ita & Dominus, ita & Apoſtolus. Quanquam in horũ etiã uerbis nõ hoc inuenitur quòd optauerint, ſed quòd prædixerint. Nõ enim cũ ait Dominus, Væ tibi Capharnaũ, aliud ſentit, niſi aliquid ei malè euenturum meritò infidelitatis. Quod futurum, Dominus nõ maleuolẽtia optabat, ſed diuinitate cernebat. Et Apoſtolus nõ ait Reddat, ſed Reddet, ut multi legunt, aut reddat, pro reddet, poſitũ: quod uerbum prænuntiantis eſt, nõ imprecantis. Sicut & de illa hypocriſi Iudæorũ, qua dictũ eſt Act. 23. cui euerſionẽ imminere cernebat, Paulus dixit, Percutiet te Deus, paries dealbate. Plura de his uidere licebit apud Auguſt. lib. 1. de ſermone Domini in mõte, parte 4. ſuorũ operũ, fo. 805. a. b.

DICTIO.

TROAS, ciuitas Aſiæ maritima, eadem Antigonia dicta. Troas.

MEMBRANA, pellis ſuperior, quæ & pergamena charta dicta, quòd tracta ſit de tergoribus animalium. Membrana.

AERARIVS faber, qui in ære laborat, ne quis de Quæſtore ærarij, aut cuſtode æris accipiat hoc loco, ut quidam interpretati ſunt. Aerarius.

ERASTVS, ſiue Eraſtes dictum pro amatore uel amabili. Eraſtus.

MILETVS penult. lõga, ciuitas in Aſia, maritima, in qua Paulus Epheſiorũ maiores alloquitur. Eſt & inſula eiuſdẽ nominis nõ ignobilis in mari Aegæo & Ionio ſita.

EVBVLVS penult. producta, nomen à bono conſilio dictum, prudens: unde Eubulia, bonum conſilium. Eubulus.

FINIS.

Scripta è Roma ad Timotheum, ſecunda, cùm Paulus iterum ſiſteretur Cæſari Neroni.

ARGVM. EPIST. AD TITVM.

Titum in Creta inſula epiſcopum inſtruit Paulus, quales eligat presbyteros ſiue epiſcopos per ciuitates conſtituendos. Vnà etiam cuiq; ætati & hominum conditioni rectè uiuendi modum præſcribens, à peruerſis doctrinis & hæreticis cauendum eſſe docet.

LOCI INSIGNES HVIVS EPIST.

1 Vita æterna promiſſa, ſed iam per Chriſtum & prædicationem Euangelij manifeſtata. Cap. I. II. & III.
2 Doctrina ſana & peruerſa, qualis debet eſſe doctor, itẽ oppidatim preſbyteri conſtituendi. Cap. I. II. & III.
3 Vt Chriſtiani bonis operibus ad uſus neceſſarios & ſobrietatem uitæ oſtendant fidem bonam & manifeſtent, ita doctrinam Chriſti, ut pudefiat aduerſarius nihil ad manum habens quod nobis iuſtè obijciat. Cap. II. & III.
4 Hæreticus excõmunicandus, & uanæ doctrinæ fugiendæ. Cap. III.
5 Præpoſitis parendum, & morum paræneſes. Cap. II. & III.

EPIST

EPISTOLA BEATI PAVLI AD TITVM.

Quales eligendi in episcopos & presbyteros. CAP. I.

PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem IESV Christi secundum fidem electorum Dei & agnitionem ueritatis, quę secundum pietatẽ est in spem uitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora secularia, manifestauit autem temporibus suis uerbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum saluatoris nostri Dei: Tito dilecto filio secundum communem fidem gratia & pax à Deo patre & Christo IESV saluatore nostro. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispositui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos: Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non uinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui cõtradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, uaniloqui, & seductores, maximè qui de circuncisione sunt, quos oportet redargui, qui uniuersas domos subuertunt, docentes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uẽtres pigri. Testimonium hoc uerum est. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se à ueritate. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorũ & mens & conscientia. Confitentur se nosse

Vita æterna promissa ante mundi creationem.

Presbyteri siue episcopi, quales constituẽdi. 1. Timoth. 3. a

Epimenides. Cretenses.

Roma. 14. a

Secundum] Id est, ad prædicandum.
Secundũ pietatem est] Vel, quæ ad pietatẽ adducit.
Secularia, [Aeterna,
Præceptũ] Delegationẽ, uel, iniunctionem.
Non in accusatione luxuriç,] Vel, non obnoxios crimini luxus,
Superbũ,] Præfractum, id est, durũ, & sui sensus plus satis tenacem.
Benignũ,] Studiosum bonarũ rerũ, aut, amantem bonos,
Cõtinentem,] Temperãtem, Amplectentem eũ, &c.] Tenacẽ eius qui, &c.
Arguere.] Conuincere.
Inobediẽtes,] Intractabiles, id est, qui in ordinem cogi nõ possunt,
Quos oportet redargui,] Quibus oportet obturare os, uel, indicere silentium,
Durè,] Seueriter.
Confitentur] Profitentur.

Deum

Incredibiles,] Increduli.

Deum: factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Paulus. *Breuis est hæc Pauli epistola ad Titum, sed densa mysterijs, & utilitatis plurimum habens. In qua scribit de electione & forma episcoporũ, tradens quales ordinari debeant, quid docere & prædicare, qui Ecclesias Dei instituere, formare, ac regere debent, quam uitæ integritatem & iustitiæ morum innocentiam ipsi ante omnes alios præstare: quoniam, ut Petrus ait, sunt forma gregis. Nomen suum adiungit huic doctrinæ ex necessitate quadam, ut ostendat hanc epistolam à se Apostolo* IESV *Christi proficisci.*

Seruus Dei. *Hæc non est seruitus illa, de qua Paulus ad Rom. 8. dicit, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Sed est nobilis illa seruitus. de qua Dauid ad Deum loquitur, Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et uirgo Maria Luc. 1. cap. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Voluit Christus nos insigniri hac humilitate, Matth. 20. Qui uoluerit inter uos esse maior, sit omnium seruus. Imò & ipse filius hominis Ioan. 13. uenit nõ ut ministraretur sibi, sed ut ministraret. Quod etiã exemplo docuit, cùm discipulorum pedes lauit. Hæc seruitus, charitatis est, per quam nobis inuicem seruire præcipimur.* Seruus Dei.

Secundum fidem electorum. *Apostolus sum designatus, ut electi prædicatione mea audita credant. Nec solùm Apostolatus meus est ad fidem annuntiandam & promulgãdam, sed etiam ad agnitionem ueritatis declarandam, quam cognoui, & quæ mihi per* IESVM *Christum, & non per hominẽ, est manifestata. Non dicit, omnẽ ueritatem, sed eam, quæ est secundum pietatem. Est planè ueritas, quæ non habet pietatem, ut Grammatica, Dialectica, Geometria, & huiusmodi habent in sua sciẽtia ueritatem, sed non est scientia illa pietatis. Est autem sciẽtia pietatis, nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare: Et hæc respicit uitam æternam. Neque de alio munere præcipuo loquuntur Apostoli & concionatores uerbi Dei, quàm de ipsa uita æterna credentibus in* IESVM *Christum promissa, qui non mentitur, nec falli, nec fallere potest.* Veritas multiplex. Scientia & ueritas pietatis.

Promisit ante tempora secularia. *Id est, promisit ab æterno. Hoc intelligito quòd in seipso Deus hoc definiuit ad similitudinẽ firmæ & immobilis promissionis.*

Temporibus suis: *Id est, debitis & congruentibus. Atque huius tardationis nullam causam quæras, sicut nec multorum huiusmodi, quàm quod est eius beneplacitum. O homo, quis es ut respondeas Deo? Rom. 9. Manifestauit uerbum suum, hoc est, decretum suum æternum patefecit suis demum temporibus, hoc est, quibus placuit sese orbi aperire. Patefecit autem prius per prophetas, nunc ucrò per prædicationẽ Euangelij, quæ mihi commissa est, non hominis alicuius autoritate, sed delegatione saluatoris nostri Dei. Quare caueant hanc contemnere doctrinam, quæ nõ mea, sed Dei, à quo Apostolatum recepi.*

Secundum communem fidem. *Quasi dicat, secundum fidem nihil habeo equidem amplius quàm tu. Communis quippe, ac per eandem & ego sum genitus in Christo, & tu. Hæc communis fides affectum fraternitatis indicat. Est pater Christus, nos eius filij, fratres inuicem dicimur.* Fides communis.

Reliqui te Cretæ. *Breuem narratiunculam præmittit Paulus, qua in memoriã reuocãtur quæ prius egerat cum Tito. Videtur enim Paulus apud Cretẽses initia quædam*

Universidad de Deusto Biblioteca

dam ac fundamenta iecisse religionis, opus non absoluisse totum, uel quòd aliquorum odijs repelleretur, uel quòd necessitate aliarum ecclesiarum aliò, uel quòd fortassis in Epirum, aut Thraciam, in qua etiam est quædam Nicopolis, uocaretur. Titum ergo, uelut alterum se, in Creta reliquerat, ut quod cœperat, ille feliciter absolueret. Pertinent hæc ad episcopos omnes (ex quibus pendet Reipub. Christianæ salus) non minus quàm ad Titum, certè ut quæ desunt, uel minus recta sunt, corrigant, atque sarciant.

Vt ea, quæ desunt, corrigas. Dictioni Græcæ correspondet uerbum supercorrigas. Ego quidem prius quædam correxi, quæ ad plenum nõ sunt correcta. Tu perge corrigere. Præterea ait Theophylactus, Tito demandabat Paulus episcoporum institutiones, consecrationes q̃s, & huiusmodi, quæ ceremonijs indigent.

Presbyteri episcopi. Ordinũ sacrorum institutio à Paulo.

Constituas per ciuitates. Presbyteros, hoc loco episcopos dicit, sicuti & in epistola ad Timothcum prædixerat. Atque singuli singulis ciuitatibus præficiantur presbyteri. Sicut & ego disposui tibi, non solùm ut constituas episcopos commissi, sed etiam modum constituendi, atque ceremonias ipsas sanctas in ordinandis illis tibi explicui. Quales autem debeant esse episcopi, sequenti textu explicat. Obserua, per ciuitates dicit. Neque enim, ait Chrysostomus, uolebat insulam totam uni uiro permittere, sed unicuique propriam curam & solicitudinem indici.

Sicut & ego disposui tibi. Non uult quicquam temerè agi in Ecclesia, sed omnia fieri à Tito quemadmodum prius ordinauerat. Hoc maximè ab omnibus obseruandum est, ut cùm instituimus aliquid, non iuxta nostros affectus instituamus agamus'ue, sed quemadmodum Dominus ordinauit. Non enim sumus ministri affectuum, sed ipsius Domini. Hæc autem à Domino ordinata sunt, cùm quæ nouum cõtinet testamentum, tum quæ uniuersalis ecclesia ex Apostolorum traditione obseruanda cõmemorat.

Sine crimine. Hic præscribit formam episcopi. Quem nemo possit accusare, siue criminari, & uocare in ius ob crimen aliquod.

Episcopi partes.

Vnius uxoris uir. Castigat hoc ipso, ait Chrysost. etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemq; pastoris assumi. Vide adnotatum supra 1. Timoth. 3.

Dispensatorem. Administratorem uerbi Dei.

Superbus.

Non superbum. Non tumentem & placẽtem sibi quòd episcopus sit, sed quasi bonum uillicum, id requirentem quod pluribus prosit.

Non iracundum. Superbiam sequitur iracũdia. Iracundus est qui semper irascitur, & ad lenem responsionis auram, quasi à uento folium, commouetur. Reuera nihil fœdius præceptore furioso & iracundo. Qui toruo uultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuitijs, facie inter pallorem ruboremq; uariata clamore perstrepit, & errantes non tam ad bonum attrahit, quàm ad malum sua sæuitia præcipitat. Est ergo iracundus non qui irascitur solùm, sed qui hac passione crebrò superatur.

Non uinolentum. Destruit enim uigorem ingenij, uini immoderatus usus, & ad rem Euangelij planè ineptos facit eius doctores.

Percussor.

Non percussorem. Eum significat Græca dictio, qui lingua percutit: quasi dicas, non mordacem: id est, qui ex inuidia feratur in quosuis. Aut, non percussorem, id est, non pugilem, & pancratiasten, & qui facilè manum non extendat ad cædendum: sed sit mansuetus & patiens. Hoc est, ne in reprehendendo & obiurgando sit nimus sæuus & asper. Hoc quod hic precatur Paulus ne sit percussor, refertur ad animæ & linguæ officium.

Non tur

Sacerdotes nõ sint negotiatores.

Non turpis lucri cupidum. Sentit Paulus omne studium lucri, fœdum esse sacerdoti.

Benignus.

Benignum. Quasi dicas, studiosum bonarum rerum, aut amantem bonos, Aut qui humilitate sit & modestia præditus, & nulli inuideat.

Amplectentem eum qui. Sit sermo uerus & fidelis, non opinationibus & argutiolis plenus. Oportet episcopum non simpliciter amplecti doctrinã, sed tenacem doctrinæ sanctæ uelut affixum ne ab ea doctrina Euangelij auellatur.

Seductores.

Seductores. Græcis est dictio composita, quæ perinde sonat ac si dicas, mentium deceptores. Ad hunc modum interpretatur Hieronymus. Pessimum autem & pernicioßimum genus decipiendi, ubi quis mentem, omnium nostrarum actionum fontem, prauis inficit opinionibus. Nam hac uia fit, ut non solùm non pudeat malefactorum, uerum etiam ex his laudem petamus. Solebant hoc facere qui ex Gentilismo ad Christianismum se conuersos esse mentiebantur, præcipuè autem qui ex circuncisione, id est, Iudæi erant.

Quidam ex illis proprius ipsorum propheta. Vocat prophetam, qui quasi præsenserit futura. Proprium autem uocat, quòd Cretensis fuerit ipse, qui hoc de Cretensibus scripserit: siue quòd per ironiã prophetam uocauit, quasi talibus Christianis tales congruerent prophetæ, siue quòd is Epimenidis liber, unde uersiculus hic sumptus creditur, titulum habeat de oraculis. Tametsi non desunt qui testimonium hoc ad Callimachum Cyrenem referant, apud quẽ initium huius carminis inuenitur. Hieronymus indicat prouerbio iactatum apud Græcos. Extat & prouerbium Græcis, Cretensium testans uanitatẽ. Verum hac de re qui uelit plenius cognoscere, legat Miscellanea Angeli Politiani, aut Chiliades Erasmi.

Ventres pigri. Qui propter uentrem omnia agunt, & nihil aliud sunt quàm uentres, abdomini & pinguedini dediti, quemadmodum & Lucilius uentri deditos, uentres appellat, dicens, Viuite lurcones, comedones, uiuite uentres.

Omnia munda mundis. Ceremonias illas Iudaicas (quæ erant de immunditia ciborum, contactu corporum, & huiusmodi, quibus constituebant iustificationem) confutat, & illorum mendacia repellens ait, Omnia munda mundis, id est, fidelibus & credentibus. de qua re agitur Matth. 15. 1. Timoth. 4. munditia ergo istarum rerum æstimatur ex animo. Formalis (ut dicunt) est hic sermo, de omnibus cibis, uestibus & similibus, quæ in lege Moysi habebantur, loquitur. Omnia, inquit, munda sunt ex Euãgelica libertate apud mundos mente & conscientia. Huiusmodi cùm non ex inquinatione mentis, nec ex infidelitate procedant, non sunt immunda illis. Sed nihil eorum quod inquinationem aut infidelitatem eorum concernit, est illis. mundum, eò quòd ex inquinatione conscientiæ, aut infidelitate, unde procedunt, immunda reduntur illis. Propterea aduersatiuè subiungit, Sed inquinata est eorum mens & conscientia. Mens inquinatur errore circa credenda seu agenda: Conscientia autem inquinatur applicatione ad opus contra regulam rectæ rationis, quæ est conformis ueritati Euangelicæ.

Confitentur se nosse. Occupat & refellit quorundam obiectionem dicentium, Cum de Deo & doctrina sancta sanctè loquantur, qua uia aut ratione hos damnare possumus? Respondet, Hypocritæ sunt, iactant, & profitentur se Abrahæ filios & legis peritos. Sed si opera eorum expenderitis, agnoscetis illa non respondere ijs, quæ tam sanctè pronuntiant.

CONC

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONCILIATIO.

QVID hic Paulus ait, Quam promisit non mendax Deus ante tempora secularia? Cùm Genes. 1. dicatur, & mundum & tempus & creaturas omnes cœpisse. Non hîc Paulus uoluit aßerere reuolutionem motuum cœlorum, quæ est tempus, esse æternam, imò cœpit esse cum mundo, qui creatus est à Deo. Sed uult Paulus ostẽdere quòd ab æterno & ante omne tempus & seculum Deus in seipso decreuit & definiuit dare electis uitam æternam.

Tempus.

LOCVS hic, Omnia munda mundis: pugnantiam habet cum eo quo Act. 15. decretum est ab Apostolis, ut à sanguine & suffocato abstinerent. HOC decretũ non eo factum est quòd sanguis & suffocatum essent immunda: sed quoniam nondum plenè Euangelium promulgatum erat ad extinctionem legis Mosaicæ, ad tempus aliquod hoc sic permissum est ut conuiuentes Iudæi Gentilibus nihil, quod Gentiles manducarent, immundum & abominandum ducerent, & facilius coalescerent. Tandem promulgato Euangelio desineret edictum illud.

DICTIO.

Creta.

CRETA, quæ & Candia dicitur, memorabilis insula mirè quondã corrupta fuit superstitionibus & idololatria. Notißimũ est illud Maronis, Creta Iouis magni medio iacet insula ponto, Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostræ. Diligẽter de hac scripsit Strabo in primis Geog. lib. 10. Plinius, item lib. 4. cap. 12.

Pro personæ uarietate aliter atque aliter docendum. CAP. II.

Senes.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Senes, ut sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patiẽtia. Anus similiter, in habitu sancto, non criminatrices, non multo uino seruientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut uiros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas uiris suis, ut non blasphemetur uerbum Dei. Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: uerbum sanum irreprehensibile: ut is, qui ex aduerso est, uereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes: doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri IESV

Pudici,] graues, id est, honestatem præ se ferentes.
Prudẽtes,] moderati, siue, modesti.
In habitu sancto,] i. eo amictu & incessu qui deceat matronas Deo dicatas.
Vt prudẽtiam doceant] ut sobrias reddant
Castas, sobrias,] ut sobriæ sint, puræ.
Blasphemetur] male audiat.
Cõtradicẽtes,] responsatores.
Fraudãtes:] sufurantes:
Dei saluatoris nostri] uel, Dei salutifera.
Aduẽtum] uel, apparitionem.

Anus.

Seruí. Ephes. 6. a Coloss. 3. d 1. Pet. 2. c

Christus redẽptor noster secundum promissiones uenit.

Christi,

Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

Acceptabilẽ.] peculiarem.

Tu autem. Ac si diceret, Abeant & ualeant isti matæologi cum suis ineptijs, & fabulis. Et quò uehementius ueritatem oppugnare nituntur, tu ardentius prædica sanam doctrinam. Ad hunc modum interpretatur Chrysostomi abbreuiator: Tametsi (inquit) nullam dictis tuis fidem adhibeant, & reprobi sint, tu tamen quod tua interest facito, nihil obtiecas. Tunc doctrinæ est sanitas (ait Hieronymus) cùm doctoris doctrina pariter & uita consentiunt.

Sani in fide. Senibus hoc præcipitur, non solùm quia natura sunt superstitiosi, & morosi (habet enim senectus uitia propria & morbos tum animi tum corporis, quibus iuuentus caret, imò ipsa senectus morbus est) Sed etiam ut ipsi reliquos sanitatem fidei doceant. Sani in dilectione, qui & inimicos diligunt, & pro persequẽtibus orant, iuxta Domini præceptum. Sani in patientia, id est, qui perdurant in omni tentatione usque in finem, nullis cedentes aduersis.

Sanitas in fide.
Senectutis morbi.
Sanitas in dilectione.
Sanitas in patientia.

In habitu sancto. Eo amictu, eoq; incessu & corporis motu, qui deceat sacras matronas. Ambrosius uertit, in statu religione digno: refrens non solùm ad uestitum, sed ad omnem corporis habitum ac gestum. Sic enarrat & diuus Heronymus.

Vt prudentiam doceant. Ademit illis Paulus 1. ad Timoth. 2. & priore ad Corinthios, docendi libertatem publicam, non priuatam & domesticam circa suas filias & adolescentulas.

Domus curam habentes: Id est, domus custodes, ut aßiduè domi sint, & rem domi curent, quæ præcipua uxorũ laus. Vnde Phidias statuarius, autore Plutarcho in præceptis coniugalibus, pinxit Venerẽ testudini pede insistentem, quòd id animal nũquam à domo discedat, symbolũ probæ matris familiâs, quæ optimè rem domesticam dispẽsabit, nil prorsus uel luxui superuacaneis sumptibus & ornamẽtis impẽdẽs.

Mulieris probæ symbolum.

Benignas. Sint benignæ, ut aliqua maritorum uitia tolerent, si qui ipsis inciuiliores & parum humani contigerint. Exemplo sit Abigail uxor Nabal, 1. Regum 25.

Vt non blasphemetur. Si docerent publicè mulieres, si uiris præessent, & huiusmodi, contemneretur lex Christiana, & prima lex, & Dei sententia, qua Deus uoluit mulieres subditas esse uiris.

Teipsum præbe exemplum. 1. Petri 5. forma facti gregis ex animo. Nam nihil prodest aliquem (ait Hierony.) exercitatum esse in dicẽdo, & ad loquendũ triuisse linguam, nisi plus exẽplo docuerit quàm uerbo. Vult ergo Paulus Titum præ se ferre & præstare integritatem animi nullis cupiditatibus corrupti: ut ne hostis quidem habeat quod uitio obiiciat, nisi rubore suffundatur.

In omnibus placentes. Non solùm satisfaciant ac placeant dominis, sed sibi non displiceant, & suam fortunam, qualiscunque est, boni consulant.

Non contradicẽtes. Nõ responsatores, ait Ambrosius. Facilè enim genus seruorum obganniunt respondẽtes, & uerba domini resumentes cum quodam murmure.

Non fraudantes. Supple heros suos, aliquid de bonis illorum decerpentes, ac subtrahentes illis.

Apparuit enim gratia. *Prædicata est hominibus, non Iudæis solùm, sed omnibus hominibus. Apud Iudæos ante Ascensionẽ* IESV *Christi gratia Euãgelica seruabatur: sed postea omnibus manifestata per Apostolos, quibus dictum est, Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangeliũ. Cùm dicitur, Apparuit gratia: ergo ij, quibus apparuit gratia, antè erãt seruitus, tenebræ & peccatũ. Apparuit, inquã, gratia, qua Deum cõsequimur, & saluamur. Neq; otiosa est, Qui nos erudit, qui adhuc omniũ rudes, qui nihil antea audiueramus aut cognoueramus, hæc nos docet, & ruditatẽ omnẽ adimit.*

Impietas.

Vt abnegantes impietatẽ. *Quod Hebræi dicunt Rescha, Latini impietatẽ reddere solẽt quæ propriè significat peccatum, quo Deum colere dedignãtur, hoc est, Deo non credunt, non fidunt, non metuunt. Hi sunt, quibus apparuit, ut impietatẽ hanc abnegent, his non illuxerãt: hac illucescente deprehensæ sunt tenebræ & fugatæ. Abnegamus nos, mortificatis omnibus quæ ad Adam pertinent, ut uiuamus noua & spirituali uita secundũ Christum, & hoc in præsenti seculo, non respicientes ea, quæ iam nobis pereunt, & mortificãtur in hac uia: sed expectantes illa, quæ nunc non uidẽtur, quæ speramus futura in aduentu Domini, cùm uenerit iudicare uiuos & mortuos.*

Secularia desyderia.

Secularia desyderia; *Id est, mundana desyderia. Quo uerbo Paulus complexus est quicquid homines præter modum & rationem tam erga seipsos quàm proximos committunt. Alioqui Latinis seculare dicitur quod centesimo quoq; anno instauratur: ut ludi seculares.*

Seculare.

Sobriè. *Explicat quid agendum circa seipsum: nempe ut corpus castiget, & frugaliter habeat.*

Spes beata.

Beatam spem. *Spem ideo beatam Apostolus uocat, quòd ea adueniẽte, hoc est, re sperata, nos beatitudinem assequamur. Beatam dicens opponit illam huic miseræ uitæ.*

Deus cur magnus dictus.

Magni Dei. *Non quòd alius quispiam Deus sit, qui paruus existat, quia unus solus Deus est: sed quòd ad illum usq; diem, magnitudinem suam, maiestatem & gloriam non declarabit, modò in Euangelio per fidem duntaxat conspicitur. Ea angusta & parua uisio est, qua etiam Deus respectu illius magni aduẽtus, parum & modicè comprehenditur. In illo autem die uisendum se magnum, & in maiestate magna clarè & apertè exhibebit. aut magnus Deus, id est, summus, optimus, & maximus Deus est* IESVS *Christus saluator noster.*

Vt nos redimeret. *Ergo prius captiui eramus.*

Ab omni iniquitate; *Id est, ab omnibus quæ aduersantur legi Dei. Hoc modo complexus est utranq; & spiritus & corporis transgressionem: hoc est, tum impietatẽ, quæ peccatum est spiritus, quàm secularia desyderia, quibus corpore peccatur.*

Peccatum quæ nobis affert incommoda?

Et mundaret. *Duplex damnum afferunt peccata: unum quo captiuant, ita ut ex nobis neq; cognoscamus, ueq; quicquã boni agamus: imò ne resurgamus quidem. Hinc mox alterum sequitur, ut nostra impura sint, & seruitutem ipsam seruiamus: ab ijs omnibus nos liberat sua gratia* IESVS *Christus.*

Christi peculiũ sumus.

Acceptabilem. *Peculiarem & egregium. Ipse enim nos suo sanguine acquisiuit, & per fidem in eum, peculium eius efficimur.*

Sectatorem. *Dixit prius acceptabilem & peculiarem. Oportet enim nos prius esse Christi peculium: hoc est, iustificatos, ut bonorum operum sectatores seu emulatores simus. Sunt enim opera ipsa rami, & fructus iustificationis.*

Cum omni imperio. *Non quòd iubeat, illum esse imperiosum, sed quòd uelit hæc diligenter mandari atq; iniungi populo.*

Nemo

Nemo te contemnat: *Id est, sic uiue & doce, ut te nemo iure contemnere possit. Simile præscripsit 1. Timoth. 4.*

Mansuetudo in increpatione seruanda. CAP. III.

Dicto] magistratui Neminem blasphemare,] nec de quoquã male dicant,

ADmone illos principibus & potestatibus subdítos esse, dicto obedire, ad omne opus bonũ paratos esse: neminẽ blasphemare, nõ litigiosos esse, sed modestos, omnẽ ostendentes mansuetudinẽ ad omnes homines. Eramus enim aliquãdo & nos insipientes, incredduli, errantes, seruientes desideriis & uoluptatibus uariis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicẽ. Cùm autẽ benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secũdum suam misericordiã saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abunde per* IESVM *Christũ saluatorem nostrum: ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundũ spem uitæ æternæ. Fidelis sermo est: & de his uolo te cõfirmare, ut curẽt bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus. Stultas autẽ quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & uanæ. Hæreticũ hominẽ post unã & secũdam correptionem deuita: sciẽs quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condẽnatus. Cũ misero ad te Arteman aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolim: ibi enim statui hyemare. Zenã legisperitũ & Apollo solicitè præmitte, ut nihil illis desit. Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios: ut non sint infructuosi. Salutant te, qui mecum sunt, omnes. Saluta eos, qui nos amant in Fide. Gratia Dei cum omnibus uobis. Amen.

Fidelis] indubitatus

1. Timoth. 1. c

1. Timoth. 1. b
2. Timoth. 2. d

Deuita:] omitte:

Hæreticũ] Sectarum autorẽ, uel, defectorẽ.

Deuita:] Reijce:

Hæreticus.

Proprio iudicio] per se

Opera.

Admone illos. *Vbique statuit Paulus, ut se principibus subdant. Quod quidem præceptum propterea putat Hieronymus editum: quia Iudæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc uigebat, & habebat plurimos sectatores, cuius mentio fit Act. 5. surrexit in diebus census Iudas Galilæus, qui proferebat, nullum debere dominum, nisi solum Deum, uocari, & eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis intantum creuerat, ut etiam Phariseorum & multam partem populi conturbaret, ita ut ad Christum referretur quæstio hæc, Licet Cæsari dare tributum an non? Quibus Dominus, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, Marci 12. Lucæ 20. Cui responsioni correspondens Paulus ait, Admone illos, principibus, & potestatibus subditos esse. Sed consydera quod*

Iudæ Galilæi dogma.

Obediendũ superioribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subditur,Dicto obedire ad omne opus bonũ.Si bonũ est quod præcipit,obedito. Si malum est,& contra Deum,nolito,sed respondeto quod respondit Petrus Act.5.Obedire oportet Deo,magis quàm hominibus.Hoc ipsum & de seruis intelligamus apud dominos,& de uxoribus apud uiros,& de filijs apud parentes.His addit Paulus neminem blasphemare,de quoquam ne maledicat.Non litigiosos:id est,ne sint rixosi,cõtentiosi & pugnaces,sed multa tum humanitate,tum mansuetudine ornati.

Eramus enim aliquando. Hortatur Titum Paulus suos admoneat ne animos despondeant:nec desperent,licet peccauerint,argumento à paradigmate sumpto. Scis quales nos aliquando fuerimus,quales nũc sumus. Exhortare similibus implicitos erroribus atq; peccatis,ut resipiscant,& uitam suæ regenerationis respondentem uiuant.Videant,quòd pro insipientibus sapientes,pro incredulis & errantibus credẽtes & in uiam iustitiæ reducti sumus,quòd item pro seruientibus desiderijs ac uoluptatibus carnis,in Iustitia spiritus uiuamus,& deniq; quòd pro malitiæ operibus in dilectionis operibus ambulemus,pro inuidis benefici,pro odibilibus amabiles.Anteà eramus cæci: at ubi benignitas Dei nobis illuxit per Euangelij prædicationem, salui & puri facti sumus.Idq; totum est misericordia Dei,& non nostro opere.

In malitia & inuidia: Id est,pugnaces & contentiosi,siue contra principes, siue alios.

Cùm autem benignitas. Cùm incarnatus est unigenitus,& similis nobis factus est.Aut humanitas dici potest amor & affectus erga homines.Hieronymus demonstrat,in hoc capite distinctim exprimi tres personas:Cuius hæc sunt uerba,Diligẽtius (inquit)attendamus, & inueniemus in præsenti capitulo manifestissimã trinitatẽ. Benignitas quippe & clementia saluatoris nostri Dei,non alterius quàm Dei patris,per lauacrum regenerationis,& renouationẽ Spiritus sancti, quẽ effudit super nos abundè per IESVM Christum saluatorem nostrum,uiuificauit nos in uitam æternam.

Non ex operibus iustitiæ. Sentit hîc Paulus de operibus legis Mosaicæ, de quibus multa scribit Romanis.Quanquàm Orthodoxi de omnibus operibus hominum interpretantur.

Per lauacrum. Id est,per baptismum,quo secundò nos nasci & creari oportet. Obseruent ex hoc loco aduersarij,per sacramenta ecclesiæ gratiam conferri nobis, ut planè agnoscamus hanc renonationem & regenerationem esse spiritalem.

Quem effudit in nos. Ita effudit,ut nihil nobis desit habentibus Christum, apud quem,& in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei.Abundè dat spiritũ,dum per spiritum reuelat omnẽ ueritatẽ:id est,omnia,quæ nostra intersunt ad salutẽ. Obserua uerbum Effudit:alludit enim ad baptismum:quia quæ humida sunt,effundere solemus. Abunde,id est,opulenter,ait Hieronymus. Augustinus ad Valentinum legit,ditissimè.

Secundum Spem. Nondum hanc sumus consecuti uitam æternam, sed speramus,& in spe habemus.

Fidelis sermo. Indubitatus sermo pastorũ mentes confirmat,ne quid dubitent, de his quæ tradidit hactenus,nempe de gratia iustificante,de officijs pietatis.

Hæreticum. Hæretici hi sunt,ait D.Ambrosius,qui per uerba legis legem impugnant.Proprium enim sensum uerbis astruũt legis,ut prauitatem mentis suæ legis autoritate commendent.Genius hæretici est,uidelicet impijs opinionibus & doctrinis factiosis in ecclesia Christi, qui suæ sententiæ nimium inhæret,& suis placitis nimiũ fidit,adeò ut nulli cedat,& à nemine se abstrahi ab impia sententia patiatur,quanquã reuictus de errore:& impietate opiniõis,atq;,ut paucis dicã,sentit pertinaciter cõtra

dogmata Christiana, & Christianum se simulans nititur alios in suas impias opiniones pertrahere.Quales sunt qui aduersus sacrosanctam Eucharistiam & sacramenta, ecclesiæ ornamenta, & peccatorum medelas non solùm prædicauerunt, sed & impiè scripserunt.

Proprio iudicio condemnatus. Tam manifestus est error eius, ut nullam sui erroris excusationem habeat:quippe qui fuerit semel & iterũ admonitus, & optimè institutus.Aut per se condemnatus, qui pertinaciter dissideat ab omnibus. Aut damnatus,etiam si nemo iudex de illo pronuntiet.

Cùm misero ad te. Aperit quàm magnum scelus est,ecclesias suis spoliare pastoribus,nisi alios substitueris fideliores.Quamobrẽ noluit Paulus Titum relicta Creta ad se uenire,priusquàm uel Tychicum uel Artemam substituisset:ne Cretenses nuperrimè Christiani cura pastoris uigilantissimi destituerentur.

Præmitte ut nihil illis desit. Id est, da diligentissimam operam ut suppeditetes commeatum & uiaticum quod ad perfectionem pertinet. Hospitalitatis & humanitatis est,uiaticum commeatumq; abeunti suppeditare.

Discant autem. Occupatio est.Dicet fortassis Titus, Non habeo quod istis suppeditem.Respondet Paulus,Discant autẽ.Ac si dicat,Si beneficia humanitatis præstantur ab Ethnicis ut abeunti commeatum suppeditent,æquum est ut nostri,qui Christum profitentur,discant talibus officijs uti, hoc est, quæ ad necessarios uitæ usus pertinent peregrinãtibus pro Christiana pietate suppeditare.His, ergo, meo iudicio,hoc cõtextu,iubet eleemosynas precari & colligere ad necessarios usus pauperum.

DICTIO.

LAVACRVM, penultima producta, balneum est, in quo quis lauari commodè potest.Vide Aulum Gellium in Noctibus Atticis. Lauacrum.

NICOPOLIS, Thraciæ ciuitas,à uictoria, qua Augustus Antonium Cleopatramq; deuicit,ut indicat Hieronymus. Theophylactus scripsit eam imminere Histro flumini. Nicopolis.

ZENAS, olim legis Mosaicæ professor & peritus,pòst insignis præco Euãgelij. Zenas.

ARTEMAS, interpretatur integer,incolumis,& uenustus. Artemas.

Finis epistolæ ad Titum,cui Beatus Paulus
scripsit ex urbe Nicopoli, quæ in
Actiaco littore sita est.

Loci ex Epistola sequẽti,quibus obseruari potest quàm magni fructus sequuti fuerint ex Onesimi fuga.

1 Intendere debemus animum gratia profectus & utilitatis, his, quæ abiectiora & infima uidentur.
2 Si seruus fur conuersus est ad fidem, despondere animum non debemus de salute nostra,tametsi peccauerimus,cùm simus filij adoptionis.
3 Non sunt serui inuitis dominis subtrahendi sub pietatis prætextu.
4 Serui tametsi sint serui, non ueniunt contemnendi, si animi dotibus sint ornati:cùm filium Onesimum Paulus appellet, qui esset seruitute obstrictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA BEATI PAVLI AD PHILEMONEM.

Commendat Paulus Philemoni, fidelem suum ministrum Onesimum.

PAVLVS uinctus Christi IESV, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Apphiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est, gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV Christo. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciẽs in orationibus meis, audiens charitatem tuam & fidem quam habes in Domino IESV, & in omnes sanctos, ut communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitione omnis operis boni in uobis in Christo IESV. Gaudiũ enim magnũ habui & consolationem in charitate tua, quòd uiscera sanctorum requieuerunt per te frater. Propter quod multam fiduciam habens, in Christo IESV imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & uinctus IESV Christi. Obsecro te pro meo filio, quem genui in uinculis, Onesimo: qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis: quem remisi tibi. Tu autem illum, id est, mea uiscera suscipe: quem ego uolueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij: sine consilio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonũ tuum esset, sed uoluntarium. forsitan enim ideo discessit ad horam à te, ut æternùm illum reciperes: iam non ut seruum, sed pro seruo charissimum fratrẽ, maximè mihi, quantò autem magis tibi, & in carne & in Domino? Si ergo habes me socium: suscipe illũ sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam: ut non dicam tibi quòd & teipsum mihi debes. Ita frater, ego te fruar in Domino. Refice uiscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam

Adiutori] Collegæ

Charitas. Fides.

Opera.

Euidens] Efficax

Requieuerunt] Refocillata sunt

Ad rem pertinet:] Est decẽs, conueniens. Sis] Sim

Onesimus doctus à Paulo Christum.

Cõsilio autem tuo] Sententia autem tua

Pro seruo] Vel, supra seruum

niam & super id, quod dico, facies. Simul & para mihi hospitium. Nam spero per orationes uestras donari me uobis. Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo IESV, Marcus, Aristarchus, Demas & Lucas, adiutores mei. Gratia Domini nostri IESV Christi cum spiritu uestro. Amen.

Paulus uinctus. *Quanquàm cõsilio diaboli à Nerone Paulus esset uinctus, & peteretur ad mortem, tamen hanc gloriam dat Deo: ut nihil potentiæ adscribat uel diabolo uel mundo. Non enim se scribit uinctum Cæsaris, sed uinctum IESV Christi, ob cuius Euangelium captus fuerat, sine cuius uoluntate uinciri non potuisset.*

Euidens fiat. *Vt cõmunis fides tua, id est, quam ego & tu habemus, fiat euidens, id est, efficax in agnitione omnis boni, quod est in uobis erga Christũ IESVM, id est, eò crescat & prouchatur, ut agnoscatis omne bonũ, quod uobis per Christum cõtigit. Eandem sententiã puto, quam scribit Paulus ad Ephes. 1. Vt (inquit) Deus (Domini nostri IESV Christi pater) gloriæ, det uobis spiritũ sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, &c. intelliges ergo ex hoc & illo loco, quæ per Christũ donata sunt nobis.*

Gaudium enim magnum. *Quod præcessit coniungendum est, Gratias ago, &c. Quare? Vt communicatio fidei, &c. Rursus, gratias ago, quia gaudium habemus multum, &c. Christiana Charitas, iugiter orat pro illuminatione aliorum, & de profectu gaudet.*

Viscera sanctorum requieuerunt: *Id est, sancti ipsi refocillati sunt. Propterea magnæ consolationi fuisti sanctis egẽtibus, ipsis necessaria præstando. Hoc idioma apostolicum est, ut semper uiscera uocet internum cordis affectum, uolens plenam mentis charitatem ostendere.*

Cùm sis talis, ut Paulus senex. *Sentit se, quum id, quod æquum erat, suo iure potuisset imperare Philemoni, nempe Paulus, & senex, postremò uinctus IESV Christi, maluisse tamen uti precibus, memorem charitatis potius quàm autoritatis. Quasi diceret, Vel ipsa mea submissio, qua me & senem & uinctum affero, te moueat, ut tuo quoque iure cedas.*

Obsecro te pro meo filio. *Non dicit pro seruo meo, ut etiam non tam seruum quàm ipsum Paulum uideatur recipere Philemon. Quod filio fit, pater sibi factum iudicat.*

Quem genui in uinculis: *Id est, cùm essem catenis deuinctus, effeci ut baptismo abluerctur. Hunc non dico seruum, sed meum filium. Mitigat his uerbis Philemonem fortasse adhuc iniuria lacessitum de pecunia sua furto accepta ab Onesimo. Chariorem hunc habebat, quòd in angustia & periculo eum genuerit: sicut mulieres plus diligunt filios, quam maiori dolore & periculo enixæ sunt.*

Onesimus baptizatus Paulo in carcere existente.

Qui tibi aliquando. *Antea fuit infidelis tibi, negligens operæ, fortè & aliquid furatus. Nunc autem fides talia non permittet. Addit uerò ut rem augeat, tibi & mihi perutilis: alludens ad nomen serui. Onesimus enim Græcis utilis dicitur. Quasi diceret, Hactenus non rectè Onesimus dictus, in posterum autem dabit operam, qua uerus sit Onesimus, id est, utilis.*

Onesimus, id est, utilis.

Tu autem. *Paulus Philemonem appellitat sua uiscera, id est, affectus cordis intimos & unicè charum filium.*

Vt ne uelut ex necessitate. *Huius opera mihi necessaria erat: malui tamen hunc remittere ad te, ne te inconsulto, quicquam agere uiderer, & quasi coactus, & nõ ultro uidereris mihi hanc gratiam feciſſe.*

Forsitan enim. *Occupatio est. Dicet fortaſsis Philemon, Ego'ne fugitiuum reciperem? Respondet Paulus, Seceſsit, fateor, atqui ad horam & ad breue tempus. Seceſsit fortaſsis. Adiecit particulam, fortaſsis, quia temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. Seceſsit redditurus, ut æternùm eum reciperes. Ac si diceret Paulus, Quòd fugerit nihil spectes, sed expende quanto ad te cum fructu redeat, & quantæ salutis occasio ea sibi fuga fuerit.*

Tibi & in carne: *Id est, in carnalibus ministerijs, amore est dignus, quippe qui sit & ad consolandum idoneus.*

Et in Domino: *Id est, in spiritualibus rebus.*

Scripsi mea manu. *Vt cautior sis & certior, me tibi id debitum aliquando persoluturum, ecce habes & literas mea manu conscriptas. Adscribe hoc in debitum meum. In hoc habes hic meum chirographum. Qui melius nosti quanta mihi debeas, non hoc tantùm debitum, sed temetipsum quoq;. Nam Paulus Philemonem uitæ restituerat. hoc est, Christianum fecerat.*

Ita frater, ego te fruar in Domino. *Ita, hic adfirmantis aduerbium est. Ambrosius addit sic: ita frater sic ego te fruar in Domino. Est autem uox obtestantis fratrem, aut filium, quam optamus nobis esse uoluptati, quasi nihil sit nobis illius fruitione dulcius. Per eam igitur adiurat Philemonem.*

Confidens in obedientia. *Multis uerbis non agam tecum. Non diffido charitati tuæ. Scio enim te hac in re plus præstaturum quàm abs te peto. Imò quod te mihi impendisti hactenus.*

Simul & para mihi hospitium. *Beatus Hieronymus credidit, ideo feciſſe Apostolum mentionem hospitij, ut citius expectans quod rogatus fuerat Philemon faceret. Addit salutantium nomina, qui omnes cum Paulo pro Onesimo Philemonem deprecabantur. Tam enim illis Onesimi integritas erat perspecta, ut pro ipso fideiuberent, aperientes quanto desiderio cupiebant Onesimum benignè à Philemone excipi, & in eius gratiam redire.*

DICTIO.

Philemon. PHILEMON *penultima producta in recto, in obliquis corripit eandem. Græci tradunt hunc genere Phrygem fuiſſe, quam nationem intractabilem ac seruilem esse uel Græcis prouerbijs iactatum est. Phryx plagis emendatur. Et, Serò sapiunt Phryges, imò ictus sapit. Quem tamen diuus Paulus ob pietatem & officia in sanctos, inter præcipuos habuit amicos. Hic secundum Hebraicam etymum interpretatur mirè donatus, siue òs panis, ab ore non ob osse, si Hieronymo in hunc locum credimus. Chryſostomus putat Philemonem Coloſſensem. Diuus Ambrosius hunc putat Philemonem è plebe uirum fuiſſe nulla ecclesiasticæ ordinationis præditum dignitate. Sed apparet Philemonem uel episcopum fuiſſe Coloſſensium, uel Euangelij prædicatorem, quòd hoc loco Paulus non ut fratri, sed adiutori scribat. Cooperarium dicit in prædicanda Euangelij ueritate.*

Apphia. APPHIA *uxor & coniunx pudicißima Philemonis, Paulo tanquam soror unicè dilecta.*

ARCHI

ARCHIPPVS *Pauli commilito, quòd in ijsdem castris Deo seruiat per ministerium Euangelicum. Latinè præfectus siue princeps equorum dici potest.* Archippus.

ONESIMVS *interpretatur utilis, seruus fugitiuus Philemonis. Hac epistola Philemoni conciliatus tandem, ut tradunt, palmam martyrij Romæ meruit.* Onesimus.

ARISTARCHVS *Latinè optimus princeps.*

EPAPHRAS, *Coloſſensis erat.* Aristarchus. Epaphras. Demas.

DEMAS, *adis, socius Pauli, & coadiutor in promulgando Euãgelio: Hic à Paulo postea defecit, 2. Timoth. 4. Demas enim me reliquit diligens hoc seculum.*

FINIS.

E` Roma missa est hæc epistola Pauli ad Philemonem per Onesimum seruum.

STATVS EPISTOLAE PAVLI AD HEBRAEOS.

Christus Deus rex & Pontifex, eoq; habenda illi in omnibus indubitata fides.

DE AVTORE HVIVS EPISTOLAE.

EST *opinio quorundam hanc epistolam nõ esse Pauli, eò quòd ornatior est uerbis quàm cæteræ huius Apostoli. Sunt qui Lucæ ipsam tribuunt: nonnulli autorem eius faciunt Apollo, quem Lucas in Actis prædicat potentem fuiſſe in scripturis ad reuincendos Iudæos, Act. 8. Aduersus hos faciet satis Censura sacræ facultatis theologiæ Parisiensis, cuius uerba adscribã. Hæ duæ propositiones, (de epistolæ ad Hebræos autore semper est dubitatũ, & ipse, ut ingenuè fatear, adhuc dubito) arrogãter & schismaticè asseruntur, contra usum & determinationem Ecclesiæ in multis concilijs, Niceno, Laudicensi, Carthaginensi tertio, cui adfuit Augustinus, & in concilio septuaginta episcoporum præside Gelasio. Hoc insuper liquet: quia autor huius epistolæ dicit illam se misisse per Timotheum fratrem suum, cuius legatione in quibusdam alijs epistolis solebat uti Paulus. Idem etiam demõstrat beatus Petrus, qui in fine secundæ Canonicæ ad Hebræos destinatæ, quibus & primã miserat, eisdem dicit scripsisse charissimum fratrem suum Paulum. Magnus item Dionysius quædam ex hac epistola ad Hebræos citat, tanquam à Paulo præceptore suo deprompta. Idem similiter comprobant Clemens primus, Innocentius primus, Ambrosius, Chryſostomus, Gregorius Nazianzenus, Damascenus, Isidorus, & alij multi catholici doctores. Nec uerum est, semper dubitatum esse de autore huius epistolæ ad Hebræos: cùm scribat Origenes quòd ante tempora sua antiqui & maiores eam, ut Pauli Apostoli, suscipiebãt. Mira autẽ arrogantia atq; pertinacia est huius scriptoris, quòd ubi tot catholici doctores, Pontifices, concilia, declarant hanc epistolam esse Pauli, & idem uniuersalis ecclesiæ usus ac cõsensus cõprobat, hic scriptor adhuc dubitat tanquã toto orbe prudentior. Hactenus facultas. Cui admodum conformis est Theophylactus: cuius uerba & sententiã adponam. Non possum equidem (inquit ille) non admirari multorum hominum impudentiam. qui cùm intelligant per epistolæ huius exordium fuiſſe tot hæreses confutatas, haud tamen*

men desistant, asserere epistolam hanc Paulo non cõuenire, ceu à cæteris epistolis alienam. Velim tamen hos nõ esse nescios epistolæ huius & sensuum profunditates, & uim illam inconfutabilem, nullius alterius esse posse nisi Pauli, qui Christum haberet in se loquentem. Quòd si dicendi modus illos offendit: intelligant Paulum Hebraica lingua hanc ipsam dictitasse epistolam, ut qui ad Hebræos haberet sermonem, & unum aliquem è suis contubernalibus in Græcum uertisse: & plerique Lucam hanc transtulisse ferunt, aut Clementem, cuius etiam in ea uel stylus seruetur. Nec secus hi peccant qui hanc esse Pauli epistolam negant, quàm si à Paulo abesse Christum negarent. Hactenus ille. Tacuit in præfatione Paulus nomen suum, nimirum cui præter cæteros, incredibili odio Iudæi succensérent, quòd tam subita & insperata conuersione ostenderet Christi potentiam inexpugnabilem, ex Saulo factus Paulus, lege antiquata Christum unicum amplexatus, eundem feruentissimo zelo prædicaret, & ceremonijs legis, modis omnibus aduersaretur.

LOCI INSIGNES.

1 Aliter patribus, aliter nobis Deus est loquutus. Cõfert prædicatores Paulus & auditores inter se. Patres & nos auditores sumus, Prophetæ & Christus prædicatores. Nobis prædicat filius, Patribus prædicarunt serui. Cap. I.
2 Christus Pontifex noster. Cap. III. IIII. V. VII. & VIII.
3 Decet ex scripturis Christum non solùm Moyse, sed etiam angelis (per quos ille legem accepit) longè esset superiorem. Licet propter nos ad breue tempus in passione modico quàm angeli minoratus sit, secundum illud, Minuisti eum paulò minus, &c. Ideoq; hoc infert, si quæ per angelos & Moysen data sunt nõ potuerunt negligi sine ultione Dei, multò minus inultum erit si quis contempserit Christi sermonẽ. Cap. I. II. & III.
4 Sabbathum & requies Christianorum. Cap. III.
5 Conformandus Pontifex Christo sacerdoti. Cap. V. & ab eo deficientes nulla alia hostia expiantur quàm Christi. Cap. VI.
6 Sacerdotium ueteris legis & sacrificia & reliqua sacra, sacrificio Christi sacerdotis nostri secundum ordinem Melchisedech, & sacrificio in cruce semel oblato & altari & templo nequaquan conferenda: Quoniam in illis figuræ & umbræ, in his ueritas, quorum gratia cessant illa. Atque de hoc Christi pontificatu ex scripturis dignissimè cum magna nostrarum conscientiarum consolatione tractat. Cap. VII. VIII. IX. & X.
7 Ex scripturarum exemplis egregiè fides commendatur. Cap. XI.
8 Ad patientiam & mores Christianos exhortatio. Cap. XII. & XIII.

DOCEMVR *in hac epistola (ut in summa dicam) Christum nunc unicum magistrum nostrum audiendum. Hoc probat primum à dignitate Christi: Deinde à periculo non audientium: postea à præmijs audientium illum. Adhæc hortatur, ut fidem cum summa patientia consecuti nullis periculis patiantur se euerti: additis multis exemplis. Postremò ad charitatem & pacem hortatur: & cum primis ad sanctimoniam uitæ, sine qua nemo Deum uidere potest. Hoc det nobis Deus per Christum ut credamus nobis dicta, & eadem ad ipsius gloriam custodiamus. Amen.*

EPIST

EPISTOLA BEATI PAVLI AD HEBRAEOS.

Iesu Christi sublimitas. CAP. I.

MVLTIFARIAM multisq; modis olim Deus loquẽs patribus in prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem uniuersorum, per quẽ fecit & secula. Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filiũ autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga æquitatis uirga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, præ participibus tuis. Et, Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes ut uestimentũ ueterascent. Et uelut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem angelorũ dixit aliquando, Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Non'ne omnes sunt administratorij spiritus, in ministertum missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?

Figura] expressa imago. Portansq;] moderatúrq; Melior] uel, præstantior Differẽtius] excellentius Hæreditauit.] sortitus est.

Per prophetas locutus Deus.

Hæres. Sapien. 7.d

Purgatio peccatorum.

Christus maior angelis. Psal. 2.b 2. Regum 7.b

Psal. 96.c

Psal. 103.2

Psal. 44.b

Præ participibus tuis.] ultra cõsortes tuos.

Psal. 101.d

Mutabis] circumuolues, uertes.

Psal. 109.a 1. Corint. 15.d

Angeli, Dei ministri.

Deus. *Sublimi & iucundo exordio apud Hebræos dicturus, certè ut auditorum duros aliâs & iniquos Christi negotio animos demulcet, totius negotij Euãgelici summam paucis perstringit, Patribus quidem missos esse prophetas, nobis autem filiũ Dei. Quo alio iucũdiore exordio auditorũ corda ad præstãdas aures excitare potuit, quàm statim in ipso limine, intonando, Deum, qui patribus (iocundũ enim est filijs præclara*

maiorum

maiorum monimenta audire) loquutus, etiamnum loqui nobis: idq; sublimiori modo, non per ministros & angelos, sed per filium suum, temporeq; nouissimo, ne quis alium præter hunc doctorem expectet.

Multipharíam & multis modis, &c.

Multifariam multisq; modis. Hæc duo uerba ita discernanda putauerim, ut multifariàm ad multitudinem prophetarum referas. Nam cum multi prophetæ fuerint, & prioribus alij successerint, & ita non per unum, neque uno tempore, omnes prophetiæ factæ sint, rectè dici potest, Deum patribus loquutum multifariam, uel sæpius, per prophetas. Illud autem, multisq; modis, significare existimo Deum etiam per unum prophetam, nedum per multos, alio & alio modo loquutum. Interdum in figura lapidis, Danielis 2. Vidisti quod de monte abscissus est lapis, &c. Interdum per scripturam, Danielis 5. cap. Apparuerũt digiti, quasi manus scribentis, in pariete. Esai. 6. cap. uidit Dominum sedentem super solium excelsum. Ieremias 1. cap. uidit ollam succẽsam & uirgam uigilantem. Diuersis præterea auxilijs patres iuuit, cùm eos eduxit ex Aegypto, cùm sicco pede transire fecit sinum Arabicum. Aut multifariam, id est, diuersis temporibus. Multis modis, id est, nũc apertis uerbis, nũc figuris, alijsq; reuelationibus. In prophetis, id est, per prophetas.

Dies nouissimi.

Nouissimè diebus istis. Ac si dicat, Cum nihil esset reliquum ad emendationem temporis, sed cruciatibus eßemus & pœnis obnoxij, tunc demum ipsi bonis affluximus, & cœptum est etiam uim cœlis inferre: dicente Christo Matth. 11. A diebus autem Ioannis Baptistæ usq; nũc cœlum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Quanquam ante Christum alijs & alijs modis loquutus sit, & multoties per uarios prophetas. Nunc semel in uno filio, prophetarum Domino, & prophetiarum completore, loquutus est, & uno modo. Idq; quod loquutus est, ad finem usque seculi prædicandum commendauit. Vnde ait, Nouißimè istis diebus. Et 1. Corinth. 11. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec ueniat. Ergo ad finẽ usq; mũdi de morte Domini, & his, quæ ex morte & resurrectione eius uim habent, prædicandum est. Neque expectanda est alia docendi forma uel ratio. In his quæ præmisit prima pars enthymematis est, & deinde post insertum longum hyperbaton de dignitate filij Dei, inuenitur secunda pars seu illatio enthymematis in principio secundi capitis. Ratiocinatur tali enthymemate, cum per uaria loquutionum genera, uariosq; modos olim loquutus sit Deus, & nunc multò sublimiore modo per filium loquutus est nobis. Propterea (ait 2. cap.) abundantius oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus. Verborum Pauli sensus est: Equidem Deus olim se orbi aperuit per prophetas: nunc uerò hisce proximis diebus loquutus est nobis per filiũ. Huc pertinet simile ex parabola quam Christus Matt. 21. dixit, quod paterfamilias dominus uineæ miserit seruos ad agricolas, qui ex illis alios ceciderunt, alios occiderunt, alios lapidarunt, nouißimè uerò miserit ad illos filium suum dicens, Reuerebuntur filium meum. Hoc est enim ultimum refugium. Obserua: Dies aduentus & prædicationis Christi dicuntur nouißimi dies ac uespera, 1. Ioannis 2. Filioli, nouißimum tempus est. Ad Galat. 4. Vbi uenit plenitudo temporis &c. Esa. 2. Erit in nouißimis diebus præparatus mons domus Domini, in uertice montiũ reuelabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

Christus prophetarum Dominus.

Loquutus est. Adducit sermonis sublimitatem, argumẽto à dignitate personæ loquentis sumpto. Multum enim refert, quis sit qui loquatur. Quis autem dignior filio Dei, qui eiusdem est cum Patre autoritatis? Alludit ad morem prophetarum dicentium statim

statim ab exordio, Hæc dicit Dominus, Loquutus est nobis in filio. Quia ipse quatenus homo, organũ erat Dei sicut prophetæ, sed nõ solùm organum ut prophetæ, sed etiam Deus. Ita Ioan. 7. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me, & cap. 8. A meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor. Obserua: Loqui Dei, est inuisibiliter absq; sono uocis, in mentibus sanctorum uoluntatem suam atq; rectum intellectum inspirare seu futura sicut sanctis Prophetis, reuelare. Vnde Dauid Psal. 84. Audiã quid loquatur in me Dominus. Et Iob 4. Ad me dictum est uerbum absconditum, & quasi furtiuè susceptum auris mea uerba susurrij. Est aliàs uerbum æternum Dei. Est & alia temporalis loquutio, quæ non est Deo tribuenda crasso modo. Nã cùm Deus dicit Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux. præcepit sua autoritate & uoluntate ut prodeat & incipiat in tempore quod ab æterno suam rationem & Idæã ipsam habebat, & aliquando incipiendum erat. Ad hunc modum Dauid Psal. 32. interpretatur dicens: Ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sed de his nunc non est sermo. Multa sunt alia locutionum genera, de quibus paulò antè diximus.

Quem constituit. Occupatio est, qua præoccupat obiectiunculas. Rogabit aliquis, Quem, ô Paule, filium hîc prædicas? Non'ne Israëlitæ omnes prophetæ filij Dei sunt, Vt Esaiæ 1. Filios exaltaui & enutrui, ipsi autem spreuerunt me. Et Psal. 81. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Audiamus Paulum summa magnificentia, eminentiam & præconium IESV Christi, eiusdemq; abstrusa mysteria depromentem, imò hac in re ne Ioanni quidem illi trismegisto Euangelistæ cedentem. Non est mihi hoc loco (ait) de filijs adoptionis habendus sermo, sed de naturali, coæterno, coæquali, & supra modum digno, per quem alij in filios adoptantur. Quẽ constituit hæredem uniuersorum, id est, Deus hunc præfiniuit etiam ante rerum initia, ut omnes saluandi, in solo nomine IESV salui fiant. Ipse ergo est hæres qui naturalis est filius, & nos sumus hæreditas eius, quia electi in ipso & donati ei à patre. Ex quo colligimus ipsum esse naturalem & germanum filium Dei. Non enim ab æterno ordinatus esset hæres, si ab æterno non esset filius. Sed quia naturalis filius, debetur ei hæreditas. Rogabit aliquis, quomodo est hæres uniuersorum, & quæ sunt illa omnia? Certè non moritur ille pater, ut succedens filius mortui bona occupet. Sed quemadmodum Pater totam suam naturam ac diuinitatem in filium transfundit, eò quòd filius natura Deus est, ita filius externa omnia, utpote gloriam, opera, electos, cum Patre communia habet. Igitur omnes qui in libro uitæ scripti, ijdem & Christo in hæreditatem donati sunt. Nam Ioan. 5. Opera quæ facit pater, eadem facit & filius. Omnes qui honorificãt Patrem, honorificant & filium. Ratione naturæ humanæ, qua homo factus est filius Dei, constitutus est hæres uniuersorum, id est, mundi totius Dominator effectus. Hæredis utitur nomine, (ait beatus Ambrosius in hunc locum) ut duo quædam per hoc astruat & ostendat, quòd proprius sit filius, quòd Dominationis illi nulla contingat amißio. Regnum hoc illi demandatum est, cui uel inuiti obediunt omnes: sicut scriptum est, Vniuersa seruient tibi. Equipollent hæ duæ orationes, Christus est hæres uniuersorum, & Filio subdita sunt omnia.

Filius Dei æternus.

Per quem fecit & secula. Nunc Paulus ad Christi perpetuam dignitatem ostendendam transcendit. Cùm filius secula fecerit: ergo & ipse est ante secula. Ipse erat in principio. Sed nihil erat neq; est ante principium, cùm non sit principium ante principium: Ergo filius est coæternus patri. Obiter dixerim, seculum dici spatium rei temporalis, Secula ergo sunt successiones temporum. Non solùm igitur fecit angelos,

Seculum.

sed etiam

Universidad de Deusto Biblioteca

sed etiam temporalia, quæ hic uocat secula. infrà 11.cap. fide intelligimus aptata esse secula. Sicut ergo nos in illo elegit, ita per illum & secula fecit. Plus dixit, per quem fecit & secula, quàm si dixisset, per quem fecit cœlum & terram. Vult enim nullum seculum esse & nullum instans temporis quod pater non per illum creauerit. Ambrosius de fide contra Arrianos lib. 5. sic exponit, Disce quòd non solùm præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt. Sicut scriptum est, per quem & secula facta sunt. Secula enim & præterita & præsentia & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt, quæ futura sunt, nisi quia operatoria uirtus est, scientia comprehendens numerum omnium seculorum? Sicut enim uocat quæ non sunt tanquam sint, sic & fecit quæ futura sunt, tanquam quæ sunt, quia non contingit ut non sint, sed necessariò sunt futura, quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere quo sunt futura cognouit. Obserua, cùm dicit, per quem fecit, notatur essentiæ unitas & personarum distinctio. Alius enim est qui facit, & alius per quem aliquid fit, & etsi non sit aliud. Quia una & eadem est essentia patris & filij & Spiritus sancti, diuersæ autem personæ. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Vnde dicebat ille in Euangelio, Ego & pater unum sumus. Non ait, unus. Sunt tamen tres personæ unus Deus.

Filij Dei magnitudo.

Qui cùm sit splendor gloriæ. De magnitudine filij Dei disserit. Diuersam à patre personam uocat filium in diuinitate. Deus est gloria, filius est splendor huius gloriæ, imò est gloria gloriæ patris, per omnia patri similis, non alterius, sed eiusdem substantiæ, ut sequentibus declaratur. Et figura substantiæ. Idcirco Christus est omnipotentia patris, sapientia patris, iustitia patris, &c. A' patre quidem genitus, sed tantum naturalis Deus ut pater', atque adeò cum patre unus Deus. Gloriæ splendorem hunc dicit, ut planè intelligas filium à patre sine passione nasci & esse nihil imminutum, nec patre ipso inferiorem & eiusdem substantiæ, hoc est de lumine lumen. Hic locus Hebraismum sapit. Splendor gloriæ, id est, splendor gloria, seu splendor qui est gloria. Splendor à lumine. Splendor lumen est. Lumen igitur filius à lumine patre, ut est in symbolo, Lumen de lumine. Frequens est hic modus loquendi in sacris, Spiritus sanctificationis & iustificationis, id est, sanctificatio & iustificatio nostra est ipse spiritus.

Gloriæ splendor, filius.

Et figura substantiæ. Occupatio est. Ne occasionem forsitan Marcellus & Sabellius nacti asserant, non esse filium in propria apud patrem substantia, ait Paulus, Et figura substantiæ eius est ille, id est, quemadmodum pater ipse per se constat, & nullius ad perfectionem indiget, ita & filius. Quam hic figuram nominat, ad Philip. 3. formam dicit: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo. forma illhic, & figura hic, unam declarant æqualitatem essentiæ. Ioan. 10. Ego & pater unum sumus. Ioan. 14. Ego in patre, & pater in me est. Hæc forma imago est non accidentis, (quia in Deo nullum est accidens) sed substantiæ patris. Est ergo filius eadem cum patre substantia seu essentia.

Christus Iesus figura substantiæ patris.

Portansq; omnia uerbo. Declarat Paulus quàm omnia consistant robore, ui & potentia Christi. Christus IESVS sustentat, & in suo esse conseruat omnia uerbo & imperio suo, uel etiam nutu suo efficacissimo & potentissimo. Tropo enim Hebraico uerbum potentiæ uel uirtutis idem est quod uerbũ efficax ac potens. φέρων exponо simpliciter, sustentans omnia, quasi gestans in manibus: ut in Psal. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: Auertente autem te faciem, turbabuntur. Ex his colligamus, Qui sustentat omnia, super omnia est. Sed Christus sustentat omnia, ergo

Christ⁹ omnia gubernans.

Psal. 103.

ergo super omnia est. Qui super omnia est, Deus est. Ergo Christus Deus est. Sentit ergo hic Paulus non solùm mundum hunc conditum per filium, quemadmodum dixerat, per quem fecit & secula, uerùm conditum regi & administrari, idq; non studio, curaq; & industria, sicut administrant homines: sed uerbo uirtutis suæ, id est, nutu suæ potentiæ. Aut uerbo uirtutis suæ, id est, sua propria uirtute. qui modus loquendi frequens est in sacris, ut prænotauimus. Quid prodesset omnia per ipsum esse condita, nisi omnia per ipsum quoq; conseruarentur & gubernarentur?

Purgationem peccatorum. Hic meminit mortis Christi, qua pro peccatis non solùm nostris, sed & totius mundi satisfecit. Hebræ. 10. Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. & sequitur, in qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi IESV semel. Græci addunt huic textui δι' ἑαυτοῦ, id est, per seipsum. Videturq; participium Græcum hoc in loco præteriti esse temporis potius quàm præsentis, ut dici possit, peccatorum purgatione facta, ne sedendo uideatur purgare, ita ut prius non purgauerit, seu non satisfecerit. Prius enim purgauit morte sua, deinde consedit. Exaudiendus ergo hymnus ille tam frequens in ecclesia cantatus, Vera fides geniti purgauit crimina mundi.

Purgatio peccatorũ per Christum.

Sedet ad dexteram maiestatis: Id est, æqualis est filius Deo patri: quia est splendor gloriæ, figura substantiæ, gubernans ac moderans omnia uerbo uirtutis suæ. Neq; iussus est ad patris dexteram considere: Sed (ait) sedet, ut ostendens præsentiam, æternitatem ostendat. In æternitate enim, nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit: nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum: quia quicquid æternum est, semper est. Ideo rectius existimauerim sedet, quàm sedit. Si tamen naturam humanam aspexeris in Christo, dices Christum sedere ad dexteram, id est, in potioribus bonis Dei patris, quibus & copiosissimè fruitur. Cùm dicit in excelsis, ostendit Christum etiã ut hominem, esse super omnem creaturam & angelicam & humanam, sicut Ephes. 1. cap. scribit, Maiestas est summa potestas. Porrò dum sedentem facit, pacem ac quietem, iudiciariamq; eius autoritatem ostendit.

Christũ sedere ad dextram patris quid est.

Æternitati præsentia omnia.

Maiestas.

Nomen hæreditauit. Ratione assumptæ humanitatis Christus nomen hæreditauit. Quod? Dei filius homo factus, Deus est homo, & homo Deus. Hoc nomen non hæreditauit angelus. Angelus enim non Domini & Dei, sed serui nomen est. hanc nominis excellentiam sequentibus manifestabit. Videtur hoc loco nomen positum pro gloria, maiestate, & magnifico titulo.

Christus hæreditauit nomen.

Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus, &c. Volens Paulus ostendere Christum angelis superiorem ait, Nulli unquam angelorum dictum est à Deo, filius meus es tu, &c. sed hoc Christo dictum est Psal. 2. Et cùm baptizaretur audita est uox de cœlo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Est igitur Christus angelis maior. Ex nomine quidem: nam cum filium dicimus, illud sanè prætendimus quòd ex patre sit genitus. Quòd si per gratiam esset filij nomen adeptus, angelis hic planè esset inferior. Illud uerò, Ego te genui: nil aliud exprimit, nisi à principio, & ex quo pater est, filium esse genitum. hoc aduerbium, Hodie, æternitatem signat: ut dicamus Hodie, semper esse apud Deum, neq; præteritum neq; futurum. Quod hodie sic exponimus, rarum est in scriptura. Nam in Psal. 94. legimus, Hodie si uocem eius audieritis, &c. quod hodie, Paulus infrà 3. cap. interpretatur de tempore Christiano, seu tempore salutis, quod usq; ad finè huius seculi cognominatur Hodie. Item alibi, Hæc dies quam fecit Dominus, &c. quam diem Paulus 2. Corinth. 6. ex Isaia

Christ⁹ angelis est superior.

Hodie æternitatem signat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hodie tempus salutis signat.

ex Isaia interpretatur diem salutis & tempus acceptũ,in quo exaudiamur à Deo per Christum. Ad illud hodie,quod est tempus reuelatæ salutis post Christi glorificationẽ, totus Psalmus secũdus,in quo dicitur,Ego hodie genui te,respicit(sicut apparet) Christi resurrectionem. Atq; Paulus ita interpretatur Act.13.dicens,Deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumentũ:Deus autem suscitauit eum à mortuis:sicut in Psalmo scriptum est,Filius meus es tu,ego hodie genui te.Tunc confirmatũ est Christi regnum,& uidit pater filium in suo residere solio,quando iam ad immortalitatẽ accitus est,accepta potestate in cœlo & in terra,sicut ait Matth.ultimo, Data est mihi omnis potestas in cœlo,&c.Ad hanc sententiam quid aliud est quod dicitur, Dominus dixit ad me,quàm quòd Christus uerè Dei filius est uerbo & potẽtia patris resuscitatus,& immortalis (accepto spirituli corpore,quod ceciderat animale)factus?ut hæc nõ intelligas de Christi diuinitate,sed de Christi secundum homnem glorificatione,& de eius in regnũ cõstitutione. Aduerte:omnes reliquos filios suos Deus medio aliquo gignit, ut ait Iacobus,Voluntarie genuit nos uerbo suo.Angelos cõdidit,non genuit. At hũc filium nõ condit,sed gignit:neq; gignit medio aliquo,sed per semetipsum,dicens,Ego, ego ipse te hodie genui.Quod ad nullum alium dictum leges. 1. Paralipo.22.de Salomone quidem ait,Erit mihi filius.At non filius meus es tu,ego hodie genui te.

Et rursum. Quidam hunc locum bifariam posse intelligi dicunt. Vno modo de Salomone,ut Christi figura. Alio modo de ipso Christo. Sed reuera,si de Salomone intelligi uolumus, quomodo confutabit ex hoc loco Iudæos Paulus, qui semper ad Salomonem referrent dictum? Propterea hic locus ex 2.Reg. 7.& non ex 1. Paralip. 22. ab Apostolo sumptus de uno Christo simpliciter est intelligendus, ut qui peculiaris & proprius filius Dei,qui omnibus reliquis incomparabiliter præstet. Scias igitur hunc locum ex 2. Reg.7.& ex Psal. 88.qui prophetales libri sunt,& de Christo loquũtur, non de Salomone,desumptum esse. Quanquam hic locus ferè eisdem uerbis 2.Reg.7. & 1.Paralip.22.legatur.habet tamen eas 2.Reg.7.circunstantias,ut de Salomone nequeat intelligi,& necesse sit bis dictum ad Dauidem,semel de Salomone,& semel de Christo.Primùm scribitur 2.Regum 7.dixisse dominum Dauidi, Cumq; completi fuerint dies tui,& dormieris cum patribus tuis,suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo,& firmabo regnum eius,ipse ædificabit domum nomini meo,& stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternum.Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.Iam Salomon non est post mortem Dauidis natus, neq; eo mortuo,sed adhuc uiuente in regem exaltatus fuit,ut scribitur 3.Reg.1.Ergo hic locus Pauli non intelligitur de Salomone,sed de Christo.

Ego ero illi in patrem,&c. Filiationem temporalem designat,qua natus ex uirgine & homo factus est.

Introductio filij Dei in mundum.

Et cùm iterum introducit. Introductio filij in hunc mundum est eius gloriosa incarnatio,quã aliquando ipse Matth.13.uocat exitum.Exijt qui seminat seminare semen suum.Et Ioan. 16. Exiui à patre & ueni in mundum. hoc aduerbium iterum,mihi parit quandã difficultatẽ.Quidam sic interpretatur,Et cùm scriptura iterũ introducit,id est,iterum manifestat introducendum primogenitum.quasi dicat,Iam dictum est quòd Christus est filius præ angelis: ergo est præcipuè à patre genitus. Est ergo dicendus Primogenitus,ad Rom.8.Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Cùm dicit primogenitum,alludit ad morem hummanum. Erant enim apud Hebræos primogeniti hæredes & omniũ rerũ domini.Hieronymus aduersus Heluidium dicit,

Iterũ introducit, quid significat.

Primogenitum nõ tam eum esse post quem & alij, quàm eum ante quẽ nullus. Huc pertinet quod magnus Alexandriæ Athanasius aduersus Marcellinum dixit. Quamobrẽ (inquit) unigenitum dum scriptura refert,secundum diuinitatem indicat,quia in deitate unigenitus à Deo patre omnino fratres non habet, & dum primogenitum nominat naturam hominis ostendit.Et uide quàm ordinatè loquitur Apostolus.Primò enim dicit, ipsum à patre,Ego ero illi in patrem.Secundò dicit ipsum assumptum in unitate personæ,cùm ait,Et ipse erit mihi in filium.Et nunc proponit eum in notitiam hominũ cùm uocat incarnationem,introductionem in mundum. Alij interpretantur hoc aduerbium iterũ,cum reliqua clausula,primò de incarnatione uerbi,quæ dicitur introductio, non loquitur scriptura semel,sed iterum atq; iterum.Secundò,quia filius Dei primò erat in mundo per potentiam diuinitatis inuisibiliter:sed iterum introducit in mundũ secundum præsentiã humanitatis uisibiliter. Alij sic interpretãtur. Cum Spiritus sanctus in Psalmo loquitur de secundo ingressu primogeniti in orbem per Euangelium:nã antea semel in carne in mundum uenerat,è quo exactus fuit per suos crucifixores,& mortẽ: sed per resurrectionem & uerbum suum in orbẽ reuersus est,ac iam regnat, cùm serui formam prius gesta uerit,neq; amplius morietur, aut mundo uisibiliter & familiariter exigetur.Sicut si quis reconciliãdus est principi,primò exit ad eum mediator,& postea introducit eum:ut 1. Regum 20.de Dauide ad Ionathan factum legimus. Sic Christus mediator Dei & hominum.Primò exijt ad homines,& postea in sua resurrectione gloriosa introduxit eos,per mortem suam recõciliatos.infrà 2.cap. Qui multos filios in gloriam adduxerat. Solet secunda interpretatio frequens adduci, quæ natiuitatem IESV Christi insinuat,tametsi tertia interpretatio non ueniat aspernãda. Adoramus nobis superiorem,& cui summus honos propter se debetur.hunc IESVM Christum angeli adorant: ergo est supra angelos. Quare necesse est hunc regem, quem angeli adorant,Deum esse,quem Euangelium prædicat & annuntiat.

Adorare.

Et ad angelos quidem dicit. Hoc loco uult Apostolus ostendere angelis in scriptura hoc nomen haudquaquam dari,quod alicui ex eis dictum unquã esset, Filius meus es tu,Erit mihi filius,Ipsum adorabunt angeli.Sed nũtios ipsos facit, quos in orbem mittit.Sensus itaq; est: Quantumlibet angelis suis commiserit Deus, nunquã tamẽ constituit Deus aliquem ex eis,ut dominus sit uniuersorum, uti Christũ constituit:sed facit duntaxat spiritus,& igneam flammam:id est, igni & uento similes. Etenim uelociores uento feruntur,& in morem ignis,& sicut fulgura subitò illuminant: ut in rubo Moysi.Et in Psalmo dicitur,Ignis,grando,niues,glacies,spiritus procellarum, quæ faciunt uerbum eius. Spiritus sunt angeli: & cùm spiritus sunt, non dicuntur angeli: sed cùm mittuntur, designantur Angeli. Angelus enim nomen officij est, non naturæ. Quæris nomẽ eius naturæ?spiritus est.Quæris nomẽ officij?angelus est. Spiritus sunt, ut spirituales ad nos missi nos spirituales reddãt.Et igniti dicuntur, quòd carnalia nostra absumant.Quare Christus dicebat: Veni mittere gladium,supple, quo diuideret affectum carnalem.Et alibi,Veni mittere ignem,supple, ad affectum illum carnalem absumendum.Attamen per id nullus angelorum constituitur dominus orbis,neq; ubique,ut Christus prædicatur rex omnium,quod uel Iudæi confiteri cogũtur. Præterea hic facit angelos:ergo conditor & creator angelorum est.Angeli enim creaturæ sunt.

Angeli sunt nũtij & ministri.

Angeli sunt ignis & flammei.

Angelus nõ natura sed officij nomen.

Ad filium autem, Thronus tuus. Maiestatem Christi pergit ostendere per aliam antitheſim,Christo iudiciariam potestatem,& quietam autoritatẽ tribuens, angelis uerò ministerium.Hic locus ex 44. Psalmo est, qui meo quidem iudicio omniũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thronus soli Deo competit.

fortißimè concludit, Christum Deum esse. Contra quod ne Iudæi quidem habent quæ dicant. Id uideamus. Primũ apud quoslibet in cõfesso est, hunc psalmum de Christo loqui, quanquã Iudæi adhuc uenturum expectent. Secundò, negari non potest, primam citati loci particulam, Thronus tuus Deus in seculum seculi: soli uero Deo competere, qui thronum & regnum habet finis nescium. Nulli creaturæ thronus & regnum huiusmodi competit. Est ergo manifestum, Deum esse, qui thronum habet & regnũ absq; fine. Et hoc dictum putato contra Paulum Samotheum & Arrium facere, qui Christum simplicem hominem introducunt, qui Deus est, & sempiterno Imperio potitur. Quod sequitur, Virga æquitatis uirga regni tui: est aliud quoddam Dominatus insigne. Virga enim hoc est sceptrum, symbolum iustitiæ est & æquitatis. Nullus enim personarum respectus apud Deũ, æquè iudicat diuiti ac pauperi. Est autem hæc Christi æquitas diligere iustos, id est omnes in Deum credẽtes, & odio habere iniquos, hoc est incredulos. Sequitur, Deus qui thronum & regnum habet, ungitur ut homo, id est, spiritũ sanctum in donis suis recipit præ participibus suis. Secundum humanitatem habet participes, quorum caput est, quibus & spiritum suum impertit, quẽ præ omnibus habet opulentißimè. Secundum diuinitatem autem nullos habet participes, cùm unus solus Deus existat, & non plures seu tres Dij. Licet sit non una persona: solùm, sed tres personæ in una essentia & substantia. Concludit ergo hæc autoritas, Christum regnare, & regẽ unctum esse, & habere regnum.

Et tu in principio Domine. Prima facie non apparet quid hic locus ad institutum Apostoli faciat. Facilè enim interpretari potest de Deo & una persona: quare inspiciendus est totus Psalmus, qui etiam de regno Dei canit, cuius gubernatorẽ scriptura Christũ facit, ut superior uersus, ac multi alij loci scripturæ testantur. Psalmus uerò qui numero centesimus primus, unde hic uersus desumptus est, sic habet circa medium fermè in hunc modum, Tu autem Domine manes in æternum, & memoria tua in seculum seculi, Exurgas & miserearis Sion. Nam tempus est ut illi propitius sis, & hora huius appetijt, & uenit. Etenim placent lapides eius seruis tuis, id est, Apostolis, & pulueri eius fauebunt, seu terræ eius miserebuntur: id est, per Euangelium gratos & Deo placitos reddẽt. Quod utique de Christo est prædictum, cuius serui sunt Apostoli, qui lapides Sion, id est, electos per prædicationem suam in gratiam Dei adduxerũt, quales profectò seruos nullus unquam regum habuit. Et gentes timebunt nomen tuum, & omnes res terræ gloriã eius. Eo quòd Dominus ædificabit Sion, & apparebit gloria sua. Postremò uerò sequitur uersiculus ab Apostolo citatus, Et tu Deus ab initio terrã fundasti. Vnde concludit hunc regem, cuius serui lapides in gratiã adduxerunt, & qui in uniuerso orbe est prædicatus, ut tam reges quàm gentes ipsum timeãt. Deum esse qui terram condidit, & idem in seipso perseuerat. Iam nullus rex ita apud omnes gentes prædicatus est ut Christus. Ideo sequitur, Christum Deum & hominem esse.

Christus filius Dauid & Dominus eius.

Ad quem angelorum. Ex altera parte antitheseos ostendit angelis nõ competere sessionem, sicut & Christo, cùm sint ministri. Christus &c. Christus filius est Dauidis secundum carnem, Ad Roma. 1. Et dominus Dauidis non solùm secundum diuinitatem, sed etiam secundum regiam dignitatem & sacerdotium: quemadmodum dicitur Esa. 9. & repetitur ab angelo Luc. 1. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, &c. Infirmum erat regnum Dauidis, quod oportebat per filium Christũ confirmari. Et præterea maledictum erat, nisi ei benediceretur per hunc filiũ Dauidis sacerdotem, & uerum Melchisedec, qui benedixit Abrahæ & omni semini eius: id est,

Genes. 15

omnibus Abrahæ fidem per uniuersum orbem sequutis, quẽadmodum promissum erat, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Pater hunc IESVM glorificauit, qui dixit ad eum, Sede à dextris meis, id est, esto rex ut ego, super omnia, ut in cœlo & in terra. Matth. ultimo, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Iubetur uerò sedere non ad caput: ne uideretur esse supra Deum, quia Christi caput, Deus, 1. Corinth. 11. Neq; ad sinistram: ne uideretur gloria eius minor gloria Dei: sed ad dexteram, id est, in plenitudine maiestatis, &, ut dici solet, in potioribus bonis patris: ut æqualitas significetur. Scabellum uidetur insinuare plenam & perfectam subiectionem: sicut dicimus, aliquid alicui planè subiectum, quando etiam potest illud pedibus conculcare. Hæ dictiones Donec, & Quoadusque, quandoque indicant finem eius cui coniunguntur, ut Sede hic donec ueniam. Aliquando sumuntur infinitè, quando non ponitur & non designatur terminus, ut cùm ais, Hic non pœnituit donec uixit, quia nec post mortem pœnituit: id est, nunquam pœnituit. Et Genes. 8. Non est reuersus coruus donec siccarentur aquæ: id est, nunquam est reuersus. Interdum pro ut, sicut in Psalm. Oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Scabellum.

Donec & quoadusque particulæ signant.

Non'ne omnes sunt administratorij. Angeli, qui Christum iubentur adorare, tantum abest ut Christo præferantur uel æquales sint, ut etiam nostri serui & ministri sint, qui sumus in Christo. Ex his audientium animos attollit, ostendens plurimã Deo susceptam curam, quando angelos ipsos, qui uidentur præcellere, ut ministrent nobis, constituit.

Angeli ministri hominum.

CONCILIATIO.

HOC Pauli exordium, Multifariam multis q; modis olim Deus loquens patribus in prophetis: aduersatur Dauidi Psal. 61. dicenti, Semel loquutus est Deus, &c. RESPONDET Augustinus in Psal. 61. Hic inter homines (inquit ille) hominibus sæpe multis modis multisq; partibus per multiformem creaturam loquutus est Deus. Apud se semel Deus loquutus est, Quia unum uerbum genuit Deus.

QVID hic Paulus tam constanter pronuntiat, Quem constituit hæredem uniuersorum: Cùm de Christo mentionem faciens Dauid Psal. 39. dicat, Ego autem mendicus sum & pauper. RESPONDENDVM, Christum administrationi huius mundi cessisse liberè; non tamen innatum sibi ius abdicatum esse. Quòd autẽ à Dauide pronũtiatur, grandis est tapinosis, siue uehemens de IESV Christo expressa humiliatio.

DICTIO.

HEBRAEI dicti sunt Iudæi ab Heber, qui fuit abnepos Sem, filij Noẽ: Prius Heberæi nominati, ac deinde una detracta litera Hebræi, autore Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei. Non desunt qui asserunt dictos non ab Heber patre Phaleg atauo Abræ, sed à uoce sui idiomatis, quæ ad nos ueniens sonat transeuntes. Hoc enim nomine cognominabatur Abram eò quòd à Mesopotamia transito flumine in terram Chanaan trãsisset. unde & gens eius hoc minime hæreditauit.

Hebræi.

FIGVRA Græcis est character: quam dicere possis formam expressam ex alio, siue notam rei cuipiam impressam, uelut in cera.

Figura.

Filij Dei spontanea humilitas. CAP. II.

PRopterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus: ne forte pereffluamus. Si enim qui per angelos dictus est, sermo: factus est firmus, &

Christus audiẽdus ne puniamur.

Pereffluam⁹.] perfluamus.

omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustã mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutẽ? Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & uarijs uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus secundum suam uoluntatem. Non enim angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur; Testatus est autem in quodam loco quis, dicens, Quid est homo quòd memor es eius: aut filius hominis quoniã uisitas eum? Minuisti eum paulò minus ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit nõ subiectum ei. Nunc autem nec dum uidemus omnia subiecta ei. Eum autem qui modicò quàm angeli, minoratus est, uidemus IESVM, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos uocare dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum, Ego ero fidens in eum. Et iterum, Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem: ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum: & liberaret eos qui timore mortis, per totam uitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus similari: ut misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus: potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.

Miracula, confirmatio doctrinæ.

Initiũ accepisset] primũ cœperit

Christo omnia subiecta. Psal. 8. c

1. Corint. 15. d

Philip. 2. b

Mortuus Christus pro omnibus.

Autorem] principem Cõsummari.] uel, perfectum reddi.

Confunditur] erubescit

Fratres Christi. Psal. 21. c

Esaiæ 8. d

Communicauerũt carni & sanguini] cõmercium habent cũ carne & sanguine:

Oseæ 13. d

1. Corint. 15. g

Diabolus.

Pontifex Christus.

Apprehendit.] assumit.

Similari:] similis fieri:

Ad Deum,] in his quę ad Deũ pertinent,

Tentatus Christus.

Propterea abundantius. *Principio capitis priorem enthymematis diximus partem. Cui hæc si iungatur clausula, habebis enthymema tale: Est ipso Moyse, imò & ipsis angelis Christus præstãtior. Sunt igitur à nobis religiosius obseruãda, quæ à filio Dei audiuimus. Argumẽtum est à maiori dignitate: quasi in hunc modum ratiocinetur,* Quoties

Christus angelis & Moyse præstantior.

Perefluere.

Quoties Deus per præstantiorem nuntium loquitur, diligentius audiendum est: Nunc per filium & sibi æqualem, & angelis præstantiorem loquutus est, ergo illius oportet uehementius auscultare dictis.

Ne fortè pereffluamus. *Hortatur & excitat animos ad excipiendam summo studio* IESV *Christi doctrinam, argumento à periculo & damno sumpto. Ac si diceret, Si te nõ mouet dignitas nuntij, saltem tibi persuadeat ingens tuum damnum. Nam si uel paulò negligẽtior fueris, periculum est ne pereffluas, hoc est, totus pereas. Prorsus enim perit quod sic pereffluit. Alludit ad fõlia quæ ab arboribus delabuntur & defluunt, conculcanturq; ac pereunt. Aut uidetur Paulus metaphoram à fluida sumpsisse papyro, quæ literarum characteres obscurius recipit, uel receptos protinus diffundit, transmittitq;: ut & animo minus attento accidit, cui nisi firmus sit, & solidus, ea excidunt quæ negligentius audierat.*

Si enim qui per angelos. *Eorum quæ præmisit causam indicans hæc ueluti suæ argumentationis maiorem propositionẽ adducit. Sermo per angelos dictus decem mandata designat. Vel iussa omnia dicit, quæ in ueteri testamento continentur, per angelos administrata: cuiusmodi sunt de iudicibus illa & de Samsone iuncta. Sic argumentatur Paulus, Si lex, quæ per angelos data est, sicut & Stephanus ait Act. 7. cap. non potuit contemni sine ultione Dei, multò minus ultionem Dei euadet, qui contempserit uerbum nobis missum per filium, cui ne angeli quidem, conferri possunt. Id quod & Moyses uerbis Dei de Christo prædixit, Deuter. 18. Qui uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Ad quod respexisse uidetur Dominus, Ioã. 5. Est qui accusat uos, Moyses, in quo speratis. Facit & hoc aduersus eos, qui Autoritati ecclesiæ detrahũt. Paulus ait, legem omnem Mosaicam à Iudæis receptam, & illius præuaricationem punitam. Cùm igitur non minor sit ecclesiæ potestas & autoritas, quàm Moysi & illorum septuaginta duorum (qui leges constituentes minores causas iudicabant) à Moyse institutorum: sequitur, omnem præuaricationem legis ecclesiasticæ non euasuram pœnas & ultionem. Obijciet aliquis, locum hunc de Decalogo solùm esse intelligendum. Respondeo, hoc uerè dici posse de priore copulatiuæ parte, Quia per angelum datus est Decalogus: Sed posterior copulatiuæ pars dicit omnem præuaricationem & inobedientiam, ita ut legem omnem illam ueterem comprehendat. Obserua in hoc Pauli textu miram in utraq; lege collationem, Illhic quidem per angelos, hic autem per Dominum. Et illhic quidem sermo, hic autem salus. Illa simpliciter uoce per aërem à Moyse prolata, sed hæc pronuntiata sequentibus signis, & uirtutibus factis, & rebus attestantibus.*

Sermo per Angelos dictus.

Iustam mercedis retributionem. *Cruciatum & debitas pœnas mercedem appellat: tametsi in bonis & prosperis, mercedis nomen sit usurpatum. Nil tamen uocabulorum hanc differentiam Paulus magnificit. Non perstringit nominatim pœnas & mulctas eorum qui Moysi non obedierant. Nam satis constabat, omnibusq; Hebræis notus erat ille maiorum miserabilis in deserto interitus: de quo & ipse Apostolus satis prolixè disputabit in sequentibus, maximè in cap. 3.*

Merces pro ultione.

Quomodo nos effugiemus. *Vbi sermo Dei, ibi salus inesse constat. In ueteri lege solæ umbræ & figuræ, in Euangelio autem omnia aperta sunt, & ueritas manifestata. Ideo magna est admodum salus, quam si contempserimus, grauiorem consequemur ultionem.*

Quæ cùm initium accepisset. *Quæ supple salus, id est, quod Euangelium*

salutiſ̃rum. Dominus prior hanc ſalutem & Dei uirtutem prædicauit,quam audientes diſcipuli annuntiauerunt, & miraculis in nos Iudæos & auditores confirmarunt. At ne exiſtimes hæc ab Apoſtolis & diſcipulis conficta eſſe, addit, conteſtante Deo, hoc eſt, cum illis teſtificatur Deus, non uerbo ſolùm, ſed ſignis & portentis & uarijs uirtutibus,hoc eſt,effuſa & abundanti donorum copia,de qua fit mentio 1.Corint.12. Et hæc quidem ſigna uera ſunt & firma,non inania, ficta,& ſolùm apparẽtia,cuiuſmodi erant Magorum in Aegypto,Exo.7.cap.Vide Auguſt.lib.5.quæſtionum ſupra Deuter.quæſt.29. Nulla prorſus uenia digni uidentur,qui ex hoc loco colligunt Paulum nõ fuiſſe autorem huius epiſtolæ,quòd dixerit Paulus, In nos confirmata eſt ab ijs qui audierant.At non uident iſti particulam,ab ijs,cui ſtudioſiſſimè innituntur,nõ eſſe conſequentiæ ex alio notam,ſed ordinis potius:ut ſit ſenſus: Initio quidẽ Euangelij negotium ab ipſo Domino prædicatũ eſt,Deinde ab ijs qui cum eo conuerſati ſunt Apoſtolis,Poſtremò autem & poſt iſtos,Euangelij functio ad me quoq; delata eſt.Hic ordo idem ſeruatur 1.Corinth.15.ubi legimus primum quidem apparuiſſe Dominum Petro, & poſt hoc undecim Apoſtolis,deinde uiſus eſt pluſquam quingentis fratribus,Deinde Iacobo. Poſtremò mihi,ait Paulus. Particula,in nos,non tam ad Pauli quàm totius eccleſiæ referri poteſt perſonam.Quare Paulus cœleſtis ſcholæ diſcipulus rectè meritoq; dixit,in nos confirmata fuit,ſentiens Euangelium & ad ſe & ad eccleſias indubitata fide perlatum.Vide infrà ſecundam conciliationem.

Conteſtante Deo ſignis. Occupat & aduerſariorũ ora præcludit, ne obijciant ſicut & Chriſto Ioan.6. Quod tu facis ſignum, ut uideamus & credamus tibi? Quemadmodum olim Deus (ait) Legem non ſine prodigijs dedit, ita ne quid à quoquàm deſiderari poſſet,ipſe Deus Euãgelium & prædicationem de ſalute mundo adlata,multis ornauit ſignis,firmioremq; reddidit prodigijs,uirtutibus & donis ſpiritus ſancti uarijs orbi cœlitus diſtributis. hæc manifeſtant copioſiorem donorum gratiarum'ue affluentiam per aduentum Chriſti & eius ad patrem aſcenſum, quàm ueteris teſtamenti patribus. Huic ſententiæ applaudit Beatus Ioannes cap.6. Nondum ſpiritus erat datus,quia IESVS nondum erat glorificatus.Videtur hoc loco Paulus per ſignum intellexiſſe (ni fallor) experientiam,quemadmodum eius quoque uſus eſt apud dialecticos & rhetores: qui pallorem, trepidationem,ueſtes ſanguine conſperſas, ſigna cædis appellitant.Itauſurparunt & Angeli apud Lucam cùm dicunt, Et hoc uobis ſignum,inuenietis infantem.Portentum prodigium eſt,quod Nonius Marcellus uocat deorum iram & minas.Sed prodigium dictum uolunt Latini quaſi porrò agẽdum, uel prædicidium, quod aliquid futurum præſagiret.Hoc loco ſiue prodigia ſiue portenta dixeris, accipit Paulus pro miraculo, & re quæ fit præter expectationem & rerum penè naturam. Quale illud eſt quod mortui reſurgunt, Cæci uiſum recipiunt, Claudi ſaliunt & Leproſi mundantur,non herbis aut aliquo adiuti medicamine, ſed ſolo Euãgelij uerbo curati.Subdit Apoſtolus,uarijs uirtutibus.Virtutem hic dicit non quæ opponitur uitio,ſed imbecillitati,ut dicatur potentia,fortitudo,maieſtas,autoritas & dicendi libertas. Quum,uarijs dicit, effuſam donorum exprimit copiam. Cæterùm miracula & ſpiritus ſancti dona,quæ pro utilitate eccleſiæ diſpenſata fuerunt,coniuncta ſunt, hic uocat diſtributiones ſancti Spiritus. Adhæc etiam ut oſtendat miracula opera Spiritus ſancti conſtare, Magorum uerò res geſtas, non ſancto Spiritu conſtare,ſed uarijs dæmonum illuſionibus.

Secundum ſuam uoluntatem. Vt omnia in gloriam Dei referamus, & non

non gloriemur,quia eiecimus dæmonia, & alia miracula fecimus,addidit, Secundum ſuam uoluntatem. Hæc magnifica agere, non eſt pro noſtro, ſed ipſius Spiritus ſancti arbitrio. Qui pro ſuo nutu partitur & diſtribuit ſua dona & uirtutes. Nouit enim quid cuique conferat.Vera miracula Dei non pertinent ad aſtruendam uanitatem, ſed ad gloriam Chriſti ac Patris promulgandam.Voluntas enim Dei eſt ut Chriſtus glorificetur, & per Chriſtum Pater, nosq; inde ſalutem accipiamus. Falſa miracula nequaquam ueram Euangelij gloriam promouent.

Non enim angelis. Deus manifeſtat Chriſtum longè excellentiorem angelis: cùm huic,& nõ angelis,orbem terræ ſubiecerit Deus pater. Quem orbem eò futurum dixit,quia Dei filius perpetuò fuerit. Mundus uerò quia conditus eſt,& aliquando nil fuerat, quaſi ut fieret uidetur futurus, quia prius non extitiſſet. Aut per orbem terræ ſignificare uult regnum Chriſti, quod prædicabatur futurum longè dignius omnibus mundi regnis.Sicut Eſaias quando uocat patrem futuri ſeculi. Et cùm regnum ſit ſpirituale: qui Chriſto adhærent ſpirituales ſunt. Imò & creaturæ nobis in ſalutem inſeruiunt omnes,etiam oues,boues, piſces, & huiuſmodi. Quod uerò nondum uides omnia ſubiecta Chriſto, cauſa eſt, quia hæc à carne non uidentur, quæ pertinent ad regnum Chriſti ſpirituale,quod fide,ſpe,& charitate conſequemur. Expecta, uidebis quando pater ponet inimicos Chriſti omnes ſub pedes eius. Obſerua enallagen ſeu immutationem temporis ineſſe huic loquutioni,de quo loquimur. Id enim poſuit pro eo quod eſt, de quo ſequenti teſtimonio loquemur. Orbis futurus.

Teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens. Hic locus Dauidis eſt,tametſi autorem nõ explicet Paulus. Quod autem tacuit,id induſtria factum puto. Sciebat Iudæos pſalmorum peritiſſimos.Facit ad huius loci explanationem alius Dauidis locus,Pſal.143. Domine,quid eſt homo,quia innotuiſti ei,aut filius hominis, quia reputas eum? Licet in exemplaribus Hebraicis loco coniunctionis uel, ſit copulatiua coniunctio in Pſal.Quid eſt homo quòd memor es eius,& filius hominis,&c.Quia tamen Paulus diſiunctiuam ſeruauit,non uidetur mihi quicquam mutandum.Cùm ait homo,aut filius hominis. Tautologia eſt figura quæ Latinè dici poteſt eiuſdẽ eloquium: cuiuſmodi eſt primo Aeneidos,Si fata uirum ſeruent,ſi ueſcitur aura Aetherea,nec adhuc crudelibus occubat umbris. Ad huius uerſus intelligentiam obſeruandum eſt, Hebræa lingua duobus nominibus appellat hominem,inquãtum natura conſtat,quæ ſunt Adam & Enos.Tertium quod Is dicitur,& ſæpius pro homine trãsfertur,rectius uix duntaxat transferetur,cùm ab eo dicatur Iſſa uxor ſeu mulier, quaſi diceret, uirago uel uiracea. Quia Geneſ.2.dicitur, De Is,id eſt, uiro ſuo ſumpta eſt. Vnde & Is fere mariti aut magiſtratus nomẽ eſt,& omnino magis ab officio quàm natura ſic dicitur. Enos & Adam ſic differunt autore Euſebio 11.præparationis Euangelicæ 4.& diuo Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis.Quòd Enos propriè hominem ſignificet ſecundum animam,Adam ſecundum corpus.Adama enim Hebraicè,terram Latinè ſignificat,de qua ſecũdum corpus formatus eſt, ut ſit Adã dictus ab originis & materiæ ſuæ uocabulo,uelut terrenus ſeu terreſtris.Ad quod reſpexiſſe uidetur Paulus 1.Corin.15. dicens,Primus homo de terra terrenus,ſecundus homo de cœlo cœleſtis.Qualis terrenus,tales & terreni:& qualis cœleſtis,tales & cœleſtes,hoc expreſſit trãslator Pſal. 48.cùm ait,Quiq; terrigenæ & filij hominum,ſimul in unum diues & pauper.Vbi dicitur in Hebræo, Tam filij Adam quàm filij Is. Enos autem etymologia ſua Euſebio ſignificat obliuiſcentem. Et ſic diſtinguit hunc uerſum, ſicut & in Hebræo habetur, Tautologia. Homo iuxta naturã dicitur Adam et Enos. Iſſa mulier dicta. Enos quid ſignat. Adama.

Quid est Enos, quoniam memor es eius? Et filius Adam, quoniam uisitas eum? Quid est Enos? quasi dicat, Quid est homo iuxta suam animam, qua intelligit & cognoscit, ni à quædam obliuiscentia beneficiorum Dei per peccatum? Et huiusmodi in spiritu & ueritate Dei & sui est oblitus. Obserua igitur hoc loco pulchram antithesim seu contrapositionem, qua memoriam Dei & nostram obliuionem pulcherrimè componit. Aut filius hominis, id est, tu homo, tametsi sis filius Adam, id est, terrenus, & tam abiectus, misericordia Dei efficeris cœlestis per uisitationem illam, qua filius Dei fit homo. Et hic aliam antithesim uidetur includere, putà terrenum hominem & è cœlo cœlestem. Quod expressit Psal. 112. Quis sicut Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Grandis est tapinosis (id est humiliatio, seu rei magnæ humilis expositio) in uerbis illis Filius hominis, sicut in uerbis Pilati de Christo dicentis, Ecce homo. Vult enim uilissimo, humilimo & abiectissimo nomine eum appellare. Quod nemo hominum in altero curat multum, Et tamen ita Deus curat, ut uisitet, & ad eum ueniat, quem uniuersi ne respiciant quidem. Vnde propheta Esa. 62. sublimes hominum oculos in personarum respectu occupatos arguens, dicit, Si uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Ecce, tuam carnem appellat, nudum, famelicum, sitientem, egenum, & quo quisq; est nouissimus. Hanc humiliationem Christo conuenientem exprimit Paulus ad Philipp. 2. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed exinaniuit se, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. hic uersus præfatus legendus est admiratiuè.

Antithesis.

Tapinosis.

Carnis nostræ nomina.

Minuisti eum paulò minus. Admonet quidam, hoc loco apud Hebræos habere, minuisti eum paulo minus à Deo: atq; ita prorsus indicauit Hieronymus in psal. 8. pro angelis, qui illis uocantur malachim, habere Elohim. Et satis constat Elohim in scriptura non tantum Deo, sed & principibus & iudicibus aliquando (quòd uicarij Dei sint) accommodari. Legatur hic locus secundum receptam opinionem, ab angelis. Ideo sensus erit, Domine Deus dereliquisti eum paruulo tempore: sed cum gloria magna suscepisti eum, quo ostendisti, quam non fueris eius oblitus. nec eum despexeris: ut Psal. 20. Quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis. ideo omnino pronomen Eum, referre debet non filium Dei secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua tristis & dolens factus, dum nostros ferret languores, uidebatur in obliuione esse, & desertus coram Deo. huic uerbo Minuisti, correspondens Hebraicum uerbum nobis sonat, ac si eum, qui magnus est, quispiam imminuat, quo modo potentia, dignitas, opulentia alicuius minuitur. Ex quo apparet hoc loco significari, Christum derelictũ à Deo, ut qui cessaret eum tueri: sicut in cruce clamauit, Eli, Eli lãma azabthani. Nam hoc paululum intelligit, horam illam scilicet de qua dixit Luc. 22. Sed hæc est hora uestra & potestas tenebrarum. Itaq; cùm ad hanc usq; horam esset potens in opere & sermone, subitò & paruulo tempore, nempe triduo, minutus est & desertus à Deo in hac potentia subiectus infirmitati & morti.

Christus minutus paulò min' ab Angelis.

Angeli ab Hebræis malachim dicuntur.

Elohim.

Paululum pro aliquantisper.

Antithesis.

Gloria & honore. Pulchrè reddit contraria contrarijs: Minuto gloriam & honorem & coronam. Gloria ea est nõ modò pompa nominis, seu (ut dicunt) fama cum laude celebrata, uolentes gloriam à laude seu fama discerni celebritate, quasi gloria sit claria à claritate dicta. Verum est & ipsa augusta maiestas rerum pulcherrimarum & maximarum quas possidemus, & ex quibus tum ista fama celebratur, tum nosipsi gloriamur & superbimus. Vnde Christus ait Matth. 6. Dico uobis, nec Salomon in omni

Gloria.

omni gloria sua uestitus fuit sicut unum ex istis. Quid hic gloriam, nisi pompam & maiestatem, abundantiamq; rerum appellat, quibus Salomon erat celebratus apud omnes gentes? Honor accipitur passim in sacris nunc pro decore, nunc pro pulchritudine, nunc pro magnificentia, nnnc pro splendore, nunc pro dignitate. Coronasti, metaphoricè dicitur à corona, quæ undiq; perfecta est, & totum cingit: pro eo quod est, circundedisti eum. 1. Reg. 23. In modum coronæ cingebant Dauid & uiros eius. Item Psal. 5. Scuto bonæ uoluntatis tuæ coronasti nos Domine. Igitur Christus in passione minutus, nunc habet omnium imperium in sua resurrectione multa laude & fama celebratum: & undiq; ex omni creatura cingitur, ut non sit creatura quæ hunc ignoret. Euangelium enim prædicatum est omni creaturæ in gloriam eius. Rursum in nomine eius omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Ista enim corona gloriæ & honoris, id est, uniuersæ creaturæ nulli unquam alteri concessa est, neq; concedetur. Ex parte enim illi glorificantur & honorantur: & omnis talis honor & gloria est ab eo, qui minutus ab angelis in triduo suæ passionis, postea in die tertia resurgens gloria & honore coronatus est. Hæc corona, id est regnum eius, nondum absoluta est usq; ad nouissimum electum, ut scribitur 1. Corinth. 15. Tunc finis erit, cùm tradiderit regnum Deo & patri. Dicitur etiam in eo textu, Nunc autem nondum uidemus ei omnia subiecta. Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos suos, scabellum pedum suorum.

Honor. Coronare.

Marci ultimo. Philip. 3. Corona uniuersæ creaturæ soli Christo.

Et constituisti eum. Constituisti, quo ad humanitatem, non diuinitatem, secundum quam æqualis est deo patri, id est, Dominum fecisti eum. Quomodo Petrus Act. 4. loquitur, Hunc Christum & Dominum fecit, &c. Gloria est quòd omnium rerum Dominus est. Atq; ita uides gloriam esse maiestatem rerum possessarũ. Honor est, ei omnia esse subiecta, omnia eum agnoscere, ad eum conuerti, omnia ex nutu eius pendere. Et pulchrè gloria & honor hoc uersu exprimuntur per hæc uerba, constituisti & subiecisti, quorũ uno Dominus & gloria, altero subditi & honor monstrantur. Constitutus est Christus in dignitate super omnia. Ad Ephes. 4. Constituẽs eum ad dexteram suam super omnem principatum & potestatem. Matth. ultimo, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Hæc, ut dixi, intelligenda sunt secundum humanitatem, qua minor est patre. Qui licet nondum esset homo, cùm propheta Dauid hæc pronuntiaret, tamen scias prophetam usum esse præterito pro futuro propter maiorem certitudinem. Iam enim factum est in æterna prædestinatione. Propterea dictum est, Subiecisti: non quòd omnia adhuc subiecta sint: sed futurum est ut subijciantur. Nondum enim omnes Christum agnoscunt: quem in generali iudicio agnituri sunt, & eidem parituri, boni in amore, mali in tremore, ut docet August. lib. 83. quæstionum quæst. 69.

Constitutus Christus ut homo.

Eum autem. Docet crucem Christi non obscurasse gloriam eius: idq; facit per occupationem, qua quorundam infirmorum obiectionem diluit. Timidulus aliquis fortasse obijciet, Hoc me offendit, quod audio Christum mortis ignominiam perpessum, quem tamen angelis sublimiorem ostendere conaris. Respondet Paulus, Eum autem qui &c. ac si dicat, Tantum abest cruce Christi offendaris, ut etiam summum hinc beneficium Dei in te agnoscas, qui morte, hoc est, hostia filij, te ab æterna morte liberare dignatus est. Fateor IESVM Christum mortuum, & mortis cruciatum pertulisse: hoc uolens fecit: impossibile tamen fuit ipsum à morte detineri. Vnde (ait Paulus) uidemus IESVM propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: id est, mox ab ipsa morte per resurrectionem declaratum esse filium Dei. Adeoq; & ipsam mor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem Christi non fuisse mulctam sui peccati, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. sed gratiæ Dei argumentum, ut agnoscas beneficium Dei in te per hanc mortem. Quare apertißimum est, gloriam Christi nihil obscuratam esse cruce & interitu, ut etiam si hac parte paulò minoratus est, maior tamen sit passi gloria, quàm si passus non fuisset.

Christus gustauit mortẽ pro omnibus.

Pro omnibus gustaret mortem. Beneficio Dei patris Christus gustauit mortem, seu mortuus est pro omnibus, tanquam dux noster ostenderet non metuendam mortem ijs, qui in Christo piè uiuunt & fidunt. Pro omnibus quidem mortuus est, & si multi non sunt salui, fecit tamen quod suum erat Christus. Obserua: Quia breuißima fuit hæc mors, potius gustus mortis quàm ipsa mors nuncupatur. Alluſit Apostolus ad mortem gustantium. & uina pitissantium, qui uel solis primis labris, non autem longo haustu uina attingunt. Breui admodum temporis interuallo in morte Christus permãsit qui mox per gloriam patris resurrexit. Vt medicus appositos cibos fastidientem ægrotum conspicatus, mox ipse prægustat, ut languentẽ faciat fidentiorem, alliciatq; cibum ut capiat: Sic & Dominus cùm nos spectaret mortem reformidare, hanc prior ipse libauit, etsi minus id facere cogeretur.

Decebat enim eum. Nolim tibi persuadeas ô Iudææ Christi gloriam obscuratam esse quòd carnẽ induerit, paulóq; minutus fuerit cruciatu & morte illa breuißima. Reuera non est quòd offendaris. Nam decebat hoc Christum, qui ab æterno à Deo præuisus est ad hoc, ut per eundem propter quem & per quem omnia condita sunt, seu qui sit omnium uita & essentia, omnia etiam reparentur, refingantur, instaurentur, & uiuificentur: siue quæ in cœlis sunt, siue in terris. Si enim mihi concedis sapientia Dei conditum mundum, quomodo negabis per eandem Dei sapientiam eos, qui perierunt, fuisse reparandos? At quia sacrificium uel sanctificatio sanguine & passionibus constabat. Certè nulla alia uia reparatio nostri constare potuit, quàm sola morte Christi: atq; id Deus ab æterno præuiderat. Quare cùm sanguis taurorum & cinis non potuerit labefactata repurgare: decuit Christum hostia sui corporis summum sacrificium pro nostri reparatione facere. Oportebat enim (dicebat ipse Luc. 22.) Christum resurgere, & ita intrare in gloriam suam: ut multis filijs in gloriam adductis, se principem eorum: quorum salus erat, per passiones sanctificaret, & nos suæ diuinitatis participes efficeret. Quandoquidem & qui sanctificat Christus, & qui sanctificantur, nos sumus omnes filij ex uno patre Deo. Sed Christus natura filius, nos uerò adoptione. Aut ex uno patre Adam siue homine sumus omnes, tam ille qui sanctificat, id est, purgat, abluit, lustrat, & emundat nos, quàm nos immundi, qui sanctificamur. Vnde uere ille pati & affligi potuit, quod uerus nobiscum ex homine homo fuit. Hac causa ne de Christi humana carne dubitaremus, Lucas Christi genealogiam ad Adæ usque generationem deducit. Christus autor est salutis per mortem suam, qua consummauit, id est, perfectè fecit quæ de ipso erant per Prophetas dicta & figurata. Et hæc est consummatio, quam Paulus infrà 10. cap. dicit, Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Consummare sumitur hìc, pro perfectè gloriosum reddere, dum scilicet ex summa ignominia passionis ad summam resurrectionis & ascensionis gloriam peruenit. Hæc fortißima sunt propugnacula aduersus Valentinianos hæreticos, qui Christi corpus è cœlo lapsum, nihilq; ex purißima uirgine Maria sumpsisse, impiè audent blasphemare.

Propter quam causam. Cùm omnes ex uno simus, non confunditur nos fratres

tres appellare. Sunt qui eò superbire solẽt, ut cùm gradum nobilitatis consequuti sunt, suos nolint agnoscere. Ab his maximè est alienus Christus, qui tametsi ex natura, & ex se nobilißimus sit, nos tamen maximè ignobiles, fratres uocans, filios Dei facit, atq; lubenter nuntiat nobis patrem, & quæ à patre habet, Ioan. 17. pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Obserua, cùm dicit fratribus meis. Frater Christi uocari, omnino uox est magnæ consolationis, & certißimæ spei, olim nos cohæredes fore Christi. Confer cum his dictum Christi, Ioannis 20. Vade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Omnes credentes in eum fratres uocat. Antea non ita propriè credentes sibi fratres nominauit, atque postea factum, ubi eadem cum illis natura participauit. Addet etiam non parum solatij si consideraueris dignitatem dicentis, Annuntiabo. Est enim dux uitæ, princeps saluandorum, primogenitus ex mortuis, caput ecclesiæ, & in omnibus primas tenens &c. In medio ecclesiæ nobis fratribus celebre nomen Dei tradidit, tanquam ecclesiæ princeps, dum spiritum suum tam opulentè in nos effudit, cuius gratia Euangelium totum repleuit orbem.

Nobiles nolũt inferiores agnoscere.

Ego ero fidens in eum. Quasi diceret Christus, Ego patiar & moriar confidens in patre meo, qui gloria & honore perficiet me. Admonet nos, ut soli Deo præcipuè fidamus, quãdoquidem & ipse qui filius est, & nullius ope indigeat, patri tamen se fidere fateatur. Videtur ad hunc modum dicere, Si Christus non fuisset homo, sed solùm Deus, non dixisset, Ego ero fidens in eum. Quis enim sanæ mentis diceret, Deus Deo fidit? Sed Christus Deo fidit. ergo secundum hominem fidat oportet. itaq; necesse est fateri Christum esse hominem cuius gratia nos appellitat fratres.

Christus uerus homo & frater noster.

Quia ergo pueri. Fraternitatem ostendens docet quemadmodum pueri (quos suos uocat) ueram carnem & sanguinem, id est animam habuerunt, ita & Christus nõ phantasticam, sed ueram carnem & animam, hoc est, ueram humanitatem induit, & assumpsit, ut per mortem, quam non nisi homo factus, pati poterat, ut destrueret diabolum. Quid igitur qui afflicti estis, timetis mortem? quæ iam condemnata est, & conculcata? Ex uoce pueri colligit Paulus eum participem factum nostræ naturæ. Non enim dicũtur pueri alicuius, siue nati, nisi qui naturæ cum ipso consortium habent. Ad hunc modum iudicabis de uoce, frater, qui non est nisi fratris frater. Ita Christus unus ex nobis, hoc est, similis nobis, absq; peccato tamen, factus est caro de carne nostra, os de ossibus nostris, id quod est magnum sacramentum. Ephes. 5. Caro Christi in nobis est, & nos in ipso. Quod si carnẽ Christi uerè in nobis habemus, habebimus & spiritum Dei inhabitantem in nobis. Iam si spiritus eius, qui excitauit Christum à mortuis, habitat in nobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora nostra propter ipsius spiritum habitantem in nobis, Roma. 8.

Mors condemnata.

Mors per Christum extincta.

Vt per mortem destrueret. Causæ superioris expositio est, cur hominem assumpserit. Christus Deus & homo morte sua, qua se Deo & patri obtulit, ueram mortem extinxit, & suffocauit, expians peccatum illud primi parentis, ex quo mors exorta, & imperium diaboli sumptum erat. Ioannis 12. Nunc iudicium est mundi: Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Ad Colossens. 2. Expolians potestates & principatus, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in semetipso. Præterea, ex debito iustitiæ, uictor uictum sibi subijcit. 2. Petri 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Sed Christus uicit diabolũ. Apoc. 5. Vicit leo de tribu Iuda. Ideo iure factum est diabolum Christo subiectum, & uictum, id est, potestate nocendi exutum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

exutum,hoc autem non factum fuisset,nisi filius Dei incarnatus fuisset:ut morte sua satisfaceret pro peccato nostro. Ergo decuit filium Dei assumpsisse humanitatem, ut à Deo præuisum & præordinatum erat.de fructu assumptæ humanitatis copiosè tractatur Roma.5.6.8.Item Ioan.6.8.11.& 12.

Et liberaret eos. Liberauit timore illo perpetuo affectos Christus, extinguens mortem,quæ est ex peccato,ad Roma.5. per unum hominem peccatum,& per peccatum mors.Perpetuum erat peccatum,si Christus non uenisset.Perpetuus igitur fuisset timor mortis,nisi Christus uita nostra mortẽ nostram extinxisset.1.Corinth.15.Stimulus mortis peccatum est:uirtus uerò peccati,Lex.Vide peccatum inducere mortem & mortis timorem,Eccles.41. O mors quàm amara est memoria tua. Sed audi Christum uictorem ex Oseæ cap.3. & 1.Corinth.15. Absorpta est mors in uictoria. Qui erant ante Christi uictoriam aduersus Diabolum & mortem, uidentur fuisse magna mortis formidine correpti. Exemplo erit ipse Abraham Genes.12.& 20. qui ut se periculo mortis eximeret, exposuit aliqua ex parte periculo iniuriarum Saram. Nam mortis tum nondum soluta erat tyrannis, neq; aculeus eius hebetatus. Hoc idẽ expendi potest ex promissionibus & minis Iudæis in lege factis. Nos autem, qui Christum in carnem uenisse credimus,& morte deuicta resurrexisse,considereq; iam in cœlestibus,spem nostram ita fulciamus,ut dicamus cum Apostolo, Quòd neq; mors,neq; uita,neq; angeli, neq; ulla creatura alia possit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo IESV. Imò cupimus dissolui & esse cum Christo. Roma.8.Philip.1. Summa eorum, quæ huc adduxit Paulus,est: Oportebat incarnari Christum,ut haberet quod pro nobis offerret,& holocausto proprij corporis,mortales uitæ restitueret.

Christus nõ angelicam assumpsit naturam.

Nusquam enim angelos. Non hoc honore est dignatus naturam angelicam,quam non assumpsit.sed semen Abrahæ,id est,naturam humanam,quam hic dicit apprehendisse,utpote longè fugientem, & propter peccatum abeuntem,imò & reluctantem.Hoc dictum ex metaphora insequentium eos qui reuertuntur,& omnia facientium,ut fugientes occupent.Voluit ergo filius Dei fieri homo,ut spem nobis faciat placati patris erga perditum mortalium genus,quod tam ardenter dilexit, ut etiam angelos huic postposuerit.Huc pertinet quod scribit Tertul.in lib.de carne Christi. Christus (inquit) salus hominis,fuit causa scilicet ad restituendum quod perierat, homo perierat,hominem restitui oportuerat. Vt angelum gestaret Christus nihil tale de causa est. Nam etsi angelis perditio reputatur in ignem præparatum Diabolo & Angelis eius,nunquam tamen illis restitutio promissa est. Nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus à Patre.Quod pater neq; repromisit,neq; mandauit,Christus administrare non potuit.hæc ille.

Vnde debuit. Qui est splendor gloriæ, & character substantiæ,qui secula fecit,homo factus est,omnes nostras infirmitates peccatum non importantes assumpsit,ut propitietur peccatis populi.

Episcopi munus.

Christus nos repropitiauit patri.

Vt misericors fieret. Fidelis,id est,uerax & potens, ut pontificis munus impleat. Est ueri pontificis officium,eos prauis eximere facinoribus quorum est pontifex constitutus. Ait, ut misericors,& c. id est,nullam aliam ob causam carnem assumpsit, nisi ut per eam nostri misereretur,& humi iacentes attolleret, qui repropitiaret, hoc est, qui Deo acceptus suo intercessu à Deo nostris erratis ueniam impetraret, quibus ipsi anteà oppugnabamur.

Christus mortis uictor.

In eo enim in quo passus est. Explicat simul & cõfirmat quod dixit,Christum misericordem & Pontificem nostrum.Natura ipsa comparatum est,ut pronior ad miserẽdum misericors sq; magis sit ac εὐμεταβόλος,qui miserias & pericula,eaq; omnis generis,expertus est:quàm qui nunquàm indoluit,& cui omnia pro uotis feliciter successerunt.Huius generis homines qui nihil aduersi sunt experti, duriores sunt, & nullo affectu misericordiæ ducuntur erga eos,quos calamitatibus & malis premi conspiciũt. At talis non est Christus, qui per omnia tentari uoluit, & periculum infirmitatum nostrarum subire,quo tentatis nobis,& malis undeunde miserè iactatis subsidio esse possit:tam pronus est ut nos uehementissimè amet, & maximo misericordiæ affectu tangatur.Hactenus disseruit Paulus de uera Christi humanitate.

CONCILIATIO.

Prima.

QVID hîc Paulus legis Euangelicæ transgressores seueriore pœna puniendos, dicit:cùm Christus Matt. 11.mitissimam legem dicat,Iugum(inquit)meum suaue est,& onus meum leue. RESPONDEO, Mitior est lex Euangelica, quæ quoties quis peccauerit,toties eidem,modò pœnituerit, remittitur peccatum. Transgressori autem legis Mosaicæ non remittebatur pœna, ut infrà dicetur,Irritam quis faciens legem Moysi,sine ulla miseratione sub duobus aut tribus testibus moritur. Aut si mauis, Seuerior est uetus,quòd præceptorum multitudine grauaretur.

Lex uetus noua seuerior.

Secunda.

VIDETVR Paulus ex hoc loco quo exprimit confirmatam in se salutem illam ab ijs qui audierunt,sibi aduersari,ad Galat. 1. cap.dicenti, Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem,sed per IESVM Christum & Deum patrem.Aut dicendum erit cum Thoma de Vio Cardinali Caietano, & alijs plerisq;, hanc epistolam non esse Pauli. NIHIL pugnantiæ offendes in his Pauli locis. Quia cùm Paulus Galatis scriberet,& permagnum aliquid inerat & necessarium, quod eum urgebat, non hominum se fateri discipulum:illi nanque obijciebatur, quemadmodum non Dominum audiuisset, eoq; & eius prædicatio periclitabatur, ne fides prædicandi sibi à discipulis demeretur:hic uerò ad Hebræos nulla huiusmodi cogebatur necessitate. Nam neque Hebræis Euangelium prædicabat, neque illi obtrectabant, quod hominum esset, non Christi discipulus.Vel quia diuino testimonio,id est,signis & portentis à Deo,non ab hominibus, arguit hæc se accepisse. Aut dicito Paulum primò à Christo audiuisse hanc salutem,deinde in se confirmatam per Ananiam,ut Act.9. scribitur. Vide supra in scholio huius textus.

Tertia.

PAVLVS asseuerans legem datam per angelos,aduersatur Exod.cap.19. Vocauit dominus Moysen de monte. Et Exodi 33. Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem. DOMINVS Moysi loquutus est,qui illi per angelum tanquam per subiectam creaturam loquebatur,autore August.lib.3. de Trinitate,cap. 11. Cùm uerba iudicis(ait)præco pronuntiat,non scribitur in gestis, ille dixit, sed ille iudex. Sic etiam loquente propheta sancto, etsi dicamus,Propheta dixit:nullum alium quàm Dominum dixisse intelligi uolumus.

DICTIO.

Filij hominis.

FILIVS hominis Hebræis dicitur quiuis è plebe & abiectus homo: atque ita se Christus frequenter uocat humilitatis gratia. Sic Ezechiel filius hominis frequens appellatur,id est,abiectus & uilis,ne magnitudine reuelationum extollatur,& ut suæ,id est,humanæ conditionis memor,non insolescat ob reuelationes.

Caro & sanguis.

NOMINE carnis & sanguinis aliquando ipsam naturam carnis & sanguinis, ait beatus Thomas,intelligimus,Geneseos 2.hoc nunc os ex ossibus meis,& caro de carne mea

ne mea. Interdum nitia carnis & sanguinis, Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Aliquando dicitur ipsa carnis cnrruptio 1. Corinth. 15. Caro & sanguis regnum Dei non posidebunt, neque corruptio incorruptionem. Christus naturam ipsam carnis sine peccato assumpsit, & communicauit carni & sanguini, sicut & pueri eius, ut hoc cap, dicitur: id est, factus est homo uerus, mortalis & passibilis, sicut & pueri eius.

Christus longè præcellit Moysen. CAP. III.

Apostolus & pontifex noster Christus. Nume. 12. b Moyses.

VNde fratres sancti, uocationis cœlestis participes, cõsiderate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ IESVM, qui fidelis est ei qui præfecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam. Omnis nanq; domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimoniũ eorum quæ dicenda erant: Christus uerò tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usq; ad finem, firmã retineamus. Quapropter sicut dicit spiritus sanctus, Hodie si uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerũt & uiderunt opera mea. Quadraginta annis, propter quod infensus fui generationi huic, & dixi, Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt uias meas: quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meã. Videte fratres, nequãdo sit in aliquo uestrũ cor malum incredulitatis discedendi à Deo uiuo, sed adhortamini uosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantiæ eius usq; ad finem, firmũ retineamus, dum dicitur, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, quemadmodũ in illa exacerbatione. Quidam enim audientes, exacerbauerunt: sed non uniuersi qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et uidemus quia nõ potuerunt introire propter incredulitatem.

Præfecit] constituit. Amplioris enim glorię] ampliori enim gloria. Domo, qui fabricauit illã.] is qui cõstruxit domum, quàm ipsa domus.

Domus Dei.

Sua] ipsius.

Fiduciam & gloriam] audaciam & gloriationem.

Psal. 94. c

Secũdum diẽ] in die.

Exhortatio ad fidem ne pereamus, exemplo Iudæorum.

Nume. 14. f

Vnde

Vnde fratres sancti. *Quò maiorem sibi auditorum gratiam, & fauorẽ conciliet ad exhortationem, ut Christum agnoscant & Euangelium magno honore excipiant, fratres uocat, quòd patrem habeant Deum sibi communem. Et quos alibi fideles & credentes appellat, nunc sanctos dicit, quòd (ut in Corinthijs ait) sanguine Christi & sancto Dei spiritu sunt sanctificati.*

Vocationis cœlestis. *Ac si dicat, Ad cœlum sumus aceiti, nihil hìc requiramus. Illhic nanq; & præmia sunt futura & retributio. Ac si diceret, Vos qui fratres Christi estis, sancti, id est, sanctificati & purgati illius sanguine, cœlestis uocationis participes, id est, uocati ad cœlestem societatem, perpendite, quæso, quanta hæc uestra sit dignitas quam in Christo accepistis: in hunc si mentis oculum infixeritis, nihil periculi erit quo pereffluatis, aut uerbo crucis offendamini.*

Apostolum. *Quia ad omes Israël Christus transmissus est ad cõfirmandas promissiones patrum & ut gentes pro misericordia glorificent Deum. Et nostræ confessionis: id est, fidei pontifex est. Christo enim hinc ad cœlum traijcimur, qui pontifex & sacerdos noster interpellans pro nobis, maior præfectus in ecclesia quàm Moses populo Israëlitico. Maior, inquit, qui Deus & homo est, creator & conditor domus illius excellentis, hoc est ecclesiæ, Ephesi. 2. Moses autem seruus & creatura, non Deus. Huius Christi domus nos sumus, si constanter ac liberè Christum nihil trepidantes prædicemus, & usq; in finem in hac professione persueremus.*

Christus apostolus ad omes Israël. Christus pontifex Moyse maior.

Nos sumus domus Christi.

Qui fidelis est. *Hebræos hortatur ad Christi dignitatem considerãdam, argumento ab exemplo & collatione sumpto, qua collatione eò progredietur, quo probabit Christum Mose maiorem esse. Commendatis uestrum Mosen ait fidelitate, diligentia & sedulitate, qua œconomiam suam & domum administrauit, cuius imperiũ si quis contempsisset, iure optimo pœnas luere dignas debuit. At Christi administratio & prædicatio in Ecclesia sua commendatissima nobis esse debet: utpote quæ nõ minorem in agendo ardorem & diligentiã fidelitatemq; habuerit quàm Mosis. Atq; illi fidelis fuit, qui se constituit uniuersorum hæredem, quiq; se audiendum ut dilectum filiũ cœlitus iussit. Hunc ergo qui contemnet, quomodo ultionem Dei mortemq; præsentissimam effugiet? Certè si de Mosis fidelitate non dubitatis, multò minus de fide Christi dubitare potestis, ut qui infinitis partibus hũc excedit. Et ne fallere quidem potest, tantum abest ut uelit. Nihil ille uobis contulit, quod in Christo non plenius accipiatis, si fide uiua hunc susceipere libeat. Locus de fidelitate Mosis, unde hæc sumpsit Apostolus, extat Numer. 12. Ex eodem texuntur & consequentia.*

Amplioris enim gloriæ. *Gloriam, cristas & supercilium Iudæorum deprimit: quo eripiat illis quam falsè in Mosen habebant confidentiam. Iactitabant enim se Mosi discipulos esse, & Christum ignorare, Ioan. 8. Dixerũt ergo ei (scilicet cæco nato) Tu discipulus illius sis: nos autem, Mosi discipuli sumus. Nos scimus quia Mosi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. Horum præcludit ora Paulus, per antitheses, quibus conferuntur Christus & Moses. At multis nominibus docet Mosen Christo inferiorem. Nihil est quod uos à Mose euocet, sed illi tanquàm uiro Dei per omnia creditis. Multò minus à Christo (licet crucifixo) recedere debetis. Si enim Mosi crederetis, & Christo de quo uester Moses scripsit, crederetis. Moses gloriam habet, sed qualẽ creatura: Christus uerò ut creator. Moses in populo uersatus est, sed tanquã portio seu pars domus, hoc est populi: Christus uerò ut architectus & constructor domus & familiæ Dei. Ergo & gloria & dignitate Mosi prælatus est. Cùm dicit amplio-*

ris glor

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris gloriæ, alludit ad id quod scribitur Exod. 34. de uultu Moysi resplẽdescẽte, de quo etiam 2. Corinth. 3. Quòd si ministratio mortis quæ literis deformata est in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam uultus eius quæ euacuatur, quomodo nõ magis ministratio spiritus erit in gloria. &c. Vide locum illum. Gloriosus erat Moyses: Nam ore ad os Deo locutus est: & splendescebat uultus eius. At longè gloriosior Christus, qui in monte Thabor aliquo modo splendorem proprium discipulis reuelauit, Matth. 17. Et audita est uox patris: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui: ipsum audite. Splendor uultus Moysi, nihil aliud fuit quàm umbra ueritatis, quæ ueritas in Christo est: unde & longè amplior in eo splendor & gloria quàm in Mose apparet. Quare hunc adorate, & Mosen huic præferre, cauete.

Et Moyses quidem fidelis. Alia antitheſi oſtendit Moſe Chriſtum ſuperiorem, argumento à comparatis ſumpto. Natura comparatum eſt ut filius familiâs magis adductus ſit bono domus & familiæ ſeruando, quàm ſeruus. Ergo ſi fidelitatem Moyſi ſerui probaueritis: magis à uobis commendanda erit Chriſti filij naturalis & ueri hæredis fidelitas, in ſeruanda ſua & propria hæreditate. Poterat Moſes ut ſeruus è domo eijci, ſed Chriſtus non item. Manet enim filius in domo in æternum. Ioan. 8.

In teſtimonium eorum quæ dicenda erant. Explicat amplificatione quadam ſuperiora. Quæcunq; per Moyſen facta ſunt, umbra erant futurorum, hoc eſt, ueritatis, quæ ſubſecuta eſt in Chriſto IESV. Ioan. 1. Lex per Moſen data eſt, Gratia & ueritas per IESVM Chriſtum facta eſt. Sed umbra ad ueritatem nihil eſt. Eſt ergo Chriſtus Moſe excellentior.

Quæ domus ſumus nos. Ne ſuperiorum allegoriã transferamus aliò quàm ſpectarit Paulus, ſeipſum explicat. Nos (inquit) ſumus domus IESV Chriſti, ſi fide uiua credamus, & ad finem uſque perſeuerauerimus in ea. Vſitatiſſimum eſt in Scripturis fideles dici templum Dei, domum Dei, habitaculum Spiritus ſancti, 1. Corinth. 3. & 6. 2. Corinth. 6. & alibi. Ex his colligimus Eccleſiam (quæ domus Dei eſt) eſſe ſanctorũ, hoc eſt, fidelium collectionem & cœtum, quæ ſolida fide & petra firmiſſima nititur: quæ uerbo ueritatis augeſcit, & aduerſarios propulſat. Vt nõ frustra dixerit Paulus, 1. Timoth. 3. Hæc tibi ſcribo fili Timothee, ſperans me ad te uenire citò. ſi autem tardauero ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis. Hæc non habet rugam, irreprehẽſibilis eſt, Epheſ. 5. Nam huius domus & Eccleſiæ caput, paſtor, ſponſus, uita, uis & ſalus eſt Chriſtus IESVS. In hac Moſes, Prophetæ & Apoſtoli ſunt miniſtri. Huius domus ſuppellex, & ornatus, ſunt Sacramenta, uerbum Dei, prædicatio, uitæ regula, lumen, lex, & ſtudiorum ſacrorum inſtitutio. Ouium Chriſti ouile unicum eſt, cuius oſtium ſolus Chriſtus: qui dicit Ioan. 10. Si quis introierit, ſeruabitur: & ingredietur & egredietur & paſcua inueniet. Ergo extra hanc domum ſiue eccleſiam, nulla ſalus, nulla ueritas, nulla fides, nulla religio uera. hactenus demonſtrauit Paulus Moſen Chriſto inferiorem eſſe: ut à cognitione Chriſti ſe alienos Hebræi nulla excuſatione aſsererent.

Quapropter. Redit ad id quod principio ſecundi capitis propoſuit, Chriſtum ſcilicet audiendum, & Euangelium non contemnendũ, argumento ueluti à uiuo exemplo ſumpto, & ad ſuum inſtitutũ tam diſertè accommodato, ut te ſingula non audire, ſed corã contueri putes. Cauete ô Hebræi cõtemnere Chriſtũ, & Euangeliũ reſpuere. Nam ſi patres ueſtros tanta ſeueritate Deus puniuerit, quòd Moſi nõ obedierint: certè multò

multò acerbiores luetis pœnas, ſi eum aſpernari perrexeritis, qui etiam Moſis eſt Dominus. Præterea Spem miris modis explicat. Quemadmodum tibi ſint pro laboribus certiora præmia explicanda & quietudo, idq; prophetæ dictis confirmatur, Quemadmodum in requiem ingreſſuri ſint credentes. Qui uerò contrà minus crediderint, quales fuere illi priſci Iudæi, nequaquam ſint hanc requiem adituri. Hanc prophetiam hoc capite & ſequenti explicaturus, tres requies eſſe dicit: Vnam ſabbathi, qua Deus requieuit ab operibus ſuis. Secũdam in Palæſtina, in quam ingreſſi Iudæi requieturi erãt ex miſeria multa & laboribus. Tertiam quæ reuera eſt requies, hoc eſt, regnum cœlorum, ad quam qui perueniunt requieſcunt ab omni labore. Tres requies.

Quibus iurauí in ira mea, ſi introibunt. Reticentia eſt figura, quæ à Cicerone dicitur obticentia, à Celſo & nonnullis interruptio: & eſt pluriũ dictionũ ſubauditio, iratis maxime apta, ut apud Terentium, Quem ego ſi ſenſero. Quem ego ſupple, acerrimè puniã, ſi ſenſero fallacem. Et Vergilius, Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus. Quos ego, ſupple, puniam. Hanc reticentiam in ſacris literis frequẽter obſeruatam legimus: ut Pſal. 88. Si Dauid mentiar, ſemẽ eius in æternum manet: quaſi dicat, uideatur ſi Dauidi mentiar, Vel non committam ut Dauidi unquam mentitus uidear. Ita & hoc loco ex Pſalmo 94. Quibus iurauí in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. ac ſi diceret, Iurauí eos non ingreſſuros in requiem meam. Aduerte hanc particulam Si, abiurantis eſſe, & quaſi abrupti iuramenti: & perinde ualet, quaſi dicas non. Vel quaſi diceret, hoc uel hoc eueniat mihi ſi ingreſſuri ſunt in requiẽ meã. Ali quoties addimus, Emoriar ſi fecero. Diſpeream ni optimũ erat. Indicat Chryſoſtomus hic hyperbaton eſſe, in hoc quod dicitur, Hodie ſi uocẽ eius, &c. Totum enim ſermonẽ, qui in medio eſt, pendere uſque ad initium proximi capitis, Timeamus ergo: aſſerit. Reticentia. Si, Particula.

Videte fratres. Summam prædictorum ueluti compẽdio complectitur, hac exhortatione, ut quiſque apud ſe probè curet ne incredulus ſit Dei negotio: hoc eſt, ut ante omnia caueamus ab incredulitate tanquàm præſentiſſimo exitio noſtro. Videte fratres, circunſpecti eſtote: Nam ſummum hîc periculum incumbit negligentioribus. Malum incredulitatis, id eſt, cor incredulum, uel ipſa cordis incredulitas non ſit in aliquo: quæ planè reddit hominem impium. Nam ubi cor (arbor ipſa, uel radix) malum fuerit, qui boni fructus ex eo produci poſſunt? Nulli. Quare uos adhortor circunſpecti ſitis ne hæc peſtis, & præſentiſſimum hoc uenenũ uos ſubitò opprimat. Diſcedendi à Deo. Ne quis deſciſcat & deficiat à Deo autore uitæ. Vide & agnoſce incredulitatis ramũ, aucli & deficere à Deo uiuente. Colligamus ex his: Cùm incredulitas Apoſtaſiam hãc à Deo inducat, in quo tamẽ uiuimus, mouemur & ſumus: dicendum eſt, omnes infideles mortuos, & uera priuatos eſſe uita. Nam extra Deum, ut non eſt ſalus, ita nec uita. Obſerua interim beneficentiam Dei in nos. Non permittitur quis in diffidentiam cadere, niſi prius à Deo deſciſcat.

Sed adhortamini. Rogabit aliquis. Quid igitur fiet? Reſpondet Paulus. Sed exhortamini uos inuicem quotidie, & date omnẽ operam, ut ſit in uobis uera fides, & ne à Deo deſciſcatis. Poſt eaquã aliqui edocti ſunt, non indigẽt ut doceãtur, ſed ut moneantur & adhortatione incitentur ad exequenda ea quæ fuerũt tã ſalubriter edocti.

Donec hodie. Quandiu uiuitis, & pœnitentiæ datur locus, nolite peccati delicijs decipi, ne frequenti peccato obduremini. Tanto enim tempore nobis eſt hodie ſiue dies hodiernus, quanto tempore Deus nobis loquitur, ad pœnitentiam inuitat, & corda noſtra pulſat. Audite igitur, & aperite illi, quo ultionem illius effugiatis.

Vt non obduretur quis. *Quemadmodum orbata luminibus corpora & duriora nequaquam se medentis manibus attrectanda subiecerint, ait Chrysostom. Sic & animæ iam in malis obduratæ, Dei uerbis minus parebunt.* Peccati fallacia. *Fallaciã peccati uel dæmonum suggestiones appellat, uidelicet quòd nullam quis expectet futuram bonorum malorum'ue retributionem: qua fallacia decepti erant Sadducæi resurrectionem negãtes,* Matt. 22. & Marci 12. *Vel fallaciam desperationem dicit. Quod obdurati homines reliquum uitæ uiuunt desperatè.*

Participes enim effecti. *Vt neque corpus à capite, neque membrum à corpore est seiungendum: sic neque nos, qui per uiuam fidem sumus unum cum Christo, ab illo seiungi debemus. Ipse enim caput est, nos corpus, cohæredes & concorporales, unum corpus sumus ex carne eius & ossibus eius: Non ergo à capite nostro* IESV *Christo seiungamur.*

Initium substantiæ. **Si tamen initium substantiæ.** *Initium substantiæ dicit fidem. Per hãc enim subiuimus illam diuinam & spiritalem substantiam, per quam & regenerationem accepimus. Fides enim initium est substantiæ spiritualis, per quam spiritualiter subsistimus & uiuimus: ut infrà cap. 11. amplè declaratur.*

Dum dicitur, hodie. *Timeamus supple, dum intelligimus dictum nobis, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra: ne similiter pereatis cum his, qui Deum irritauerunt.*

Infensus. **Infensus.** *Infensus Latinis dicitur qui aduersus tendit in quempiam. Porrò Græcis προσοχθίζειν est tædium molestiamq; capere ex re quapiã. Deniq; Hebræis est akut, quod tædij molestiæq; significationem sonat. Vnde diuus Hieronymus trãstulit, Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa: hoc est, pertuli eam semper rebellantem, idq; non sine tædio meo. Nam Deus in literis diuinis sæpenumero hominum more loquitur. Deus illis maximè est infensus, qui desperationis & murmurationis peccato peccauerunt, propter quod non sunt ingressi terram promissionis, sed in solitudine mortui sunt. Et conciderunt uel peste, uel gladio absumpti, & nonnunquam terra absorpti, aliquando fulmine attacti & extincti, tandem uerò, quod omnium erat miserrimum, ipsa etiam requie frustrati.*

Et uidemus quia. *Particula ὅτι, uidetur esse uel inferentis, pro ergo, uel repetentis nota, pro sic: ad hunc sensum, Ergo uidemus incredulitatem ipsorum præclusisse uiam ne ingrederentur requiem. Aut, Sic, inquam, uidemus illos propter incredulitatem non ingressos requiem.*

CONCILIATIO.

Prima. PAVLVS *hîc asseuerans, Quorum cadauera prostrata sunt in deserto, uidetur aduersari Ezechieli 20. cap. dicenti, Eieci ergo eos de terra Aegypti, & eduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi illis, quæ faciat homo & uiuat in eis. Et sequitur paucis admodum interiectis, Post idôla enim cor eorum gradiebatur, & pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos, nec consumpsi eos in deserto.* RESPONDEO, *Ezechielem enarrare Dominum misertum esse eorum, cùm eosdem damnationi æternæ non adiudicauit. At ne peccatum illorum exteris multum uideretur, puniuit illos Dominus temporali pœna, quam pœnam Paulus hic exprimit. Solet enim Dominus aliquando post remissam culpam & peccatum, infligere pœnam temporalem: ut satis aperto argumento est, id quod 2. Regum 12. de Dauide legitur, ad quem propheta Nathan ait, Dominus transtulit peccatum tuum:*

Peccatum ultũ post culpam remissam.

Non

Non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter uerbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Vide post remissam culpam, ultum peccatum pœna temporali in filij morte.

Secunda. QVARE *Paulus hic incredulos tantum periisse commemorat: cùm Iosue 5. asseratur, Omnes uiri qui egressi fuerant ab Aegypto generis masculini mortui sunt in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis.*

TEXTVS *iste Pauli ad historiam, quæ Numeri 14. habetur, referendus est, ubi omnes ab anno uigesimo obtrectationis in Deum arguuntur: propterea ex insperato mortui sunt. Posteri autem seu minores, qui obtrectationi non consenserant, tandiu ingressum distulere, quoad parentum cadauera in cineres resoluta essent. Hanc temporaneam pœnam filij passi sunt ob peccatum parẽtum. Frequens est in sacris exemplum, filios ob parentum culpam pœna temporali affectos: ut in aquis diluuij multi innocentes perierunt, Genes. 7. & in Sodomis Genes. 19.*

DICTIO.

Vocatio. VOCATIO *quædam generalis Matt. 22. Multi sunt uocati, pauci uerò electi. Altera est specialis, quæ à Paulo dicitur electio secundum propositum Dei, ad Roma. 9. Vt electio secundũ Dei propositũ maneret. Et hæc tantũ est prædestinatorũ seu sanctorum, autore Paulo, Roma. 8. Quos autẽ prædestinauit, illos & uocauit. De hac duplici uocatione scripsit Augustinus lib. 1. cap. 2. ad Simplicianũ. Et lib. unico expositionũ quarũdam propositionũ epistolæ ad Rom. cap. 55. Itẽ Ambrosius libro de uocatione gentiũ.*

Requiem Domini ingredi nemo negligat.

CAP. IIII.

Existimetur] uideatur Deesse.] fuisse frustratus. Auditus] auditionis Ex ijs quæ] ijs qui

TImeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione introëundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus non admistus fidei ex ijs quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem qui credimus: quemadmodum dixit, Sicut iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic, Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum, Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest, introire quosdam in illam, & ij quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam, hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est, Hodie si uocem eius audieritis: nolite obdurare corda uestra. Nam si eis IESVS requiem præstitisset: nunquam de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius: etiam ipse requieuit ab

Fides in uerbũ Dei.

Sabbathum & requies Dei.

Genes. 2. a

Infidelitas.

Suprà 3. b

Iosue ueram requiem nõ præstitit Iudæis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

operibus suis, sicut & à suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos IESVM filium Dei: teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius: ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

In idipsum ẽ Vel, quis eod] concidat incredulitatis exemplo

Sermo Dei.

Ecclesi.15.d Psal.33.c

Inuisibilis] Occulta

Exhortatur ut accedamus ad pontificẽ Christum.

Pro similitudine] iuxta similitudinem

2.Corinth.3.

Existimetur aliquis ex nobis deesse: *Id est, non assequutus fuisse. Aut, ne existimetur aliquis tardius uenisse & abfuisse quãdo introeundum erat in requiem Christi, id est regnum cœlorum. Alludit ad eos, qui comites, per torporem animi, uel inertiam corporis in cœpto itinere assequi nõ possunt. Aut alluſit ad uirgines fatuas, quæ cùm negligentes fuissent, & emptum irent oleum, quæ paratæ erant intrauerunt cum sponso ad nuptias, clausaq; est ianua: at redeuntibus fatuis dicitur, Amen dico uobis, nõ noui uos. Matth.25.*

Etenim nobis nuntiatum est. *Occupatio est. Dicet aliquis, Quid mea interest, & quid ad me attinet, uel pollicitus ille ingressus in requiẽ, uel maiorum illa incredulitas? Respondet Paulus: Promissiones maiorum, spiritualiter nostræ sunt, & ad nos pertinent. Beneficium illud de requie non minus nobis quàm illis nuntiatum est.*

Sermo auditus: *Id est, sermo auditionis non coniunctus est aptè. Vt anima copulatur corpori temperatura: ita fides ueluti uita est ipsi auditui. Non ergo profuerit audiuisse Euangelium, nisi fideli cordi imprimatur quod auditum est. Estote factores uerbi (ait Iacobus) & non auditores tantum.*

Tres requies.

Ingrediemur enim in requiem. *Contẽdit Paulus manifestare de qua requie loquitur Dominus, cùm dixit per Prophetam, In requiem meam: ostendens tres requies ex scriptura, quarum prima ad solum Deum pertinet, qua requieuit non lassitudine, sed operum completione, quæ de nouo creare desierat, non gubernare. Secunda ad Iudæos de terra promissionis, cùm dicit, Hodie si uocem &c. quo aduerbio hodie indicat diem & tempus salutis Christianæ, in quo si credentes non obdurauerimus, quemadmodum qui Caleb & Iosue non adhæserunt, sed operantes iuxta fidem auditorum & promissorũ uiuimus, relictum nobis sabbathismũ, id est, ueram requiem introibimus & cõsequemur, in qua ab omnibus molestijs liberati, uiuemus: sicut Deus septimo die cessauit ab omni opere externo, ut dictum est. Quidam claudit parenthesi hoc, quemadmodum dixit, Sicut iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam. ut sit sensus: Ingrediemur*

diemur in requiem nos qui credimus, & sanè in eam requiem qua requieuit Deus die septimo ab omni opere, ut prænotauimus. Et in hanc inquã requiem id est, hanc quietẽ æternam, typo terræ Chanaan adumbratam, uocauit eos qui duce Mose ex Aegypto sunt egressi, sed illis aspernãtibus nõ sunt ingressi. Incipit hic anagogẽ facere à requie promissa populo Israelitico in terra Chanaan, ad requiem promissam nobis in cœlis.

Itaq; relinquitur sabbathismus populo Dei. *Superiorum cõclusionem affert. Ex his quæ disputauimus, concludimus quòd uera illa quies siue sabbathismus, cuius meminit Propheta Dauid, Hodie si uocem &c. neq; est per Iosue præstita, neq; est solùm patribus promissa, sed populo Dei, id est omni in Christum credenti, siue Iudæo, siue Græco. Omnis enim qui uerè in Christum crediderit, & in finem perseuerauerit, introibit in requiem illam, & uerum sabbathismum.*

Vt ne in idipsum. *In idipsum, hoc est, in idem exemplum: hoc est, ne quis cadat, ut illi ceciderunt in deserto eodem exemplo incredulitatis & inobedientiæ. Et sicut illi ceciderunt ob incredulitatem, ut dicit psalmographus, ita & isti perirent similiter peccantes.*

Viuus est enim sermo. *Sermo Dei, scilicet, quem loquitur contra incredulos, qui sunt contra quos iurauit, ut non introirent in requiem eius, &c. uiuus est, non mortua est litera, nunquam intermoritur, sed semper manet immutabilis, & efficax, id est, efficiens quod iurat. Et quod pollicitus est, præstat. Non ergo contemnendus est, sed timendus. Intelligi potest hic locus uel de uerbo ingenito, ut sentit Chrysostomus, Sapiẽ. 18. Omnipotens sermo tuus Domine exiliens à regalibus sedibus uenit. Vel de uerbo, quod internè homini inspirat, Est penetrabilior omni gladio ancipiti, seu utrinq; scindente, cui nulla creatura resistere potest. Sententia Dei, comminationes Dei dicuntur gladius Dei. Huc pertinet quod scribitur Esaiæ 49. unde uidetur desumpta hæc gladij alluſio: Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meæ recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum.*

Sermo Dei uiuus.

Vsq; ad diuisionem animæ. *Id est, sermo Dei uiuus Christus omnia nouit, etiam internas cordis cogitationes. Vnde in eandem sententiam subdit Paulus, Et non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius. Cùm dicit Compagum quoq; &c. nõ intelligas ista carnaliter de corpore exponenda esse, quasi hic gladius, sit uisibilis gladius: sed allegoria quadam adumbrare uoluit uim uerbi Dei, intima penetrare animi penetralia: Et filium Dei, omnia hominis intus, & in cute cognoscere. Quare increduli non putent suam infidelitatem Deum latêre, ut non ulciscatur. Huc pertinet quod scribitur Isa.29. Væ qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera: & dicunt, Quis uidet nos? & quis nouit nos? Peruersa est hæc uestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet: & dicat corpus factori suo, Non fecisti me. Et figmentum dicat fictori suo, Non intelligis. Ad quem, dictum est pro de quo nobis est sermo. Aut quòd transitum faciat Paulus ad sequentia, ut dicat se nunc copiosioribus de uerbo Dei, id est, filio Dei disputaturum.*

Habentes ergo pontificem. *Ab exordio tertij capitis adhortatus est, consideraremus Christum Apostolum & pontificẽ confessionis nostræ. Nunc qualis sit ille pontifex paucis perstringens, animos auditorum conciliat & præparat ad ea quæ de ipso pontifice & mediatore longa disputatione dicturus est. Dicẽs, Pontificẽ, intelligit & mediatorem. cùm idem sit, quãtum ad rem attinet, mediator & pontifex. Mediatoris genium & officium explicat Chrysost. Homilia 7. in epist. Pauli ad Timoth. prio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem. Enimuero mediator (inquit) utrisq; eis debet societate coniungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, utrorunq; participem fieri, quorum fuerit mediator. Quemadmodum enim loci cuiuslibet medium utranq; partem cõtingat necesse est: ita & naturarum ambarum medium oportuit utrasq; naturas contingere, atq; connectere. Quemadmodum igitur homo factus est, ita Deus erat. Homo quippe purus mediator nunquam penitus fieret. Oportebat enim huiusmodi mediatorem cum Deo colloqui. Hæc ille. Ad eundem modum sonant uerba quæ Augustinus de mediatore scripsit lib. de ciuitate Dei 9. cap. 15. Habemus ergo mediatorẽ & pontificem IESVM Christum Deum & hominem, qui penetrauit cœlos, ubi ad dexteram patris sedet, interpellans pro nobis. His allusit ad introitum pontificis Leuitici, in sancta sanctorum semel in anno non sine sanguine intrantis. Teneamus ergo confessionem nostram firmiter, neque fidem nostram amittamus, qui beneficio Dei nacti sumus tantum pontificem. Quem non putaueris supercilio sum, difficilem, seuerum, rigidum & inexorabilem: sed fidelem & misericordem. Vtpote qui tentatus est per omnia, id est, malis & afflictionibus omnibus, quibus affligi solemus, est exercitatus, hoc uno excepto quòd peccatum neque fecit, neque facere potuit. Dixit Pro similitudine, iuxta idiotismum Hebraicum, pro eo quod est, Prorsus eo modo quo nos tentamur, excepto peccato. Voluntariè ergo uoluit Christus nostris afflictionibus exerceri, ut eius tentatio in afflictionibus esset nobis argumento, quàm compatiatur nostris infirmitatibus, quàm promptus sit ad miserendum. Ne metuamus. Longè nanq; alius pontifex nobis contigit, quàm ut illi contemptui esse possimus. Item quomodo abhorreret à peccatoribus, qui uenit in hunc mundum peccatores saluaturus?

Propitiatorij significatio.

Adeamus ergo. Hoc uerbo explicat nobis quid illud propitiatorium uetus significarit. Animo confidentes, nihil in fide hæsitantes, sed in promissionibus eius liberè confidentes adeamus, ut misericordiam consequamur.

Ad thronum gratiæ eius. Non est quòd totus formides cùm audis thronum, quasi iudiciariam & terribilem significare uellet sententiam. Nam addit, gratiæ, nimirum ad propitiatorium alludens, quod unus Christus est, sicut & thronus gratiæ. Christus uult omnes homines saluos fieri. Cognoscamus ergo IESVM Christum esse uerum à Deo ordinatum sacerdotem, interpellatorem & redemptorem nostrum: ad quem nihil hæsitantes si uiua fide accesserimus, aderit auxilio opportuno, dabit quod nobis usui erit.

Auxiliũ opportunum.

In auxilio opportuno. Quandiu hic uiuentes Christum uiua fide adibimus, misericordiam inueniemus & gratiam. Sed post hanc uitam neq; gratiæ, neq; clementiæ erit locus, sed iustitiæ thronus.

CONCILIATIO.

Prima.

QVID hìc Paulus ex Genesi dicit, Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis: cùm Ioan. 5. dicatur, Pater meus operatur usq; modo? Si usq; modo, quomodo die septima quieuit ab omnibus operibus? AD HAEC Augustinus lib. 4. de Genesi ad literam, cap. 12. Potest (inquit) intelligi Deum requieuisse à condendis generibus creaturæ: quia ultrà iam non addidit aliqua genera noua: deinceps autem & usq; nunc & ultra operatur eorundem generum administrationem, quæ nunc instituta sunt. Creatoris nanq; potentia & omnipotentis uirtus causa est omnis creaturæ: quæ uirtus, ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illarum species, omnisq; natura concideret.

Deũ requieuisse ab operib⁹.

PAV

PAVLVS hoc loco docens omnia nuda & aperta Deo, aduersari uidetur dicto Genes. 18. Descẽdam & uidebo utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint, an non est ita, ut sciam. IN Genesi locus ille non negat omnia aperta esse Deo, sed indicat ne præcipites simus in iudicando, & ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare. Et per Angelos descendit ad cognoscenda mala, & tanto crimine inuolutos inueniens quasi per patientiam eos ad pœnitentiam expectat. Secunda.

DICTIO.

REQVIEVIT Deus. Sicut Deus, ait Aug. libro allegato in conciliatione huius cap. rectè facere dicitur quicquid ipso in nobis operante fecerimus: ita Deus rectè dicitur requiescere, cum eius munere quiescimus, ut uideamur ita dicere requiescere Deum, cum nos requiescere facit. Sicut aliquando dicitur cognoscere Deus, cùm efficit ut cognoscamus. Genes. 22. Nunc cognoui quoniam times Deum: ubi quid aliud dicitur, nisi quòd fecit ut cognosceretur ipse Deus? Neq; enim Deus temporaliter cognoscit, quod antea non nouerat. Hæc Augustinus. Requieuit Deus, non lassitudine, sed operum completione septimo die, qui de nouo creare desierat, non gubernare. Deum requiescere.

GLADIVS Dei est uerbum Dei, quo solo resistitur Satanæ, ut extinguatur uis eius, Luc. 22. Est & uerbum æterni iudicij, de quo hoc capite fit mentio, quo dicet, Ite maledicti in ignem æternum. Gladij enim uocabulum scindendi & interficiendi opus consignificat, præsertim cùm ad id acui & uibrari dicatur, Psal. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit. Gladius Dei.

MEDVLLA dicta est quòd in ossibus media sit. Medulla.

DISCRETOR, diuisor est, ut ita dicam. Græcis est hoc loco κριτικὸς, id est, iudex, siue qui iudicare possit. Discretor.

COMPATIMVR cùm afficimur mouemurq; sensu alieni mali. Compatimur.

COMPAGO & compages penul. produ. huius compagis, est iunctura. Compago.

Pontifex conformari debet Christo sacerdoti.

CAP. V.

OMnis nanq; pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodũ pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui uocatur à Deo, quemadmodum & Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, ut pontifex fieret: sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesq; ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset filius

Pontificis officium.

Cõdolere possit ijs] Vel, moderate ferre ualeat eos

Propterea] Propter hãc Sumit] Vel, usurpat

1. Paralip. 23. b

Clarificauit] Glorificauit

Christus constitutus pontifex à patre. Psal. 2. b Psal. 109. b

Pro sua reuerẽtia.] Id est, uel, quòd Deum in honore habebat. Quidem cùm] Quanquam

Christus orans exauditur.

Salus Christus obedientibus.

Dei, didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedec. De quo nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut uos doceamini quæ sint elementa exordij sermonũ Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

Cõsummat⁹.] Perfectus redditus.

Ininterpretabilis] Interpretatu difficilis
Imbecilles] Segnes auribus
Expers est] Inexpertus, rudis
Paruulus] Infans
Pro ipsa cõsuetudĩe] Propter assuetudinem

Elementa. Lac.

Solidus cibus.

Omnis nanq; pontifex. *Dixit paulò antè, Christum nostrum esse pontificem & mediatorem. Huius assertionis probationem adducit, argumento à comparatis & similibus sumpto, ostendens hoc capite, Christum esse sacerdotem, demũ septimo capite probaturus Christum unicum esse summum maximumq; pontificem & sacerdotẽ æternum, per quem Leuiticum antiquatum est sacerdotium. Quæ ergo hìc dicuntur, intelligenda sunt de Christo pontifice nostro, similitudinis conferendæ gratia cum cæteris pontificibus & sacerdotibus. Ex hominibus assumptus: id est, cognatus & frater noster est. Quo fit ut Angelus sacerdos esse non possit, qui neq; ex hominibus assumptus, neq; nostrarum afflictionum particeps sit. Sacerdos pro hominibus constitutus, mediator est inter Deum & hominem. Inter Deum uitæ sanctimonia: inter hominem, carnis infirmitate, propter quam reliquos fratres non despiciat. Constituitur in ijs quæ sunt ad Deum: id est, interceßionem facit pro hominibus.*

Vt offerat dona. *Explicat quid illud sit, Pro hominibus ad Deum constitui, peccatis scilicet Deum propitium reddere. Quod utiq; & Christo est (etsi non penitus) commune cum alijs: quippe qui, patrem nobis conciliandi gratia, seipsum obtulerit. Alij uerò alia quædam offerunt dona & sacrificia. Dona, id est, res oblatas à populo, ut in donarijs, aut, ut dici solet, in offertorijs. Hæc offeruntur Deo per sacrificum sacerdotem, qui sacrificium offerens, hoc est preces, aut uiuam hostiam in missa, quæ uerum & perpetuum est sacrificium, recordari debet piarum mentium & uoluntatum uoluntaria dona illa offerentium.*

Sacrificus in missa meminerit, &c.

Qui condolere possit. *Quasi dicat, moderatè ferre, hoc est non grauiter succensere, sed ignoscere. His uerbis ostenditur præcellentia Christi à reliquis sacerdotibus ob id quòd hic solus liber est ab omni peccato, tamẽ alienis peccatis indoluerit. Hac moderatamente Christum esse præditum agnoscimus, qui ouem errantem, neq; laniat, neq; unquam nimia concitus ira lacerat, sed in caulam reducit.*

Sacrifici partes & officium.

Iis qui ignorant. *Id est, nesciunt quæ scire debent, & errant, id est, scientes peccant. Ex errore & ignorantia procedit omne malum.*

Quoniam & ipse circundatus. *Sacerdos & sacrificus homo purus circundatus est infirmitate, & lenocinio carnis, sicut laicus, etsi spiritus in uno carnis & concupiscentiarum plus reprimat quàm in alio, idq; fit Dei dono, ob id & pro seipso & pro*

pro alijs offert hostiam. Christus non item. Hoc est, Est quidem circundatus infirmitate carnis, hoc est, habuit carnem infirmam & mortalem, sed absq; omni peccato. Quare non pro se, sed nostris peccatis, hostiam obtulit seipsum uiuum & uerum sacrificium. Et exauditus est pro sua reuerentia.

Pro semetipso. *Propterea sacrificus in missa ait, Nobis quoq; peccatoribus.*

Nec quisquam sumit sibi. *Aperit à quo sacerdos sit Christus institutus. Idq; facit per occupationem, qua tacitæ obiectioni respondet. Insurget fortasis quis dicens, Quid tot nominibus Christum sacerdotẽ iactas et celebras, ut in illũ mediatorẽ unicum & sacerdotẽ fiduciam ponamus, cùm neq; sit ex tribu Leui, neq; de progenie Aaron? Certè si sacerdotem, illum facis, legitimum oportet ostendas, alioqui frustra suscipiendũ persuaseris. Sumere enim sibi temere honorem sacerdotij, tam abest, ut Deo placeat, ut etiam præsentißimã ultionem illius exigat. Exemplo sunt Chore, Dathan & Abiron, cum suis asseclis, quos terra uiuos absorpsit, Num. 16. Oza, qui arcam tenuit calcitrantibus bobus, percussus & occisus est, 2. Reg. 6. Ozias percussus lepra, 2. Paral. 26. Horum uolens Paulus ora præcludere, respondet quomodo in sacerdotem assumptus sit Christus, non quidẽ ab hominibus, hoc est, non electione humana, sed ab ipso Deo. Nec quisquã, id est, nemo, si supple uelit piè & religiosè agere, assumit, id est, ambit, & affectu cupiditateq; honoris affectat. Aut nemo sese dignitati ingerit: siue nemo sibi priuata autoritate uendicat. Honorẽ, id est, episcopatum & sacerdotij dignitatẽ, (appetat tamẽ, si sese idoneum agnouerit, prodesse multis iuxta charitatis præscriptum.) Sed qui uocatur à Deo immediatè, aut à Deo per proborũ electionẽ, aut aliquo indicio, si ita placitum, uisumq; fuerit spiritui sancto instigatori, ut cùm cecidit sors super Mathiã. Aut quẽadmodum Aaron uocatus est, Num. 17. Signo enim florentis uirgæ manifestatus est sacerdos à Deo esse electus, & incendio eorum qui eius pontificatum inuidere uoluerunt. Ex tribu Leui, & genere Aaron olim creati sunt sacerdotes: id quod ad Herodis usq; & Hircani tempora durasse legimus. Si quis desiderauerit quo pacto sacerdotiũ apud Hebræos cessauit, & pessimus quisq; ad eam dignitatem per Herodem euectus est, consulat Iosephum lib. 20. Antiquitatum. Cæterùm agnoscant Hebræi commutationem sacerdotij, tum fuisse indicium & signum in foribus esse, uerum Messiam pontificem* IESVM *Christum saluatorem nostrum. Colligamus ex his mentem & sensum Pauli. Tametsi nascebantur Leuitæ, hoc est, sacerdotij generis homines, tamen ad pontificium seu sacerdotium non accedebant, nisi electi.*

Sic & Christus. *Alteram collationis partẽ adducit, cuius sensum ex particula, Sic, similitudinis nota intelliges: Ad hunc modum uidetur Paulus argumentari ex uocatione: Omnes ueri sacerdotes neq; ambiunt, neq; sese ingerunt sacerdotio & honori: Sed uocantur à Deo. Et Christus non sese ingeßit sacerdotio, sed uocatus est à Deo dicente: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Ergo Christus est uerus sacerdos & pontifex. Prius testimonium, superius 1. cap. expositum est: posterius declarabitur in sequentibus.*

Qui in diebus carnis suæ. *Probat Christum uerum sacerdotem argumento ab officio petito. In diebus carnis suæ, id est, quandiu hic uixit, orauit pro nobis, dum semper desyderauit & sitiuit nostram salutem: maximè uerò in sacrificio crucis, ut taceam de reliquis. Ergo uerus est sacerdos.*

Cum clamore ualido. *Clamor ualidus non exaltationem uocis, sed ingens desyderium significat.* Clamor Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exauditus est. *Chrysostomus reuerentiam seu uenerationem interpretatur, ad humanitatẽ referens: quòd Christus homo ratione cogniti sibi uerbi dignus erat, quem uneneraretur pater, adeò quòd non tam ex gratia patris exauditus est, quàm ob suam dignitatem: quippe qui dignus esset, qui pro sui reuerentia & dignitate exaudiretur.*

Cùm esset filius Dei. *Cùm esset filius, non seruus, tamẽ afflictus est tanquã noxius seruus. Didicit obedientiã, & mortem, ut inobedientiã, & mortem sua obedientia & morte interimeret, iuxta id, Factus est obediẽs usq; ad mortem, mortẽ autem crucis.*

Et consummatus, factus est omnibus &c. *Fructũ explicat clamoris & orationis* IESV *Christi, ut agnoscamus Christũ non solùm esse sacerdotẽ, sed quàm nobis sit sacerdos, ut fructum sacerdotij eius in nobis sentiamus. Et cõsummatus factus est, id est, factus est cõsummatio & perfectio. Quibus? obediẽtibus. Id est, omnibus credentibus in ipsum. Tam absolutum & amplum fuit eius sacerdotiũ, ut nihil in eo desideres. Tam opulentum est, ut omnibus abundet, & sit satis, omnes absoluit & redimit, modò credant, dicente Baptista: Qui credit in filium, habet uitam æternã: Qui autẽ incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eũ. Adeò consummatũ & perfectum fuit illius sacrificiũ, ut sit causa salutis æternæ. Et non est in quoquam alio sita nostra salus. Ipse enim factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redeptio.*

Iuxta ordinem Melchisedec. *Quia de genere Leuitico non erat Christus. Et quemadmodum ille Melchisedec non fuit olei liquore ab homine delibutus, sic nec Christus quidem, sed à Deo consubstantiali ipsi, spiritu ipsius offusus est. Quia, ut ad Colos. 2. dicitur, In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare. Atq; ut ille rex fuit, ita & ille potitus est regnò.*

De quo nobis grandis sermo. *Dixerat appellatum, id est, ordinatũ Christum à Deo pontificẽ secundum ordinẽ Melchisedec: id est mediatorem, intercessorem, placatorẽ, peccatorumq; expiatorem. Hoc negotium de Christi sacerdotio paululum suspendit, ad aliud digrediens more oratorum. Quemadmodum enim obscuriore loco oborto, auditoribus somnolentiã & torporẽ acriore aliqua exhortatione excutiunt: ita Paulus hoc loco dignitatem æterni sacerdotij Christi probaturus, agit. In primis enim tarditatem illorum arguit: Conueniebat admodum ut Iudæos tarditatis & ignorantiæ taxaret, nam ob ceremoniarum aceruum (quibus premebãtur) semper humũ reptabant, & oculos ad cœlestia non erigebant: Deinde beneuolentiam captat & attentos illos reddit. Dicit difficilem sermonem explicatu, non tam ad rei difficultatem oculos intendens, quàm ad eorum, quibus loquebatur, tarditatem. Hoc loco dat operam, ut auditorum segnitiem excutiat, & languidas flaccescentesq; aures arrigere faciat.*

Vt enim cùm deberetis magistri esse. *Causam languoris & teporis eorum adducens, hos è somno excitat, ut apertis oculis lucẽ uideant, omni in primis ceremoniarũ lippositate, aquis (quæ cum silentio currunt) purgati, & arrectis auribus mysteria de Christo attentissimè audiant. Non solùm uerò illorum segnitiem increpat, sed & eandem tẽporis accessu exaggerat: huc omnino spectans ut proficiant, & in Euangelio promoueant, ne in eorũ album refrantur, qui semper discentes, nunquã ad ueræ pietatis & ueritatis cognitionẽ perueniunt. Videtur ad hunc modum Paulus dicere: Si quis tempus, quo inter Christianos uersamini tanquã sacrorum auditores, à quibus uel modico labore quæ ad pietatem & fidẽ in Christum attinent, discere potuistis, spectet, iam alios docere debebatis: Tam illiberale est, ut tot annorum discipuli, nihil aliud didiceritis quàm aliorum esse discipuli, adeoq; pueri elementarij. Aut si mauis ironicõs*

hæc

hæc pronuntiari: Velletis'ne semper puerilia doceri? & prima rudimenta? quin potius ad altiora capienda mentes erigite. Hoc tempus, hæc ætas aliam uitam, alios mores postulat, alium exigit profectum. Relictis nucibus, & ijs, quæ puerorum sunt, adolescite in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Facti estis, quibus lacte opus sit. *Pergit Hebræos à torpore euocare. Idq; facit peruenusta allegoria, qua alludit ad alphabetarios & abecedarios, siue elementarios pueros, quibus traduntur rudimenta & primordia, qualia sunt apud Dialecticos & Grammaticos, Porphyrij Isagogæ, & Donati rudimẽta. Elementa exordij sermonum Dei, uocat primordia illa, quibus imbuũtur primò Christiani. Oportet baptizeris & fias Christianus, discas orationẽ Dominicam, salutationem Angelicam & symbolum Apostolorum, adeas ædem sacram, illhic flectas genua, iunctis & erectis manibus eucharistiam, hoc est,* IESVM *Christum in sacrosancta missa ex animo adores. Hæc sunt primordia summã Christianismi habentia. Paulatim dum prouehetur ad altiora, docebis illum fidem, spem, charitatem, aduentum Christi, sacerdotium Christi, iustificationem, & alia, quibus in uirum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi prouehetur, ut non amplius sit puer, qui fluctuet, & circumferatur quouis uento doctrinæ, Ephes. 4.*

Omnis enim qui lactis est particeps. *Hic locus planè arguit eos, qui adclamant ab omnibus laicis arcanos & sacros libros legendos esse, & in uulgarem & uernaculam linguam transferendos. Huiusmodi obtrectatoribus sacer Theologiæ Parisiensis senatus, respõdet hac censura, Testantur sacra eloquia simplices esse tanquam paruulos, quibus, autore Paulo ad Hebr. 5. cap. lacte opus sit. Non enim solidam adhuc escam ferre ac digerere possunt. Perfectorum si quidẽ solidus est cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Quapropter non est mediũ aptum huiusmodi simplicibus, quòd indiscriminatim quosuis sacros libros legant in linguam uernaculam translatos, sed conuenientissimum eis medium Ecclesia constituit, auditionem scilicet uerbi Dei, & frequentationem prædicationum eius. Neq; eis obiter interdicit, usu quorundam sacrorum librorum, qui cum explicatione conuenienti ædificationi morum sint accommodi. Si sic tamen tales libri ab ipsis legantur piè ac sobriè citra supercilium & arrogantiam, ut non inde contemnant prædicationes, nec à crebra uerbi Dei auditione retrahantur.* Censura Senatus theologiæ Parisiensis.

Expers est sermonis iustitiæ. *Id est, iustificationis. Nec bene doceri potest, iustificationem à Christo petendam: cùm Christi diuinitatem ignorat, & Christum neq; fateatur, neq; agnoscat Deum esse. Aut expers iustitiæ seu supernæ philosophiæ. non suscipit summam uitam & integram.* Iustitiæ expers.

Exercitatos habent sensus. *Obserua: quia oportet exercitari auditum nostrum frequenti auditione diuinarum scripturarum, ut nulla nouitate expauescamus.*

CONCILIATIO.

VIDETVR *hæc autoritas, Filius meus es tu, ego hodie genui te: rei propositæ non conuenire. Habet sanè Paulus hoc loco Christum constitutum in pontificem esse à Deo promissum, ostendere. Hoc uerò testimonium planè affertur, & docet, à Deo esse hunc primogenitum.* RESPONDEO *genituram hanc multum ad rei confirmationem ualere, quòd à Deo sit in pontificem constitutus. Proinde & illud aduerte, quòd cùm in Psal. 109. iam dixerit Deus, Ex utero ante Luciferum genui te. Et paulò post illud adiecerit, Tu es sacerdos in æternum, secũdum ordinem Melchisedec. hoc* Prima.

loco

loco Paulum quæ psalmis his utrisq; de natiuitate sunt dicta coniunxisse, perinde ac si dicat, Nequaquã uelim de alio quouis dictum id suspiceris, Tu es sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedec, nisi de eo & solo, qui sit ante Luciferum genitus. Solus Christus est, de quo dicitur, Ego hodie genui te. &, Ante Lucifer um, id est, ab æterno filius Dei genitus. Sed quo pacto hîc, in æternum dicit? Quia uel in præsenti & corpore ipso, quod ille nostri gratia immolauit, pro nobis etiam intercedit apud Deũ ipsum & patrem, id est, quæ ille pro nobis perpessus est, profert, ut patrem exoret, eundemq; hoc modo alloquitur (ait Theophylactus,) Vnigenitus tuus hæc tolerauit, miserere itaq; horum pro quibus ipse pati sustinuit. Vel in æternum dicit, quia quotidie offertur per Dei ministros oblatio Christum Dominum & pontificem habens.

Secunda. QVID hic Paulus, ait de Christo, Qui in diebus carnis suæ exauditus est pro sua reuerentia: cùm Dauid Psal. 21. in persona Christi dicat, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Clamabo per diem & non exaudies? RESPONDEO, Exauditus fuit: quia sua oratione & oblatione reconciliatum fuit genus humanum. Quod autem ex Dauide adducitur, Dico, Deus Deus meus, respice in me, id est, condole mihi, qui semper respexi in te, cum omni reuerentia faciens quæ tibi sunt placita, Quare me dereliquisti: id est, Cur ita te habes circa me quasi uiderer omnino à te separatus & relictus inter istos impios Iudæos sanguinis mei sitibundos? Et hoc clamabat Esaias 53. Nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatũ. Clamabo per diem: quia in die parasceues clamauit, Deus Deus meus, &c. Seu Eli, Eli, &c. Et non exaudies, supple minuendo corporis mei dolorem animiq; tristitiam. Aduerte, Oratio est petitio decentium à Deo. Aiunt August. & Damascenus, Licet ea petere quæ licet desyderare. Christus autem nũquam petiuit à Deo indecẽs, aut illicitum. Quare quicquid Christus absolutè petiuit seu orauit, id est, quicquid ex deliberata uoluntate petiuit, obtinuit. Ioan. 11. Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia me semper audis. Sed quæ hîc petiuit apud Dauidem ubi dicitur, Et nõ exaudies, non absolutè petiuit. Petijt etenim adposita conditione, Pater, si posibile est. Quæris, Quare Christus uoluit has à se fieri petitiones, quas non exaudiendas sciebat? RESPONDEO, primò ut ostenderet uerè se incarnatum atq; paßibilem. Secundò ut nos doceret ne fatigemur, aut desperemus dum statim nõ exaudimur: sed eius exemplo omnia committamus beneplacito Dei, certiores quoniã ipsi cura est de nobis. Matth. 6. Nolite soliciti esse, &c. Maximè igitur exauditus est pro sua reuerentia in his quæ petiuit absolutè: quamuis non fuerit exauditus quantum ad naturalem suæ humanitatis appetitum secundum se consyderatum: quoniam naturaliter abhorruit mortem. Reuera absolutè uoluit mori pro salute nostra. Quod re ipsa docuit, quando seipsum obuium liber & uolens dedit inimicis post illam trinam orationem in horto factam, cùm Iudæis dixit, Quem quæritis?

Oratio.

Christus semp exauditus.

Tertia. QVID hic Paulus memorat Christum didicisse obedientiam patri obediendam, dum crucem tulit: qui usque ad mortem fuit patri obediens, ut decet uerum & bonum filium, imò antequàm pateretur crucem semper moram gessit in omnibus patri. Lucæ 2. Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? RESPONDET Chrysostomus, Agnosce hoc dictum de incarnatione. Quod enim Dei filius ab æterno cognouerat, Vbi uerbum caro factum est, & naturam assumpsit humanam, notitia experimẽtali agnouit, seu expertus est patri obedire usq; ad mortem. Nec antea hanc experientiam, siue hoc cognitionis genus agnouerat: quippe

quippe qui neque infirmitates nostras, neque crucem perpessus erat.

DICTIO.

PONTIFEX sacer magistratus (ut inquit Scæuola) à posse & facere dictus. Vel, ut ait Varro, à põte: quia Sublicius à põtificibus factus est primùm, & restitutus sæpe. Pontifex.

AARON summus pontifex & sacerdos, frater Moysi, uel rectius Aharon potest interpretari mons siue montanus. Aaron.

MELCHISEDEC Latinè rex iustitiæ dicitur. Baptista Mantuanus inflexit dicens, Melchisedecis erat &c. Melchisedec.

ELEMENTA sunt primæ literarum notæ. Elementa.

LAC tropo sacræ scripturæ, ut docet Ambrosius libro de institutione uirginis, humiliorem doctrinam & de minimis differentem significat. Eò uocatur lac, quia nutriat crescereq; faciat paruulos usque in mensuram Christi. Lac.

Iustus semel confirmatus, non facilè cadit. CAP. VI.

Intermittentes inchoationis] omisso, qui in Christo rudes inchoat, sermone

QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, baptismatum, doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. Et hoc faciemus: si quidem permiserit Deus. Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei uerbum, uirtutesq; seculi uenturi, & prolapsi sunt; rursus reuocari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habẽtes. Terra enim sæpe uenientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur: accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos; reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Cõfidimus autem de uobis dilectissimi meliora & uiciniora saluti: tametsi ita loquimur. Non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Cupimus autem unumquenque uestrum eandem ostentare solicitudinem, ad expletionem spei usq; in finem: ut non segnes efficiamini, uerùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones. Abrahæ nanque promittens Deus: quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semet

2. Pet. 2. &

Desicientes à fide nulla alia hostia expiantur quàm Christi.

Rursum] ab integro

Ostentui] ludibrio

Terra benedicta & maledicta.

Consummatio in combustionẽ,] exitus huc tendit ut exuratur.

Dilectionis] laboris ex charitate suscepti

Expletionem spei usq; in finem:] plenam spei certitudinem, usque ad perfectionem;

Iuramẽto promisit Deus salutem, ut simus certi.

Gene. 22. c

semetipsum, dicens, Nisi benedicens benedicam te: & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem se iurant: & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius uolens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui: interposuit iusiurandum. Vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum: fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora uelaminis. Vbi præcursor pro nobis introijt IESVS, secundum ordinem Melchisedec Pontifex factus in æternum.

Iuramentum.

Sic longanimiter ferens: ita cū patiēter expectasset.

Spes.

Quapropter intermittentes. *Paulus ait se omittere sermonē illum, quo primum instituuntur rudes in Christo, nempe eum, qui est de pœnitentia: hoc est, primum admonentur ut relinquant uitam pristinam & ueterem illum hominem, renasciturі in Christo per baptismum. Non parum refert agnoscere qualis sis, qualia etiam tua studia, ne philautia (à qua omne malum pendet) ducaris. Hoc beneficij confert pœnitentia, quā in primis hoc loco Paulus, Sic Ioannes Baptista, Sic ipse Dominus* IESVS, *Sic Apostoli Christi omnes prædicarunt, & ab hac prædicationē suam orsi sunt. Vnde in prouerbium abijt ab omnibus celebratissimū, Nosce teipsum, quod (ut in Charmenide testatur Plato) pro foribus templi Delphici, ab Amphictyonibus inscriptum, ueluti dignum Deo uiseretur. Et huc fortassis meritò quis retulerit legē, per quam (ut Paulus ait) existit cognitio peccati, deinde de fide in Christū condiscunt, quid sit credendum, deinde his traditis succedit baptisma, cuius mysteria tum demum aperiuntur. Post hæc docentur de sacramentis fidei nostræ, & parantur ad accipiendum spiritum sanctum, alij per impositionem manuum in confirmatione, alij in sacris ordinibus recipiendis & huiusmodi, subinde de resurrectione mortuorum & iudicio æterno. Aduerte, ex operibus mortuis pœnitentiam, dicit, Satanæ operum repudiationem. Nam si præteritorum quempiam nihil pœniteat, quo pacto præsentia aggredietur? & in Christo noua fiet creatura? Reuera non fiet. Inchoatio & fundamentum, ait Chrysost. est fides, sine qua nihil boni apprehenditur. Sed hic immanendum non est, non minus quàm puero in prioribus elementis, sed ad perfectionem contendendum, ad quam feramur de perfectioribus uos instituentes, scilicet de afflictionibus patiēter ferendis, de Christi æterno sacerdotio & eius diuinitate uerba faciētes. Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. Hoc est, si diuina gratia adiuuemur, sine qua nihil boni possumus. Hic enim textus referendus est ad id quod præcessit, Ad perfectionem feramur. Baptismatū dixit in plurali numero iuxta morē Hebræorū quibus multi baptismi erāt: nobis unus est, sicut & unus Deus, & una fides. Fieri tamē potest, ut pluraliter dixerit baptismatū, eo quòd tertio intingi solebāt pueri. ac si diceret, Nō loquor de puerilibus baptismis & rebus, uel qualia solent ab ijs qui baptizantur, primo accipi. Perfectiora & ardua magis uos doceo. Mortē Christi, & resurrectionē Christi in se habet baptismus: in quo ardua & diuina latent mysteria.*

Elenchus fidei.

Illumi

Illuminati sunt. *Id est, baptizati sunt. Nam ueteres sacramentum baptismi sacramentum illuminationū uocabant. Idq; præfigurare uolebant facibus, quas præferebant, hunc morem hactenus religiosè obseruarunt Christiani. Item gustus cœlestis dictus est baptismus, quod alij expresserunt porrectione salis, alij mellis. Rursus dictus est participium spiritus sancti, id quod sacro Chrismate significare uoluerunt. Obserua hoc loco, quam multis nominibus circunscriptiuè siue paraphrasticè nobis baptizatos designare uoluerit: Qui illuminati sunt, Qui gustauerunt donum cœleste, Qui participes facti sunt spiritus sancti, Qui gustauerunt bonum dei uerbum.*

Baptismus illuminatio dict⁹.

Rursus renouari. *Hic locus à quibusdam intelligitur de peccato ad mortem, seu de blasphemia in spiritum sanctum, quam non remittendam dixit Christus neque in hoc seculo neque in futuro, Marci 3. Quæris, quod est illud peccatum seu blasphemia? Est quando aperta Dei ueritas uidetur, ita ut uictus sis apud temetipsum in tuo corde & conscientia, quod res ita habet, & aliter esse nequit, & tamen impiè audes dicere & contrà contendere hoc non esse uerum, non esse à Deo, esse peruersum, esse à Diabolo. Qua horrenda blasphemia non uereris gladium Domini contra te stantem, quasi etiam tibi impunè liceat pugnare uoluntariè contra Deum. Hæc ex Marci 3. capite uides, ubi manifestum opus Dei contra conscientiam tribuebant ipsi Beelzebub. Vnde postquam Euangelista scripsit uerba Christi, Qui blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum: addidit, Quoniam dicebant, spiritum immundum habet. Quòd si Christus hæc dixit de alijs qui impij erant, & suscipere ueritatem nolebant, sed manifestam, ita ut negari non posset, impugnabant: Quid accusamus hunc nostrum autorem quòd condemnat illos qui non externis uerbis, aut externis miraculis solum, sed intus in corde illuminati gustauerunt donum cœleste, accepto spiritu sancto, gustauerunt q; bonum Dei uerbum ac uirtutes & efficaciam regni Dei: & tamen ab his omnibus retro labuntur, & blasphemant gratiam tanto spiritus testimonio agnitam? Id quod infrà cap. 10. uocat uoluntariè peccare. Certè impossibile est, id est, ualde difficile est, hos renouari ad pœnitentiam: quia penè à Deo deseruntur. A Cyrillo & alijs sacris doctoribus non est abeundum, qui aiunt hunc locum intelligi de baptismo. Nam de ea pœnitentia baptismatis intelligi satis indicat uerbum ἀνακαινώσεως, id est renouationis, quando per baptismum uerè ab omni prorsus culpa & pœna liberi fiunt. Et hoc maximè indicat sequens textus, Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. Baptismus enim est nobis uice crucis Christi, Roma. 6.*

Blasphemia.

Baptismus non repetendus.

Et ostentui. *Ostentui habere, est infamare, traducere, ut in Matth. siue ludibrio habere. Qui ergo uult rebaptizari, ostentui habet Christum, hoc est, secundò Christum crucifigere quærit (ait Ambrosius in hunc locum) qui crucifixus est, & mortuus, & uictor mortis resurrexit, atque cum triumpho gloriæ cœlos ascendit. Sicut enim semel Christus mortuus est carne in cruce, sic nos semel morimur in baptismate, nō carne, sed peccato. Atque sicut ille iterum mori non poterit, ita nec nos baptizari possumus, nisi fortassis lacrymis pœnitētiæ, non lauacri regeneratione. Hactenus uerba Ambrosij. Qui secundò uult baptizari, credit Christum pro se non fuisse crucifixū. Quare quantum ad se attinet, quærit ut denuo crucifigatur, ut mors Christi secunda sibi applicetur per baptismum.*

Ostentui habere.

Terra enim. *Cohortatur Hebræos Paulus ad piam sedulitatē, argumēto à similitudine petito: intelligens per terram auditores. Per imbrem fœcundans Dei uerbum.*

Per

Per fructus, opera iustitiæ, Per tribulos autem perfidiam & iniquitatem. Videtur hic esse Pauli sensus: Nisi studiosi auditores fueritis, habueritisq; uberiorem Christi cognitionem, non solùm pueris similes estis, quibus lacte opus est & rudimentis, sed & terræ sterili & maledictæ, quæ diu culta, tamen usque infrugifera permanet, tribulos pro frugibus producit, & nullam ad cultorem transmittit utilitatem. Ergo opera iustitiæ operemini, ut benedictionem à Deo consequamini, ne per uestram segnitiem, metatis maledictionem.

Illis à quibus colitur. Græcis est, per quos & colitur. Vt intelligas fructũ reddendum non quibuslibet, sed ijs quorũ opera culta est terra: id enim efficit cõiunctio addita. Similia his penè legimus Matth. 13. Luc. 13. Ioan. 15. unde desumpta uidentur.

Confidimus autem. Mitigat comminationem & reprehẽsionem, ne ex prædictis interpretentur sese damnari, sed intelligant se commoneri, ne securi abijciant Christum. Hæc præmollitio non absimilis est ei quam Petrus Act. 3. apud Iudæos dixit: Et nunc scio fratres quòd per ignorantiam feciſtis.

Non enim iniustus Deus. Præmollitioni addit spem, quam induit de salute ipsorum, argumento à commendatione operum & profectu ipsorum, petito. Hortatur ut pergant in Christiana religione. Perseuerantia enim certitudinem de salute secum uehit. Hoc ut persuadeat commẽdat illos, quòd laus plurimum uirtutis habeat in persuadẽdo. Natura enim comparatum est, ut nemo tam demisso animo sit, cui laudibus non erigatur & assurgat animus. Commendat illorum opera, maximè charitatem, qua pauperibus inseruierunt, & egenis suppeditauerunt de suis facultatibus. Certè agnosco (inquit) fructus non contemnendos terræ uestræ, quos non feciſtis coram hominibus, ut mundo placeretis, sed in nomine Domini. Id est, ipsi Deo impartiti estis uestros fructus, qui in Euangelio dicit, Quod uni ex minimis istis feciſtis, mihi feciſtis.

Cupimus autem. Argumento à pietate & amore (quem erga illos habet) itẽ ab exemplo maiorum, cohortatur illos ad perseuerantiam & animi constantiam. Quasi diceret, Quod paulò antè durius culè sum uobis loquutus, non eò spectant tenduntq; uerba mea, ut in animos uestros inducatis, me in ea esse sententia, quam mihi persuadeã uos esse spinas igni debitas: Sed huc tendunt mea uerba, ut perseueretis in religione Christiana, quã didiciſtis, & operibus bonis in nomine Domini confirmatis, excutientes omnem inconstantiam & segnitiem ab animis uestris. Depulso enim animi languore alacriores eritis ad ardua & sublimiora ista mysteria audienda. Ergo auitam fidem habete, maiores imitemini, & unusquisque uestrum idem studium præstet ad certificationem spei usque in finem, quod studiosissimè præstiterunt sancti patres maiores uestri, qui fide uiua & longanimitate constantes consequuti sunt promissiones sibi factas. Promissiones hîc uocat res promissas, per enallagen.

Abrahæ nanq; promittens. Singulari exẽplo de Abrahamo, qui præ alijs excellẽti fide & longanimitate clarus, promissionũ compos factus est, partim hortatur Hebræos ad cõstantiam, & in religione Christiana perseuerantiã. Partim, ut unde digressus erat, redeat ad scopum totius epistolæ: maximè ob dictũ Dauidis, iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Videtur esse Pauli sensus: Quia Christus iureiurando constitutus est sacerdos, tutissimè illi confiditur: esto per patientiã mora aliqua ferenda sit, donec ingrediamur. Neque enim meliores sumus Abrahã. Ergo cùm ille crediderit Deo iuranti, & de promissionibus nõ dubitauerit: multò magis nos credamus, & longanimes nos præstemus,

tantum

tantum habentes sacerdotem & pontificem.

Nisi benedicens. Nisi, hoc loco confirmantis est & iurantis. Nihil enim aliud est iusiurandum quàm uehemens cõfirmatio. Magnum iuramentum est quod fit per reticentiam, in quo subaudiendum est, Non sim qui sum: id est, nõ sim deus, nisi, &c. Quid per Benedicere intelligat, ipse per expositionem aperit cùm dicit, Et multiplicans multiplicabo te. Nisi, particulà cõfirmantis est. Iusiurandum quid est. Immobilitas apud Deum.

Vt per duas res. Hæ duæ res apud Deũ immobiles & immutabiles sunt, promissio & iuramentum. Est Deus uerax, seipsum negare non potest qui ueritas est. Deus per semetipsum iurat, non autem homo qui sui potestatem non habet.

Et sic longanimiter. Benedixit Deus Abrahæ, cui promisit semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Non in Ismaële, sed in Isaac uocatum est illi semen. Post natum Isaac, Abraham uixit LXXV. annis, misitq; filios in Orientem, ancillam cum Ismaele eiecit, seruans sibi Isaac filium promissionis. Atq; ad hunc modum promissionem sensim impleri uidit, non tamen perfectè in carnalibus filijs: sed in Christo benedicto adimplendam cognouit. Homo quare per se non iurat.

Propositam spem. Spẽ accipit Paulus hoc loco pro re sperata. Obiectũ spei est Deus ipse: Veritas eius IESVS Christus, quem uenustissima allusione uocauit anchoram animæ & tutam & firmam. Nam sub eius præsidio tuti degimus, & solido innixi fundamento firmiter aduersus omnia mala stamus. Sicut adueniente tempestate, missa anchora certi de quiete & statione nauis sunt nautæ: ita nos spe & consolatione, quam habemus in hac ærumnosa uita, & plena undiq; periculis, anchoram in cœlum immittimus, certi, ne portas quidem inferorum nobis præualere posse. Pij etsi in terra sunt, non tamen in ea habitant, quorum conuersatio in cœlis est: ubi quia thesaurũ suum sciunt, habent & cor suum. Nauis ubi appulit, in portu & extra periculum est, licet adhuc sit in mari: ita & nos si credimus in Christum, certi sumus de salute: transiuimus enim de morte ad uitam.

Incedentem usque. Hoc est, introëuntem & nos ducentem in regnum Dei æternum. Vel quæ anchora non hæret in luto, sed in cœlo fixa est, ubi est Christus ad dexteram Dei patris. Alludit ad ingressum pontificis intra uelum.

Vbi præcursor. Christus primogenitus ex mortuis & primitiæ resurgẽtium, est spes nostra tutissima, ut posimus tutò illi fidere, & omnia nostra fideliter committere, prior intrauit in sancta sanctorum ad dexteram Patris, ut uerus noster pontifex, præcesſit ille nostri gratia. Iam præcursor, alicuius sit præcursor opus est: ergo subsequemur & nos. Nam ubi caput, illhic non deerunt membra. Prior ergo ingressus est, ut non dubitemus nos ingressuros, si illi fiducia adhæserimus: qui abunde facit satis ad salutem omnium, aduocatus & pontifex pro nobis sedens ad Dei patris dexteram.

Secundum ordinem, &c. Hoc sacerdotium non est temporale, ut Aaron, sed æternum. Est enim hic noster Pontifex maior eo, qui in ueteri lege fuit, non moribus tantùm, sed etiam loco & tempore & testamento & persona. Rogabis fortasse, Quis fuit hic Melchisedec, secundum cuius ordinem est noster pontifex Christus. Huius excellentiam explicabit sequens cap. Sacerdotij Christi excellẽtia.

CONCILIATIO.

HIC locus, impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, &c. rursus renouari ad pœnitẽtiã: pugnare uidetur cum eo qui scribitur Prouerbiorum 24. Septies in die cadit iustus, & resurget. NIHIL pugnantiæ reperitur in his. Nam hic pœnitentiam Prima. Pœnitentia & baptismus.

Universidad de Deusto Biblioteca

uocat baptiſma, quod maximè exprimit ſequens textus, qui ſi non adderetur, & huius epiſtolæ non eſſet tanta autoritas, cenſeretur hic locus hæreſeos planè ſuſpectus. Sed ait, impoßibile eſt eos qui prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei. Quoniam addit recrucifigẽtes, explanat quæ eſt illa pœnitentia, nempe baptiſmus. Nam baptizamur in morte Chriſti, & conſepelimur illi per baptiſmum, Ad Rom. 6. Et emergimur è baptiſmo in nouitatẽ uitæ conreſurgẽtes Chriſto. Porrò ſicut ſemel Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, non amplius morituru: ita ſemel debet mihi crucifigi, & cum illo ſemel debeo conſepeliri, ut per baptiſmum tantùm ſemel renouer reſurgens cum illo ad nouam uitam. Alius autem locus ex prouerbijs explicat hominis pronitatem ad peccandum: Cui data & conceſſa eſt pœnitentia, ſeu à priore mala uita reſipiſcẽtia per gratiam IESV Chriſti, qui uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Aduerte, Eſt baptiſmi propriũ homines innouare: ſicut propheta ait Pſal. 102. Renouabitur, ut aquilæ, iuuentus tua. Pœnitentiæ autem officium eſt, à uetuſtate eruere.

Secunda. SPECIEM pugnantiæ uidentur habere hi loci, Longanimiter ferens, adeptus eſt repromißionem. & infrà 11. cap. Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromißionem. RESPONDEO, Non ijſdem de rebus hic & illhic diſſerit Paulus. Hic quidem mentionem facit de his quæ in uita hac promittuntur, quæ poſt diuturnum tempus adeptus eſt Abraham: illhic uerò de cœleſtibus, quæ neq; Abraham neque cæteri, quorum mentionem facit illud 11. cap. conſequuti ſunt, quoad Chriſtus reſurgẽs conſcendit ad Dexteram Dei patris.

Tertia. QVID hîc Paulus ait, homines per maiorem ſui iurare: cùm ipſe per ſuam conſcientiam (quæ non erat maior Paulo) ad Roma. 9. Veritatem dico uobis, teſtimonium perhibente conſcientia mea, iurauerit? IVRANT homines quandoque per creaturam propter diuinæ ueritatis ueſtigium in ea reſulgens: hoc modo tota res præcipuè Deo defertur. Facit ad hoc quod ſcribitur Matth. 23. Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Et quicunq; iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.

Iurant homines.

Quarta. NON ſatis cohærere uidetur hîc Paulus, immobilitatem tum iuramenti tum conſilij diuini producens, cum Hieremia 18. cap. Repente loquar (ait ille) aduerſum gentem & aduerſus regnum: ut eradicem & deſtruam & diſperdam illud, Si pœnitentiã egerit gens illa à malo ſuo quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiã ſuper malo quod cogitaui ut facerem ei. IVRAMENTVM diuinum abſolutum & cathegoricum immobilitatem & neceſsitatem indicat: non autem comminatorium & conditionatum, ut ita dicam. Quod de Dei pœnitentia obijcitur, propriè Deo non conuenit pœnitentia, ſicut nec ira. 1. Regum 15. Porrò triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam. Sed quia aliquando ſcriptura modo hoc loquendi, Deum pœnitet, utitur: audiendus eſt Auguſtinus libro uno de eſſentia diuinitatis, parte 4. a. dicens, Pœnitere Deus dicitur, non quòd more hominum pro tranſactis operibus ſuis pœniteat. Qui enim omnia nouit antequàm fiant, pro præteritis factis ſuis pœnitere non poteſt. Sed pœnitentia Dei eſt, ſtatuta mutare, & quod prius aliter inchoatum fuerat in aliud mutare: id eſt, aut de bono exigentibus culpis in malum, ſicut de Saule legitur 1. Reg. 15. pœnituiße Dominũ, quòd conſtituit eum regem. Et ſicut uidemus nunc in populo Iudæorum factum, qui cum

Iuramentum. Diuinum.

Pœnitentia. Dei.

cùm eſſet populus Dei, ob impietatem ſuam facti ſunt ſynagogæ Satanæ. De malo uerò in bonum, ſicut accidit in populo Gentium, qui antè non populus Dei, nunc autem per gratiam Chriſti populus Dei effectus eſt. Hanc mutationem de bono ad malum, ſiue de malo ad bonum, quæ occulto, iuſtoq; iudicio Dei, ſeu per ſeueritatem iuſtitiæ, ſeu per miſericordiam eius fiat, pœnitentiam Dei dicimus. hæc Auguſt.

DICTIO.

OSTENTARE pro oſtendere ſiue mõſtrare, exhibere, præſtare. Nam oſtentare uix alibi reperies in bonam partem acceptum. Oſtentare.

INCHOATIO primordium dici poteſt: utpote de catechumenis initiandis & inſtituendis, qui adhuc rudes ſunt in Chriſto. Inchoatio.

Melchiſedec figura Chriſti ſacerdotis. CAP. VII.

HIc enim Melchiſedec, rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à ſede regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham. Primum quidem qui interpretatur rex Iuſtitiæ: deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neq; initium dierum neque finem uitæ habens, aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuũ. Intuemini autẽ quãtus ſit hic, cui & Decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filijs Leui ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, id eſt à fratribus ſuis: quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abrahã, & hunc, qui habebat repromiſsiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur. Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur quia uiuit. Et (ut ita dictum ſit) per Abraham, & Leui, qui decimas accipit decimatus eſt. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedec. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſsarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur: de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſtò fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Et amplius adhuc

Chriſtus eſt ſacerdos noſter ſecundum ordinem Melchiſedec. Gene. 14. d

Sine patre, ſine matre, &c.] Ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, præcipuis] ſpoliis

Abraham.

Meliore] maiore
Morientes] Qui moriuntur
Conteſtatur qa uiuit.] Is de quo teſtatũ eſt quòd uiuat.
Dictum ſit] Loquar,
Sub ipſo] Vel, per hoc

In quo enim] Nam is de quo

Leuiticum ſacerdotiũ abrogatum.
Chriſtus ſacerdos.

manifestum est:si secundum similitudinẽ Melchisedec exurgat alius sacerdos,qui non secundum legem mandati carnalis factus est,sed secundum uirtutem uitæ insolubilis. Contestatur enim, Quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. nihil enim ad perfectum adduxit lex:introductio uerò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.Et quantum est non sine iureiurando (alij quidem, sine iureiurando sacerdotes facti sunt:hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum) in tantũ melioris testamenti spõsor factus est IESVS.Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere:hic autem eò quòd maneat in æternum,sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuũ potest accedẽtes per semetipsum ad Deum semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex,sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.Hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim, homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi qui post legem est, filium in æternum perfectum.

Psalm.109.b

Infirmitatem] Imbecillitatem Et quãtum est non sine,&c.] Atq; hoc potiorem, quòd non absq; iureiurãdo res acta sit.

Psalm.109.b

Melioris] Vel, potioris

Orans pro nobis Christ⁹ coram patre.

In perpetuum] Ad plenum

Christus semel oblatus pro nobis.

Sacerdotes] Illi summi sacerdotes,

Melchisedec & eius sacerdotium.

Hic enim Melchisedec. *Quia Paulus dixerat Christum sacerdotem esse cognominatum secundum ordinem Melchisedec, Aperiendum est, Quis ille Melchisedec, & quis ordo Melchisedecicus. Id quod præstat Paulus hoc & sequenti cap. docens solum Christum uerum & æternum sacerdotem, eundemq; Leuitis maiorem & meliorem esse, utpote per quem abolita sit lex, ipsumq; cessauerit Leuiticum sacerdotium. Summa & caput totius dispensationis Paulinæ est: Solus Christus uerus æternus est sacerdos, unicè uenerãdus & adorandus. Hactenus narrauit historiam quæ Geneseos cap. 14. scribitur. Post digressionem ergo tam longam reuertitur ad sacerdotium Melchisedec, Secundum cuius ordinem Christus in Psalmo iuramento Dei promittitur, futurus pontifex & sacerdos in æternum. Præfert uerò hoc loco Paulus miris argumentis Melchisedec sacerdotio legis, siue Leuitico, quod erat secundum ordinem Aaron. Et rectè figuram quam indicat Spiritus sanctus in Psalmo adaptat Christo, secũdum nomen, officium, dignitatem & uitam. Hunc Melchisedec, alij angelum, alij spiritum sanctum fuisse asserebant. Origenes angelum fuisse existimat, & eius discipulus Didymus. Hæc improbantur ab Hieronymo parte tertia epistolarum, epistola ad Euagrium. Augustinus*

nus parte 4. suorum operum, lib. quæstio. ueteris & noui testamenti, quæstio. 109. multis rationibus contendit hunc non fuisse hominẽ, sed Deũ sic apparuisse Abrahæ. Probabilius est aut, quod opinantur Hebræi, hunc fuisse Sem filium Noe, aut alterũ quemuis hominem. Quòd uerò is Sem filius Noe fuerit, argumento sunt quæ apud Hebræos extant. In eorum enim monumentis ita scribitur, Iacob seruiuit Abrahæ patri nostro quindecim annos, & Sem filio Noe, qui uocatus Melchisedec, seruiuit annis quinquaginta. Rex erat Melchisedec, qui Abrahæ ad bellum proficiscenti xenia & epulas dedit. Et eidẽ ipse sacerdos benedixit, ut uictor aduersus spoliatores fieret. Non est quod quis miretur ipsum regem & sacerdotem fuisse. Nam apud Gentes & maiores nostros reges fuerunt sacerdotes & pontifices ob singularẽ probitatem, integritatem & pietatem, qua præcellere debent qui rerum gubernaculis præfecti sunt. Sic apud Vergil. legimus: Rex Anius, rex idem hominũ Phœbiq; sacerdos, iura magistratusq; legunt sanctumq; senatum. At Melchisedec non idoli, sed ueri & magni Dei sacerdos erat.

Primum quidem. *Docet quemadmodum Melchisedec Christi præfert figuram ex historia.*

Rex iustitiæ. *Christus non solùm iustus dicitur, sed & rex iustitiæ, & ad eius regnum spectat iustitia. Est enim per quem iustificantur omnes uerè & piè credentes. Vnde ab illa sua pace hoc nomen sortitus est, & uerus est magnus sacerdos. Leuitici autem non habent tam magnificum nomẽ, sed tantùm quòd sacerdotes sint Aaron, quorum erat offerre oues, boues, & his similia. At Christus iustitiam & pacem obtulit. A nomine ergo uerus est Melchisedec unica totius orbis iustitia, quem retro per typum figurauit Chananaicus rex Melchisedec. Nemo ergo alius rex iustitiæ erit, præter unum Christum, qui sua iustitia omnibus adhærentibus sibi abundè ad placandũ Deum patrem & sanctificationem acquirendam sufficit.*

Christus rex iustitiæ.

Rex Salem. *Id est, rex pacis. Quia pax conscietiarum sequitur statim iustificationem. Vide quæ sint in regno Christi, nempe gratia et pax. Obserua quòd sacerdotẽ descripturus, etiam regem facit: Verùm sic etiam ordinauerat olim Deus, antequã reges fierent in Israël, ut regnum cum sacerdotio esset iunctum, & tametsi iudices erãt, tamen sacerdotio etiam ipsi iudices obtemperabant. Hinc est quòd irascitur Deus dum postulant regẽ sub Samuele. Vtraq; unctio illa externa et regis & sacerdotis in Christo cõpleta est. Optime ergo deliniatur Christus per Melchisedec. Est nãq; unica pax nostra, qui patrem iratum nobis ob imaginem sui in nobis deturpatam, reconciliauit. Ephes. 2. cap. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum &c. Colos. 1. ca. Quia in ipso cõplacuit omnem plenitudinẽ inhabitare, & per eum recõciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Huc pertinet quod scribitur Psal. 75. In pace factus est locus eius, & in Sion habitatio eius.*

Rex Salem.

Sine patre, sine matre. *Hæc ita dicuntur: quia in scriptura talia non legũtur: ut figura plenius repræsentaret diuinitatem & æternitatem sacerdotij. Item quia non legis mortuum, nec legitur eius sacerdotium institutum nec abrogatum: & tamen erat sacerdos Dei altissimi & rex Salem. De industria ergo subticuit scriptura genus Melchisedec: non quòd homo uerus non fuerit, sed ut typum Christi referret. Hæc indicant locum ab autoritate etiam per negationem, in scriptura sæpe ualidissimum esse. Sed ita scriptura morem loquendi habet, cuius autoritas & nobis sufficiat.*

Absimilatus autem filio Dei. *Ac si diceret: Non quòd parentes & progenitores non habuerit ipse Melchisedec; imò reuera habuit. Sed diuino consilio factum*

est,ut Melchisedec progenies à Mose non sit recensita, propter typum eius quem gerebat. Propterea dicit hic Paulus,assimilatum. De qua re scripserunt prophetæ, Generationem eius quis enarrabit? Et iterum: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Ideoq; si diuinitatem in Christo spectes,matre caret. Nam ex patre genitus ante secula. Si humanitatem Christi spectes, sine patre est. Non enim ex uiri semine conceptus & editus est, sed cooperante sancto Dei spiritu ex intemerata uirgine Maria. Huius ergo disputationis scopus est,ut intelligamus quis sit ordo Melchisedec. Nempe is,quo unus & solus est sacerdos.

Manet sacerdos in perpetuum. Tacet scriptura ipsius Melchisedec interitum. Hunc nobis proponit quasi semper uiuat,perpetuoq; uideatur fungi sacerdotio. In quo adumbrat nobis sacerdotem Christum perpetuum,qui & intercedit pro nobis, cuius etiã dignitas patri sacratißima est. Ille in prophetis promissus est sacerdos perpetuus, post quem credentes alium sacerdotem non expectant quòd hic perpetuus sit, & successorem non habeat ullum, quasi ille mortuus sit & non uiuat. Facessant ergo hinc Iudæi,& alium Meßiam sacerdotem & pontificem nõ expectent,qui se hostiam pro totius mundi peccatis offerat. Viuit & manet hæc hostia in perpetuum,suos habet ministros in sua ecclesia hic magnus sacerdos iuxta suum præscriptum ordine sacro constitutos. Sed de his alibi plura.

Intuemini autem. Docet Christi sacerdotium Leuitico præstantius multis argumentis. Abraham dedit decimas ipsi Melchisedec,uiro etiam alterius generis quàm Leuitici,ex omnibus præcipuis spolijs: ergo Abraham agnouit ipsum Melchisedec se superiorem,etiam iure diuino eum sacerdotem Dei agnouit: Quia & pòst solis sacerdotibus dabantur decimæ secundum legem nomine Dei, & ante legem decimæ leguntur datæ, sed Deo, sicut dixit Iacob Genes.28. Item Melchisedec benedixit Abrahæ, ut sacerdos Dei, sicut habet historia in Genesi: ergo & ipse Melchisedec suo officio agnouit se superiorẽ ipso Abrahamo. Ex his sequitur,Si Abraham princeps generis, & cui Deus promiserat benedictionem,quo patre gloriãtur omnes Iudæi, est inferior Melchisedeco, reuera totum genus Abrahæ secũdum carnem usq; ad Christum est inferius Melchisedeco: ergo ne Leui quidem excipitur: ne sit inferior,cui tamen sacerdotium debetur secundum legem,secundum quam accipit Leui decimas à fratribus. Præterea Leui qui adhuc egressurus erat è lumbis Abrahæ,et in carne Abrahæ iam erat quãdo Abraham dedit decimas,& benedicebatur ab ipso Melchisedec, decimatus est & benedictus ab ipso Melchisedec in Abraham,qui tamen secundũ legem ius habebat accipiendi decimas,& benedicendi populum. Vide ex his dignitatẽ ipsius Melchisedec præferri ipsi Abrahæ, & Sacerdotium Leuiticum longè inferius sacerdotio Christi. Facit ad hæc,quia sacerdotium Leuiticum erat in mortalibus hominibus, significabatur quandoq; moriturum & abolendum. Melchisedec non legitur mortuus,nec sacerdotium eius est abrogatum. Ante Melchisedec non erat huiusmodi sacerdotium, nec post Melchisedec aliud pro eo subrogatũ est,sed solus fuit sacerdos,& manet in æternum: in quo uidemus Christum solum magnum & summum sacerdotem & æternum. Obserua ex hoc loco, ferè perpetuum hunc morem Apostoli esse, ut quoties illustria adducit testimonia alijs insuper confirmet: ne quid temere dixisse uideatur, quemadmodum & hic palàm fit. propositam enim historiam de Melchisedec & Abraham nõ satis habet ad literam inspexisse,nisi etiam quid mysterij subsit explicet. Vnde ait,intuemini.quasi dicat, Estote attenti: Videtis enim hic aliquid sublime latere quod obiter per

Decimæ debitæ.

Sacerdotiũ Leuiticũ inferius sacerdotio Melchisedec.

Christus solus magnus sacerdos.

ter percurrendum non est,aut per transennam uidendum. Ista non propter Melchisedec scripta sunt,sed propter Christum,cuius typum gerebat ille.

Decimas dedit de præcipuis. De præcipuis, supple spolijs siue exuuijs ab hoste detractis. Aut ex melioribus & honoratioribus spolijs Abraham ipsi Melchisedec detulit. Non dici id potest Abraham dona hæc & exuuias ipsi Melchisedec impartitum,quia secum unà hic militasset,& ob id præmia hinc dependisset militiæ, sed domi se continenti munera & decimas detulit Abraham: ut aperta sit eorum insania,qui sacrificis nostris uictum negant,nisi aut rus colant, aut secularia negotia exerceant. Nemini absurdum uideatur quòd Abraham longè clarißimus patriarcha, ut docent literæ,dederit ipsi Melchisedec decimas ex omnibus. Nimirum ille ex reuelatione spiritus, Christum summum sacerdotem, in hoc ueneratus est,quem & in corde suo uidit. Nam scriptum est Ioan.8.cap. Abraham exultauit,ut uideret diem meum: uidit,& gauisus est. Huc pertinet non dißimile quod apud Iosephum lib.antiquitatum 11.cap.ultimo legimus de Alexandro, Qui cùm uicisset Darium, uirtutemq; Persicam soluisset, iamq; Hierosolymas cum exercitu properabat: occurrit ei summus pontifex in hyacinthina & aurea stola,cum reliquis sacerdotibus & ciuibus. Phœnices uerò, & qui cum Alexandro erãt,putabant regem nihil nõ hostile sibi in illos permissurum, adeoq; summum sacerdotem contumelijs affecturum: sed longè aliter euenit. Nam ille conspecta occursantium turba, summum sacerdotem solus accesit, ueneratus est, & numen adorauit. Hoc ubi uidissent primores,obstupuerunt,indignumq; tanto rege facinus iudicarunt: nempe quòd homini mortali tantum honoris deferret: tandem Parmenio causam facti sciscitanti,respondit rex, Non hunc adoraui, sed Deum cuius ille principatu sacerdotij fungitur. Nam per somnium in huiusmodi eum habitu conspexi, qui & uictoriæ mihi spem fecit &c. Vide fusius tractatum historiam apud Iosephum loco prænotato. Lex Nume.18. & Deuter.14. triplices decimas constituit. Primæ dabantur de omnibus primitijs per annos singulos. Secundæ singulis triennijs pro Leuitis,peregrinis,pupillis & uiduis fouendis. Tertiæ erant decimæ decimarum,aut decimæ secundæ, quæ portio sancta erat. Vide ordinem Dei in suo populo,qui primùm uoluit prouisum ministris suis,ut à quibus omnis populi salus penderet,deinde & pauperibus. Dignius enim est pabulum animæ, corporali. In primis ergo cura habenda est de ministris Euangelij. Cæterùm præceptum de decimis partim morale est, partim ceremoniale. hoc ceßit,illud remansit.

Abraham dedit decimas ipsi Melchisedec.

Victus sacrificis debitus.

Non annumeratur in eis: Id est, Melchisedec de Leuitarum genere non erat: & tamen ab Abraham patre tum Leuitarum tum aliarum tribuum optimo iure decimas accepit.

Et hic quidem,decimas. Hic,id est,in sacerdotio Leuitico, homines morientes,id est sacerdotes moribundi & mortales accipiunt decimas. Ideo ritus ille Leuitici sacerdotij mortalis fuit,per Christum extinguendus. Melchisedec uerò, siue secundum Christum sacerdotalis hæc institutio & uiuit & permanet æternùm.

Vt ita dictum sit: Id est,ut sic dicam.

Et Leui qui. Id est,non solùm ipse Abraham dedit decimas ipsi Melchisedec,sed etiam ipse Leui, cuius fuit ius accipiendi decimas, in Abraham obtulit ipsi Melchisedec. Reputauit enim se cum sua posteritate tanquam laicum ad hunc sacerdotem Dei altißimi. Per metonymiam Leui ponitur pro omnibus Leuitis.

Adhuc enim in lumbis patris. Id est, genitale semen Leuitarum erat in

Abrahæ lumbis,& ipsi futuri erant semen illius.

Sacerdotiũ leuiticum mortale,Christi uero immortale.

Si ergo consummatio. *Imperfectum fuisse sacerdotiũ Leuiticũ declarat Psalmus,cui necesse fuit æternum substitui in filio Dei sacerdotiũ.Quod secundũ legem non potest esse sacerdotiũ huiusmodi.Nã ex Iuda est Christus,non ex Leui.Et ex Iuda nõ erat sacerdos quisquã secundum legem.Propterea æternus sacerdos scribebatur futurus,quales sacerdotes non potuit lex instituere. Ex his sequitur, Si abrogatum est sacerdotium carnale, ergo abrogata est & lex carnalis per illud sacerdotiũ accepta. Si carnale & temporarium sacerdotium mutatum est in spirituale & æternum: ergo & carnalis & temporaria lex mutata est in spirituale & æternã.Legem illam & sacerdotium instituit quidẽ Deus, sed non cum iureiurando. Christi uerò sacerdotium instituit cum iureiurando æternum & immutabile.Videtur ad hunc modum argumentari. Si consummatio, id est perfectio & salus erat per sacerdotium Leuiticum tanquã ordinatum immutabile,iam non opus erit alium sacerdotem per prophetas polliceri quàm Aaronicum:sed alius per prophetam promissus est quàm Aaronicus: ergo Aaronicum sacerdotium cum sua lege mutabile est,& abolendum tanquam imperfectum.*

Sub ipso Legem accepit. *Sub ipso, subaudi, sacerdotio Leuitico:ne quis ad hominem referat.*

Translato enim sacerdotio. *A sacerdotali Aaron tribu in regiam illã Iuda traductum est id sacerdotium.Sed attende mysterium.Hoc enim cùm regale fuisset, mox est & sacerdotale effectum. Quemadmodum Christus cùm rex perpetuò esset,sacerdos tamen euasit cùm carnem assumpsit,& sese in sacrificium obtulit.*

In quo enim hæc dicuntur. *Ostẽdit quemadmodum secũdum tribum translatum est sacerdotium. In quo scilicet Christo, id est de quo Christo hæc dicuntur,& ad eum referuntur. Is de quo dicitur,Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedec, de alia tribu est,nẽpe Iuda,de qua nullus altario præfuit.Ex quo apparet,Cùm Christus de tribu Leui non fuerit, & sacerdos fuit, ut testatur Psal. Tu es sacerdos &c. omnibus uel cæcis ipsis est manifestum translatum esse sacerdotium Leuiticum.*

Qui non secundum. *Ex Melchisedec, non aliorum sacerdotum ordine, est Christus effectus sacerdos. Illi nanq; à lege sacerdotium accipiebant,quæ carnis haberet mandata.Iubet enim lex huiusmodi,Carnem præcide,& Carnem abluito,& à carne abstine,& carnis bona assequeris. Melchisedec nullis eiusmodi, sed diuina uirtute nititur:idcirco illum & uita in æternum potiri adfirmat,& sacerdotio insolubili. Viuere autem hunc ita accipies, tanquam de sacerdotio eius dictum. Hoc loco antithesi utitur,nempe carnali legi spiritalẽ obiecit,& mortali uitam insolubilem.Breue aliquid & momentaneum per carnalem expressit,& ideo uitæ addidit insolubilitatem, Christum arguens uirtute propria uitam perpetuam assequutum.*

Reprobatio. *Id est, commutatio quædam & repudiatio præcedentis mandati, id est,anticipantis testamenti,quia infirmum esse & inutile deprehensum est,fit per sacerdotem IESVM Christum.*

Nihil enim ad perfectum. *Ceremoniæ legis ipsum sacerdotium & sacrificium Leuiticum,peccata non tollunt:itaq; infirma & inutilia sunt. Rogabis: Cur igitur instituta sunt illa? Vt introducerent ad spem meliorẽ.Id est,ut Christi essent figura,per quẽ ad Deum accedimus.Nam cùm is sit uia,ueritas & uita,nemo uenit ad patrem nisi per Christum. Erant enim ceremoniæ exhortatrices, ut nil elementis fideremus,sed omnia futuro Messiæ committeremus.Vide infrà,1.& 2.conciliationem.*

Iurauit

Iurauit Dominus. *Iurauit,id est,immobiliter definiuit.Dei enim iuramentum (quod est uehemens quædam assertio)cùm absolutum est,immobilitatem & immutabilitatem rei, de qua fit promissio aut assertio in iuramento, ostendit.Et non pœnitebit eum: ad differẽtiam sacerdotij legalis,cuius Deum pœnituit,hoc est,ad modum pœnitentis se habuit,quia illud Dominus destituit. Non pœnitebit eum,id est,nũquam Deus sacerdotium illud secundum ordinem Melchisedec destituet,sed manet in æternum.* Iuramentum Dei.

Melioris testamenti. *Testamentum posuit pro ordinatione. Hoc nouum certius est:Quia non pœnitebit Dominum instituisse hanc ordinationem. Priorem autem mutauit per aduentum sui filij.*

Sponsor. *Id est,fideiussor,mediator,& intercessor. Multò ergo nunc certior est salus quæ Christi quàm quæ Leuitarum nitebatur sacerdotio,est certior ordinatio quæ fit per iusiurandum.* Sponsor.

Talis enim decebat. *Deliniat ornatus & conditiones summi sacerdotis. Est sanctus, id est, purus etiam à natiuitate, utpote qui de spiritu sancto conceptus, & ex intemerata uirgine natus.At reliqui omnes nascuntur filij iræ.His monentur sacrifici, ne impuris manibus & polluta mente sacris assistant, nisi uelint sibi gehennæ incendium accersere.*

Innocens. *Qui malignitate caret,& nemini uel lingua,uel manu,uel alijs studijs nocet. Mira fuit huius summi Pontificis innocentia, qui cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta,1.Pet.2.imò pro inimicis & crucifixoribus orauit.* Innocens.

Impollutus. *Christus in quauis re sua fuit mundissimus.Nulla inquàm uitiorum aut immunditiei labe aspersus,sed omni ex parte purus.*

Segregatus à peccatoribus. *Nam etsi hominem assumpserit, peccatum tamen nec assumpsit,nec fecit,nec inuentus est dolus in ore eius.Sacerdotibus legis præceptum fuit ne cohabitarent peccatoribus,neq; cum profanis miscerentur. Facilè enim ex consuetudine malorum aliquid uitij imbibimus, cùm omnes à natura ad prauitatem propendemus. Sed de Christo aliud est,nihil periculi erat in eo,qui neq; peccatum fecit,neq; ad peccatum proclinis erat. Propterea Christus peccatores adijt, ut medicus ægrotos:non ut occideret,sed ut sanaret.*

Et excelsior cœlis factus. *Secundum diuinam naturam excelsior fieri non potuit qui iam erat: sed iuxta humanam naturam factus est excelsior cœlis, id est sanctis ipsis,qui à scriptura dicuntur cœli.Nam in omnibus ipse primas tenet,& Sanctus sanctorum iure appellatur. Aut excelsior cœlis factus, id est, in cœlum super omnia exaltatus, ut ibi uelut in uero Dei templo pro nobis semper appareat in conspectu Dei aduocatus & Pontifex noster.De huius celsitudine plura uidebis in 1.huius epistolæ,Ephes.1.& 2.Colos.1.& 2.cap.*

Qui non habet necessitatem. *Quia nihil peccati in Christo fuit, non erat necessarium pro proprijs peccatis uel oraret,uel hostiam offerret, quemadmodum sacerdotes Leuitici ex lege Leuiti.9.tenebantur. Idq; quotidie. Christus non quotidie, sed semel tantùm pro peccatis nostris. Obtulit autem non pecudes,aut sanguinem beluinum, sed sui proprij & purissimi corporis holocaustum. Ex quo apparet, inutilem fuisse legem Leuiticam, quæ meritò per Christum in cruce abolita est. Vno opere & oblatione una perfecit Christus quod infinitæ myriades Leuiticarum nunquam attigissent,tantum abest perfecissent.*

Infirmitatem. *Id est,fragilitatem,aut ad peccandum pronitatem:hanc interdum* Infirmitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum, aliquando mortem dicunt. Dicet aliquis, Quid est quòd lex infirma dicitur? Neminem ergo iuuit lex illa? Iuuit quidem disponẽs ad fidem.sed ut perfectionem iustificationis,& tandem beatitatis,quæ est finis hominis,afferret,neminem iuuit: quia neminem perfectum effecit. Atque,quia solis & nudis literis imperantibus nitebatur, utputa, hoc facito, illud caueto, nec ullas ad exequenda mandata uires suppeditabat, quales in præsentia nobis per spiritum suggeruntur. Dices,habẽt hæretici ex hoc loco qui legem detractent, dicentes, Ecce Paulus legem improbat. Respondeo, Paulus hìc nequitiæ non arguit legem,sed inutilem dicit,& eò infirmam,quia nequeat perfectionem afferre.Si enim lex illa nunquam abrogata & translata fuisset,nunquam cœli patuissent uiris,quamlibet in lege illa commendatis.

Sermo autem iurisiurandi. *Post legem scriptam à Moyse, dictum est uoce prophetica à Dauide,Tu es sacerdos in æternum. Est ergo ordinatus Christus sacerdos perpetuus immutabilis,per quem cessauit imbecille sacerdotium.*

CONCILIATIO.

Prima. IN SPECIEM *pugnare uidetur hic locus dicens legem tam infirmam tum inutilem,cum eo quem Paulus pronuntiat ad Philippenses 3.Secundum iustitiam,quæ in lege est, sine reprehensione conuersatus sum. Si in lege iustitia, quomodo inutilis?*

Iustitia in lege. IVSTITIA *in lege dicitur, qua quis, quæ legis sunt operatur, & hac acceptus*

Iustitia Christi. *hominibus,legis pœnam deuitat.Hanc Paulus dicit in lege esse. Christi autem iustitia est, qua homo fide per dilectionem operante iustificatur, & Deo gratus redditur. Hanc iustitiam neq; in lege reperit, neq; à lege est consequutus Paulus, sed ex fide in Christum.*

Secunda. HIC *locus, Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem:uidetur pugnare cum eo ad Roma.3.Legem ergo destruimus per fidem? Absit.sed legem statuimus.Hic destruit,illhic stabilit legem.*PAVLVS *hic asserit legem inutilem esse, non quòd illam arguat nequitiæ, sed quia neque iustificare,*

Lex Mosaica quare dicta inutilis. *neque ad perfectum adducere potest.Illhic autem ad Roma.3.legem statuit & confirmat per fidem.Nam quod erat legi propositum,ut hominem iustificaret,id nequit illa sine fide perficere. Siquidem ut primùm quis credidit in Christum, iustificatur: non igitur legem destruit fides,sed stabilit & statuit. Præterea ex eo,quòd Pauli doctrina & exhortatione uirtus fidei commendatur & declaratur ad iustificandum, non propterea destruit legem Moysi, alioqui oportuisset legem Moysi nunquam à fidelibus receptam fuisse, sed declaratur,quòd tametsi nec in lege nec in operibus legis esset uis, peccatorum remissiua,erat tamen fides legis commendata, quòd Christus fides nostra promissiones illius impleret. Non enim uenit soluere legem, sed adimplere. Cùm Roma.10.ipse sit finis & perfectio legis.*

Tertia. QVID *hic Paulus pronuntiat, Sacerdotium Leuiticum temporale fuisse: cùm Exodi ulti.& Nume.25. sempiternum dicatur. Hoc modo,erit ipsi Phinees & semini eius pactum sacerdotij sempiternum.Et applicabis Aaron & filios eius,&c. ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.* AVGVSTINVS *libro quæstionum super Exodo,quæst.124. Et lib.17.de Ciuit.Dei, cap.6. ait, Sacerdotium Leuiticum seu Aaronicum dici potest sempiternum,uel propter tempus non determinatum quousq; obseruaretur, hoc est, quod illi certum tempus non fieret præscriptum: Vel quia res significabat æternas, hoc est, Christi sacerdotium, qui est sacerdos in æternum secundum ordinationem Melchisedec.*

DICT

DICTIO.

MELCHISEDEC *interpretatur rex iustitiæ. Nam Melech Hebræis rex dicitur,Zedek,iustitia.Melchisalem uerò regem pacis exprimit.* Melchisedec.

GENEALOGIA *Latinè dicitur sermo de generatione seu origine.* Genealogia.

PATRIARCHA *patrum princeps dicitur.* Patriarcha.

LEVI *interprætatur adhæsio.Hinc Leuites uel Leuita penult.producta.* Leui.

DECIMATVS *in lumbis Abrahæ dicitur, cuius curatio uulneris ex propagatione parentum primorum contracti per decimationem Abrahæ ipsi Melchisedec sacrificio est figurata. Si quid est quod de hac decimatione desyderaueris legere,consule doctores scholasticos in 3.sentent.distinct.3.* Decimatus in lumbis.

Vetus testamentum per nouum antiquandum erat.

CAP. VIII.

Capitulũ autẽ, &c.] Sũma aũt eorũ quæ dicimus,hæc eũ,

CApitulum autem super ea quæ dicuntur, Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis: sanctorum minister, & tabernaculi ueri, quod fixit Deus,& non homo. Omnis enim Pontifex, ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hũc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium. sicut responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum, Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium: quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa uacasset:non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit, Ecce dies uenient,dicit Dominus: & consummabo super domum Israël & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Aegypti. quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mentem eorum,& in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. & non docebit unusquisque proximum suum,& unusquisque fratrem suum dicens, Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad maiorem eorum; quia propitius ero iniquitatibus

Pontifex Christus Deus.

Pontificis officium.

Exodi 25.d Act.7.f

Mediator noui testamẽti,Christus.

Iere.31.c

Propitius ero] placatus ero super

eorum

eorum: & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum: ueterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit: prope interitum est.

Veterauit] antiquauit

Capitulum.

Capitulum. Id est, summa. Sentit enim se compendio dicturum quod à 5. capit. hucusq; de sacerdotio Christi aduersus Aaronicum fusius disseruit, & id, quod præcipuum est, explicaturus.

Magnitudinis. Id est, maiestatis. Thronum enim paternum dicit, qui maximus est. Qui consedit in dextera sedis &c. Id est, qui uerè est filius Dei, & æqualibus cum patre potitur bonis.

Sanctorum minister. Non simpliciter ministrum, sed plerunq; ministrum sanctorum, & qui fungatur officio sacerdotij pro alijs. Porrò genitiuus Sanctorum, potest uel ad homines referri, uel ad ipsa sancta, id est, sanctas res: ut dicatur administrare sancta pro nobis ueluti sacerdos.

Et tabernaculi ueri. Familiare est scripturæ, sanctos uocare tabernaculum, templum, ciuitatem, domum, ecclesiam, eò quòd Deus in ipsis inhabitet, & gloriã suam in eis explicet. Addidit, Veri, & quod fixit Deus & non homo, ad differentiam tabernaculi Mosaici, in quo Deus qualemcunq; præsentiam exhibuit. Ideo Veri dixit, quia illud Mosaicum non uerum, sed typicum erat.

Quod fixit Deus. Peruenusta est allegoria, qua alludit ad tabernacula quæ solẽt figi paxillis. Omnes electi ante mũdi constitutionẽ & ab æterno prædestinati sunt ad uitam, et sanguine Christi in libro uitæ inscripti sunt. Ista est fixio seu firmatio ecclesiæ & tabernaculi sanctorũ, cui portæ inferorũ non prævalebũt, nedũ flumina cum uentis. Habet enim firmissimũ fundamentũ IESVM Christũ. Hinc intelligi potest quod Basil. dicit, Cœlũ empyreũ, nec mobile esse nec circulare: id est, immobile et stabile esse.

Tabernaculũ Dei fixum.

Donũ & hostia differunt.

Ad offerendum munera. Inter donum & hostiã (ait Theophylactus) id interest, quòd hostia quidem in cruore offertur & carnibus, dona uerò ex fructibus constant & cæteris eiusmodi quæ incruenta sint. Alioqui in sacris indifferenter posita reperiuntur. Verus pontifex Christus Deo patri humanitatem assumptam semel in ara crucis immolatam pro nobis iugiter offert & præsentat. Ergo est sacerdos & Pontifex. Nam ueri sacerdotis officio fungitur.

Si ergo esset super terrã. Id est, si terrenus sacerdos et in externis rebus ageret, iam ne sacerdos quidẽ esset, quia non esset ex Leui. Aut si adhuc in terris ageret, nec adhuc mortuus, nec in cœlum assumptus esset, nec uerè quidem esset sacerdos, nisi seipsum offerendo, & oblata uera hostia peccatorũ expiatrice, hoc est, suo corpore in ara oblato, ut postea resurgẽs in cœlum assumptus, & uera sancta ingressus, tanquam uerus Pontifex illhic pro nobis sacra faceret, hoc est pro nobis apud Deum interpellaret. Nam peracto in cruce sacrificio nihil superest nisi ut pro nobis ipse interpellet.

Vide (inquit) omnia facito. Rogabis, Quodnam fuit illud exemplar ostensum Moysi. Dico, Ecclesia Dei est, & electi in libro uitæ inscripti. Hoc exemplar primum uidit in monte, ut per suum tabernaculum significarentur ea, quæ futura postea essent in ecclesia. Imaginarium hoc exemplar fuit, quod uidit in spiritu: nempe Christum uenturum, tabernaculum & ecclesiam erecturum, in quam infunderet de suo spiritu, & in ea habitaret Pontifex & sacerdos.

Sacerdotiorũ ueteris & noui differentia.

Nunc autem melius. Christi sacerdotiũ longè dignius est ueteri. Vetus promittebat terrena dicẽs, Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, & huiusmodi. Nouum, cuius mediator est Christus, æterna promittit ac cœlestia. Vetus, quod habuerunt sacerdotes, non potuit seruari ab hominibus, tantum abfuit ut iustificaret. Nouum, quod habet Christus, dat spiritum iustificantem, qui manet nobiscum æternũ. Illud in tabulis saxeis erat scriptum, & litera erat: hoc in cordibus scribitur, & spiritus est & uita, id quod hoc loco docet Paulus ex Ieremia.

Si illud prius culpa uacasset: Id est, fuisset irreprehẽsibile, siue de quo queri non possis, aut in quo nihil posset desyderari. Aut, si mauis sic explicare, Si uetus illud culpa uacaret, id est, si alios irreprehensibiles redderet: nequaquam fuisset aliud loco eius inductum. Nam quemadmodum usurpare id omnes solemus, domum aliquam quæ propediem sit collapsura, uitio non uacare, sic & uetus dixerim testamẽtum minus esse non iucusandum. Non quia hoc aliquid habeat in se prauitatis, sed quia nequeat iustificare, neq; meliores efficere: ut quod paruulis sit & infantibus traditum.

Vituperans enim eos. Non ait uituperans illud uetus testamentum, sed eos, id est, Iudæos, qui per legis præcepta cuadere ad perfectionem nequiuerint. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, ut præcedente cap. dictum est.

Testamentum nouum. Nouum dicit, propter nouitatem spiritus, ait Augustinus lib. 2. de baptismo paruulorum, quæ nouum hominem sanat à uitio uetustatis. Leges Dei à Deo scriptæ in cordibus sunt (ait Augustinus) præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & finis præcepti. Testamentum uocat pactum & fœdus, hoc est gratuitam peccatorum remissionem, quæ toti generi humano contingit merito Christi, & non lege & uetere testamento.

Et non docebit unusquisq;. Videtur mihi hæc clausula explicare effectum noui testamenti post hanc uitam. Aut referri potest ad Apostolorum senatum, qui à spiritu edoctus est, in quo alius alium non docuit. Promiserat enim illis Christus in Ioãne, Paracletus autem cùm uenerit, ille docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia.

CONCILIATIO.

PAVLVS antiquatum declarans uetus testamentum aduersatur dicto Christi Matth. 5. Non ueni soluere legem, sed adimplere. REVERA statuens nouum testamentum stabiliuit uetus. Nempe quod promisit uetus, impleuit nouum. Propterea antiquatum dicitur, quia impletum est, & amplius in usum recipiendæ non sunt pollicitationes de Christo uenturo. Non uenit Christus soluere legem, sed adimplere: id est, non uenit transgredi legem, sed stabilire & perficere. Prima.

NON sibi consentire uidetur Paulus dicens ex propheta, & non docebit unusquisq; proximũ suum. Et 1. Corinth. 14. Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, instructionem, exhortationẽ, &c. Et Ephes. 4. Alios dedit pastores & doctores ad consummationẽ sanctorũ. RESPONDEO, si cui difficultas de fide obuenerit, consulendi sunt periti & docti si præsentes sunt, imò quærendi ne propriæ uideamur inniti prudentiæ. Ad illuminãdos enim & docendos ignorantes designati sunt, tum doctores, tum prophetæ & huiusmodi, quorũ mentionem Paulus facit Ephes. & Corint. Qui si absint, commodéq; reperiri non possint, hoc scito, tunc non docebit unusquisque proximum suum, &c. sed huic fidem ueram habenti aderit Dominus à quo docebitur, qui suis nunquam deesse solet. Quod maximè expressum est 1. Ioan. 2. Et nõ necesse habetis ut aliquis uos doceat, sed sicut unctio eius docet uos de omnibus. Secunda.

DICT

DICTIO.

Minister sanctorum.

SANCTORVM *minister, Græcis est* λειτουργὸς, *quod non simpliciter sonat ministrum, sed plerunq; ministrum sacrorũ, & qui fungatur officio sacerdotis pro alijs. Vnde quod nos uulgò uocamus officium, Græci uocant* λειτουργίαν.

Liturgia.

Antiquare.

ANTIQVARE *est euacuare, abolere. Legitur apud Liuium de plebeio senatu, antiquabant, id est confirmabant.*

Tabernaculum legis figura Christi. CAP. IX.

Tabernacula duo. Exod. 26. a. & 36. a

HAbuit quidem & prius, iustificationes, culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post uelamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum: & arcam testamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superęq; eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. De quibus non est modò dicendum per singula. His uerò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus pontifex: non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & in uarijs baptismatibus, & iustitijs carnis usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens pontifex futurorũ bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum nõ manu factum, id est non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti? Et ideo noui testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub

Culturę & sanctum] Cultus, ac sanctũ mundanum.

Candelabra] Candelabrum

Sanctũ sanctorum.

Sancta.] Sanctum.

Quid significarunt duo tabernacula.

Officia cõsummantes.] Ritus peragentes.

Propalatam] Vel, manifestatam

Parabola est tẽporis instantis: Juxta quã] Erat similitudo pro tẽpore tũ præsente in quo

Sacrificia ueteris legis.

Baptismatib⁹,] Ablutionibus,

Per amplius] Per maius

Creationis,] Factura,

Christus sanguine suo redemit semel.

Sanguine Christi purgati à peccatis. Leuit. 16. e. 1. Pet. 1. d. 1. Ioan. 1. d. Apoc. 1. b

Mediator] Vel, cõciliator

1. Pet. 3. g. Roma. 5. b

priori

priori testamento, repromissionem accipiant, qui uocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris. Testamẽtum enim, in mortuis confirmatum est: alioquin nondum ualet, dum uiuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse uniuerso populo: accipiens sanguinem uitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens, Hic sanguis testamenti quod mãdauit ad uos Deus. Etiam tabernaculum & omnia uasa ministerij, sanguine similiter aspersit. Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exẽplaria quidem cœlestium, his mundari: ipsa autem cœlestia, melioribus hostijs quàm istis. Non enim in manu facta sancta IESVS introiuit, exemplaria uerorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. Neq; ut sæpe offerat semetipsum, quẽadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno (alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi) Nunc autem semel in consummationem seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. secundò sine peccato apparebit omnibus expectantibus se, in salutem.

Testamentum. Galat. 3. b

Confirmatum] Vel, ratum

Vetus testamẽtum sanguine dedicatum.

Exod. 24. c

Melioribus] Potioribus

Christus in cœlis coram patre orans pro nobis.

In consummationẽ] Instante cõsummatione

Destitutionẽ] Profligationẽ

Moriẽdum semel.

Christus pro nobis mortuꝰ.

Exhaurienda] Tollenda

Rom. 5. b. 1. Petri 3. c

Habuit quidem. *Superioribus hæc à Paulo connectuntur singulari orationis ornamento, ne quod de Senecæ scriptis dicebat Caligula, sit harena sine calce. Transit à nouo testamento ad ueteris testamenti explicationem, ut melius ad ueri testamenti cognitionem peruenire ualeamus. Obiter quædam perstringẽs, eadem statim relinquit ut ad dignius tractãdum accedat. Nempe quomodo Christus pro nobis sacrificauerit. Hoc ut liberius coram Iudæis eruditis faciat, amplißimè narrat historiam, & ea quæ apud Iudæos receptißima erant, ut allegoria persuadeat quàm receptißimũ sit nouum testamentum.*

Iustificationes. *Statum tabernaculi ueteris declarat. Iustificationes uocat, quæ declarabant iustificationem in speciem, etiam si eam non præstarent, huiusmodi erant, sacrificia, purificationes, uota, Psalmi, ieiunia, & his similia.*

Culturæ. *Ritus Iudaici, apparatus sacrorum, adorationes externæ, geniculationes, & huiusmodi externa, erant quædam munditiæ, quæ remißionem peccatorum non faciebant.*

Sanct

Seculare sanctum.

Gentes.

Mundanũ sanctum.

Altare æneũ. iustificationes culturæ.

Sanctum seculare. *Seculare dicitur (si Chrysostomo & eius Abbreuiatori creditur) quia ab omnibus adiri permittebatur, & uulgatior esset hic in tabernaculo locus & notior, ubi & Iudæi & Nazaræi & Proselyti & Græci cõsisterent. At quoniã & gentibus, id est, seculi hominibus patebat accessus, seculare hoc dicit, id est, sanctum mundanum, in quod & mundani seculares (ut ita dixerim) reciperentur. In hoc erat æneum altare holocaustorum, ubi uictimas immolabant sub dio.*

Tabernaculum enim. *Primum dicens intelligit priorẽ tabernaculi partem, ne parum attentis duo tabernacula feciße uideatur. Vnicum enim fuit, sed per uelũ seu cortinam in duas partes diuisum, ferè ad eum modum, quo apud nos templa diuiduntur in chorum & ecclesiam siue populi stationem. Hic finge chorum esse sanctum sanctorum, & ecclesiã esse Sanctum aut sancta. Sanctum, dicebatur locus, in quo res agebatur sancta. Sed multò sanctior est interceßio & uictima Christi. Vnde Sanctũ sanctorũ is locus dici cœpit, in quo peragebatur figura sacrosancti sacrificij Christi. Nam Christus est ille, ut Daniel ait, Sanctus sanctorum, id est, omnium sacratißimus. Vnum ergo erat tabernaculum, unam referens ecclesiam in duas interim partes, hoc est, in duplicẽ populum & ritum, diuisum. Veteris ecclesiæ faciem refert pars illa quæ sanctum dicitur: Nouæ autem imaginem habebat interior pars, quæ Sancta sanctorum uocatur.*

In quo erant. *Pergit utriusque partis ornamenta explicare: in quo, id est, in qua parte priore, quæ uocatur sanctum aut sancta. Obiter dixerim, Sancta, hoc loco pluralis esse numeri, neutri generis, ut respondeat ad hoc quod mox sequitur, Sancta sanctorum.*

Candelabra. *Exodi 25. Facies candelabrum ductile de auro mundißimo, & hastile eius & calamos &c. Calamos siue lucernas septem habebat. Hoc indicat perfectißimam & absolutißimam ueritatis Euãgelicæ doctrinam, quæ adeò lucet, ut omnes errorum tenebras discutiat. Quàm sit perfecta indicat septenarius lucernarum siue calamorum numerus, qui perfectionis est numerus, ut autor est Augustinus. Macrobius item in Somnio Scipionis.*

Mensa. *Exodi 25. Facies & mensam de lignis sethim, habentem duos cubitos &c. & inaurabis eã auro purißimo &c. Hæc adumbrabat prædicatores uerbi, à quibus cibus uitæ sumendus.*

Propositio panum. *Mensæ adponebãtur panes, quos alij panes propositionis, alij panes facierum dixerunt: nimirum quòd in conspectu Dei facie hominum prostarent. De his aliud commentum si iuuat legere poteris apud Cælium, lect. antiq. lib. 3. cap. 35. Panes illi adumbrabant nobis uerbum Dei. Non in solo pane uiuimus, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. De his panibus lege Leuitici 24. Quòd solis sacerdotibus & non laicis licebat his uti panibus, præfigurabat puras mentes futuras participes cœlestis panis corporis Christi: ut quòd soli presbyteri, sacramenti Eucharistiæ essent ministri.*

Post uelamentum autem. *Huius orationis contextus uidetur obscurus. Qui sic ordinandus est: Post uelamentum, id est, post uelum seu cortinam erat secundum tabernaculum, id est secunda pars tabernaculi. Aut si placet referre, secundum, ad uelamentum, dices Paulum respexisse ad illud uelum, quod primum erat in introitu tabernaculi, ut scribitur Exodi 25. cap. in fine, à quo hoc secundum dicebatur. Hæc secunda pars tabernaculi uocatur Sancta sanctorum siue Sanctum sanctorum. Cuius ornamenta palàm adduxit.*

Aureum

Aureum habens thuribulum. *Species ornamentorum quæ erant intra uelum nominatim explicat. Quidam admonet Thuribulum dici & aram, in qua suffitus fiat. Vas est, in quo thus adoletur, non ara. Adumbrabat Thuribulum orationes & desideria sanctorum. Psal. 141. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Huc pertinet quod scribitur Apocaly. 8. Et alius Angelus erat habens thuribulum aureũ, & data sunt illi incensa multa, ut adoleret de orationibus sanctorum.*

Et arcam testamenti. *Exodi 25. De arcæ structura tractatur, uocata est arca testamenti, quòd testamenti tabulas contineret: quanquam ipsæ tabulæ dicantur testamentum. Primæ tabulæ uetus testamentum adumbrantes fractæ sunt, sic & abolitum est uetus testamentum. Secundæ tabulæ posteriorem legem spiritualem, Euangelicam, immutabilem, & sempiternam præfigurabant. Quæ in arcam seruandæ repositæ sunt. Ita & lex gratiæ in piorum & fidelium corda, imò in uniuersam Dei ecclesiam thesaurorum Christi seruatricem, posita est. Arca deaurata ex auro purißimo significat Ecclesiam puram, aut uirginem intemeratam, in quam posita est lex sempiterna gratiæ, siue in qua quieuit IESVS Christus, lex spiritalis, iustificatio & sactificatio nostra. In qua supple arca erat urna aurea, in qua repositum est Mãna, quod Deus Exodi 16. iusserat asseruari, in illa arca erat & uirga Aaron, quæ floruerat, Nume. 17. cap. hac uirga adumbrabatur docendi officium, & insuperabilis uirtus & potentia uerbi Dei.*

Erant cherubim gloriæ obumbrantia. *Iosephus refert cherubim fuisse animalia uolatilem habentia figuram, à nullo homine conspectam, quæ Moyses dixit se in sede Dei cõspexisse figurata. Si dictionis etymon spectaueris, Cherubim significat scientiæ multitudinem. Si uerò respexeris ad scripturæ rationem, frequens eorum fit mentio in sacris: cùm præsentia Dei & eius fauor præsentißimus significatur. Quò fit, ut dicamus Cherubim gloriæ, ministros Dei, & diuinæ præsentiæ nuntios ac iudices esse. Propitiatorium Christus est, ut Roma. 3. declarauimus. Cherubim obumbrant & cooperiunt propitiatoriũ, his significatur quòd diuina maiestas assumptam Christi humanitatem conseruat. Quid propitiatorium, uide infrà in dictione.*

In priori quidem. *In priori supple parte tabernaculi, siue in sancto, licuit sacrificis singulis diebus sacrificare, & sacra sua perficere: Numeri 28. in secundo autem non item. Nam in secundam tabernaculi partem, siue in sanctum sanctorum, non nisi semel in anno solus ingrediebatur summus sacerdos, non sine sanguine: id est, offerebat pecuinum sanguinem pro se & sui populi ignorantijs.*

Pro sua & populi ignorantia. *Id est, pro delictis ex infirmitate & fragilitate commißis, non autem ex certo proposito perpetratis, ad quæ illa sacrificia non erãt ordinata. Aut, ut quibusdam placet, id est, pro immunditijs quibusdam carnalibus, pro quibus illa sacra erant instituta. At præstantior est noster pontifex, cuius sacrificio & gratia peccatum quale quale sit expiatur, qui non pro se, sed pro nobis hostiam uiuam seu seipsum Deo patri obtulit.*

Peccati pro infirmitate purgatio.

Hoc significante spiritu sancto. *Spiritus sanctus ostendit & indicat, Quàm diu tabernaculum stabat, sancti erant sub seruitute legis, tametsi cor ipsorum libertatẽ spiritus posideret. Quæ libertas stante adhuc tabernaculo occulta erat, & non propalata siue manifestata. Ex quo manifestum est quàm uanum & inutile fuerit Leuiticum sacrificium, in priore tabernaculo factum. Nam si aditus ad sanctum sanctorum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est, ad ipsum cœlum, etiam tum non aperiebatur, cùm illi strenuè admodum immolarent: certè consequens est, aditum ad cœlos non parari Leuiticis sacrificijs. Ergo & uictimæ illæ ad iustificationem & peccatorum remissionem erãt inutiles. Sunt enim quædam iustitia solum externa.

Quæ parabola est temporis. Quæ similitudo seu comparatio, uel qui typus tabernaculi legalis usq; ad præsens tempus gratiæ durauit.

Iuxta conscientiam. Id est, secundum hominem interiorem.

In cibis & potibus. Id est, in mandatis quæ quid edas, quo abstineas decernunt. Et uarijs baptismatibus, id est, ablutionibus. Nam si quis mortuum attrectasset, uel esset morbo infectus, uel fluxum seminis pateretur, baptismo, id est, aqua abluebatur iuxta ritum Leuit. 15. cap. expressum. de cibis potu & baptismatibus siue ablutionibus lege Leuit. 11. & Numeri 19. cap.

Iustitię carnis. **Et iustitijs carnis.** Iustificationibus. Carnis autem iustificationes generaliter dicit omnia sacrificia, omnesq; ritus ac ceremonias, quæ ab immunditijs tantùm corporis mundabant, non autem animæ maculas abstergebant.

Vsq; ad tempus correctionis. Id est, usq; ad Christi primum aduentum, qui uniuersa legalia erat emendaturus, inducturusq; cultum uerum ac spiritalem. Christus itaq; legis correctio & perfectio est.

Christus autem. Peruenusta antithesi, qua Christum sic confert summo pontifici ut longè præcellere uideamus, explicat, quid per sanctum sanctorum, præfiguratum sit. Christus assistens, id est, accedens pontifex futurorum bonorum, id est, bonorum, quæ per eius aduentum sumus consequuti, hoc est, benedictionem, nam expectarũt omnes sancti patres. Quia Christus sacerdos & pontifex est, oportebat ipsum ingredi tabernaculum. Sed quod ingressus est, est longè præstantius. Nam Mosaicus sacerdos terrenum & manibus humanis factum ingrediebatur: hic uerò cœleste & à Deo stabilitum est ingressus. Ille cum sanguine pecuino & alieno ingrediebatur: hic autem per proprium sanguinem.

Tabernaculũ Christi uetere perfectius. **Per amplius & perfectius.** Carnem hoc loco tabernaculum dicit, quæ amplior quidem eò habetur, quo Deus uerbum hanc ipsam assumpsit, quod omne etiã Spiritus sancti sit opus. Facit ad hoc quod alibi Paulus dicit, In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Perfectius dicit, quia perfectiora perficiat. Quidam aiunt hoc tabernaculum esse Ecclesiam longè ampliorem & perfectiorem ecclesia Iudæorum. Et hoc tabernaculũ fixit Deus & non homo. Plus mihi arridet, hæc posterior interpretatio, ne perpetuò in allegorijs sit uersandum. Ecclesia dicitur cœlestis Hierusalem, quia regenerata est ex spiritu sancto. Bene itaq; maius & perfectius tabernaculum hoc, non manufactum, neq; huius structuræ dixit Apostolus. In hoc tabernaculo ministrauit nobis Christus meliora bona quæ nunc præsentia sunt: futura autem dicebantur, cùm adhuc staret tabernaculum Mosaicum, ut prænotauimus. Rogabis, Quomodo, & qua uia Christus seruiuit nobis? Respondeo, introiuit per primum tabernaculum, id est, per Ecclesiam quæ adhuc uiuit, & penetrauit cœlos: hoc est, intrauit sancta sanctorum, ubi sedet ad dexteram patris sacerdos & pontifex noster.

Non huius creationis. Id est, non harum creaturarum in modum creatum carnem, sed spiritualem esse & diuinam, nempe operatione Spiritus sancti, non humanitus dispositam in utero uirginis Mariæ, & ex ipsius purissimo sanguine compactam.

Tum

Tum etiam quia per subsistentiam unita sit Deo uerbo. Vocatur corpus Christi tabernaculum, quia illud unigenitus Dei filius inhabitat. Insuper & uelamen appellat, utpote quod in se diuinitatem occultet, ueletq;. Ex his ipsis nominibus, uel cœlum tabernaculum nuncupat, quod in ipso resideat pontifex Christus. Idipsum & uelum dicit, quia sanctis sit mœnium instar obseptum. Sed si de ecclesia dixeris, certè non est humanis operis constructa: sed Dei operatione, ut prænotauimus.

Corpus Christi dictũ tabernaculum.

Christi ingressus in sancta. **Sed per proprium.** Sacerdotes qui in ueteri lege primum tabernaculum assiduè intrabant, Christi sacrificos, quandiu in hoc mundo sacros peragunt ritus, significabant. At summus pontifex: qui solus quotannis semel secundũ tabernaculum intrabat, id est, sanctum sanctorum, Pontificis cœlestis typum præferebat. Quod autem non sine sanguine: hoc indicium erat, quòd & summus cœlestis sacerdos qui est Christus Dominus, non in sanctum sanctorum ingressurus erat, nisi prius fuso proprio sanguine, cum quo & ipse introiuit in regnũ cœleste & abditum tabernaculum, & hoc semel. Quòd enim mortuus est, mortuus est semel, Roma. 6. Hunc introeuntem in tabernaculum cœleste & uerum sanctum sanctorum, atque accedentem ad dexteram Dei patris, cœlestes chori iuxta oraculum Esaiæ 63. admirantes dicebant. Quis est iste qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Quibus ipse ingrediens dicebat, Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Et illi rursus, Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & uestimenta tua sicut calcantium in torculari? Quibus ipse, Calcaui torcular solus, & de gentibus non est uir mecum. Obserua ex his quomodo Christus intrauit in sancta, sed non sine sanguine. Quæcunq; hic Christo tribuuntur sunt longè præstantissima, quia sunt ueritas, cuius umbræ sunt Leuitica. Ergo audiendus Christus.

Aeterna redemptione. Aperit fructum sanguinis Christi seu passionis eius, ostendens quid suo sanguine effecerit: Nempe redemptionem, eamq; semper durantem. λύτρωσιν, nõ solum propitiationem seu redemptionem significat, sed & pretium redemptionis à seruitute & pœna. Nos extremam seruitutem & mortem merebamur, Christus pretium sanguinis sui pro nobis redimendis dedit. Atque ita in æternam libertatem nos perduxit. Redemit autem sic electos, ut non modò culpam, sed & pœnam omnem auferat.

Si enim sanguis hircorum. Occupatio est. Respondebit fortassis incredulus, Quî fieri potuit per alienum, hoc est, Christi sanguinem purificaremur: cùm oporteat nos, qui peccauimus, satisfacere pro nostris delictis? Respondet Paulus argumento à minori & comparatis ducto: Si incredibile factum est credibile, nempe quòd sanguine pecuino purgata sint peccata uestra externa: quantò uerisimilius est illud quod admodum credibile est, innocẽtis Christi morte & sacro eius cruore deleri peccata uerè credentium, cùm is uerè fuerit Deus, & immaculatum sese pro nobis Deo obtulerit? Aut ad hunc modum argumentatur: Si diuina ordinatione hi qui in lege, uel fluxu uel cadauerum contactu polluti erant, sanguine taurorum & hircorum, uel aqua super cinerem iuuencæ superfusa mundari potuerunt: quantò magis ordinatione Dei, sanguis Christi in hoc ab æterno ordinatus, emundare corda uestra & animam ipsam ab omnibus peccatis poterit? Res tota pendet à Dei ordinatione, cui nihil respondendum est. Sanguis ille per Moysen super populum aspersus ex se non mundabat, sed deturpabat potius: uerùm quia Deus ita ordinauerat, habiti fuerunt, isti pro mundis, neque à templo amplius tanquàm immundi arcebantur.

Opera mortua.

Tactus morticini immūdus. Prima.

Ab operibus mortuis. Id est,peccatis. Alludit ad legem:in qua qui morticinum contigerat,immundus erat, & arcebatur à templo, nisi prius purgatione facta. Sic qui morticinum peccati per consensum attrectat, immundus est, arceturq; à uero templo cœlesti. Sed ab illis nos immunditijs Christus per suum sanguinem emundauit.

Et ideo noui testamenti. Occupatio est,qua præuenit,ne fortassis obijcerent Hebræi quod Christo Ioan.12.obiecerunt: Nos scimus ex lege quia Christus manet in æternum: Et quomodo tu dicis, Quia oportet exaltari filium hominis? hoc ut faciat, breuissima utitur digressione,& ex ratione testamenti probat mediatorem noui testamenti oportuisse mori.& quia sanguinem fudit & oblatus est, noui testamenti mediator est:ut morte intercedente, id est, cùm moreretur & seipsum offerret:interceßit, ut peccata quæ erant sub priori testamento,hoc est,quæ adhuc supererant,Leuiticisq; sacrificijs expiari non poterant, remissionem accipiant, id est expientur: non solùm eorum qui sub uetere testamento fuerunt, sed etiam eorum qui uocati sunt æternæ hæreditatis. Id est,etiam expiata sunt peccata eorum omnium quouis tempore existentium qui uocati sunt æternæ hæreditatis,id est,qui electi sunt, & credunt se per Christum futuros æternæ hæreditatis participes. Per testamentum nihil aliud quàm fœdus illud Dei nobiscum sancitum,& sanguine Christi stabilitum significare uult, sumpta similitudine à commini hominum more,qui solennibus ceremonijs in sanciendis fœderibus usi sunt, quæ nonnunquàm sanguine uel fuso uel hausto confirmabant. Christus sua morte & sanguine suum fœdus stabilire uoluit: quo nobis per omnia spem maiorem remissionis peccatorum faceret.

Vbi enim testamentum est. Tres fructus ex Christi sacrificio nobis hactenus recensuit. Nempe æternam redemptionem,deinde conscientiarum purificationem, postea noui testamenti & æternæ salutis reparationem. At ne quis in summis his beneficijs dubitet,docet quomodo hæc maximè sancta & inuiolabilia sint, argumento à communi hominum more ueluti ex pronuntiatis, petito. Vt testamentum firmum, ratum & firmum sit,necesse est testatorem mori. Ante mortem enim reuocabit ut lubebit. Sed iustitia & peccatorum remissio testamẽtum est:ergo ut firmum sit,necesse est testatorem mori. Hæc probatio est à communi hominum more. Testator Deus est. At is immortalis est,interim testator est:ergo mortalem fieri oportuit. Ideoq; filij persona Deus hominem assumpsit,ut in carne moreretur,essetq; hostia pro peccatis,& à morte testatoris remissio peccatorum daretur omnibus uerè & ex animo credentibus. Mediator noui testamẽti dicitur à Paulo Christus,quòd utriusq; naturæ eum oportebat esse participem. Ex his colligimus Christum Deum uoluisse mori, ut nos certos de fœdere illo in semine tuo benedicentur omnes gentes, ut indissolubili, redderet. Vt quotquot in ipsum uerè crederent,remissionem peccatorum & æternam salutem inuenirent.

Vnde nec primum quidem. Ab eo quòd inter homines receptissimũ erat, probauit,oportere Messiam mori & offerri,ad testamenti indissolubilitatem ostendendam. Idem nunc autoritate Exod. 24. confirmat. Obscura sunt uerba aliqua ex parte, sed pleniora erunt, si penitus introspiciamus. Vnde nec primum testamentum dedicatum est,id est,confirmatum est sine sanguine. Nam lecto mãdato legis,&c. Hanc Moysi historiam & figuram adaptat mysterio Christi, ostendens unicum Christi sacrificium uerum & perpetuum esse sacrificium. Necesse est figuratum respondere suo typo & figuræ. Sed Mosaica sacrificia,quæ dicuntur umbræ & figuræ exemplarium cœlestium, id est,nostrarum rerum,qui cœlestes esse debemus:habebãt suam purificationem in sanguine.

guine. Ergo ipsa exemplaria cœlestia,siueres nostræ,quæ post Christum incarnatum subsecutæ sunt,hostia meliore Mosaicis sacrificijs opus habẽt. Cùm ergo in typo purificatio omnis in sanguine facta fuerit, non potuit ister itus aliunde quàm à cœlesti petitus esse exemplari. Quare oportuit ut in ipsa etiam ueritate, sanguinis effusione mundentur omnia. Inter hæc tamen, lata est differentia. Quò enim præstantiora sunt typicis uera,hòc oportebat puriore & nobiliore sanguine uera mundari. Pudeat ergo plus beneficij accepisse nos quàm ueteres, & gratitudine ab illis uinci. Si qui solum umbras tenuerunt, tanta reuerentia Dei & sanctimonia uitæ uixerunt: quantò magis nos decebit ut cœlestem uocationem exprimere per omnia studeamus? Obserua hoc loco, Exemplaria uocat rem ipsam, non typum uel umbram. Nam 8.cap. audiuimus Mosaica sacra à cœlesti exemplari & uisione esse deformata. Aspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Exemplar illud cœleste est ueritas, Moses autem typum & figuram deformauit.

Ipsa autem cœlestia. Cœlestia appellat homines cœlestes, hoc est,electos in cœlum recipiendos. Hæc enim sunt uera cœlestia figurata in illis sacris uetustæ legis. Hæc inquàm melioribus hostijs mundata sunt: quia à Christo, qui pluraliter dicitur Hostiæ,omnes hostiæ & sacramenta Euangelicæ legis uim & uirtutem habent ab illa hostia uiua,qua Christus moriens se patri pro nobis obtulit. Christus dictus hostiæ.

Non enim in manu facta. Hactenus breuissima digressione, ut præmonuimus, usus,nunc Christi ingressum in sancta sublimiorem esse introitu Mosaico docet. Sancta manu facta intelligit tabernaculum Moysi, aut sancta templi Salomonis, quæ ut exemplaria uerorum Christus non est ingressus, sed in ipsum cœlum: ut appareat nunc uultui Dei pro nobis: hoc est, ut illhic ad dexteram Patris sedeat aduocatus & pontifex noster. Hoc modo loquendi, ut appareat uultui Dei, est usus, non quòd filius Dei aliquando non fuerit patri præsentissimus. Semper enim præsentissimus est, sed ut consulatur infirmitati nostræ,qui difficulter admodum cœlestia capimus.

Nunc autem semel. Ita semel passus est ut nunquam postea. Roma.6. Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. In cõsummatione seculorũ,non in principio mundi, sed in perfectione seculorum à diuina prouidentia definitorum. Aut in fine temporum ac nouissima ætate. Ad destitutionem, id est,deletionem & extinctionem peccati, quale quale fuerit: per hostiam suam, id est, sui,& non brutorum immolationem. Consummatio seculorum. Qualequale est peccatũ à Christo expiatum.

Et quemadmodum statutũ. Quemadmodũ semel & nõ bis morimur,ita & Christus semel mortuus non rursus moritur. Semel oblatus est. A` quo oblatus est? à seipso,nõ ab alio quouis hominũ. Qui & si põtifex sit,hostia tamẽ ipsemet est et oblatio. Christi oblatio.

Post hoc autem iudicium. Cùm omnes è uiuis excesserint, tunc sequetur iudicium generale, in quo secundò apparebit sine peccato, id est, sine ulla pro peccato hostia. Quia tanquam iudex uindicaturus non expiaturus,peccata ueniet. Aut sine peccato,quia primò uenit ad nos cum peccatis nostris quæ portauit. Secundò ueniet absq; peccato in gloria omnibus qui diligunt aduentum eius. Aut sine peccato, id est,sine similitudine carnis peccati apparebit. Apparebit enim sine carne corruptibili & mortali ad differentiam primi aduentus,in quo apparuit in similitudine carnis peccati. Christi aduentus qualis erit.

CONCILIATIO.

LOCVS hic, in qua,urna aurea habens manna,&c. Aduersatur dicto 3.Reg. 8. In arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses

in Oreb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Israël cùm egrederentur de terra Aegypti. Præterea Exodi 16. de phiala mannæ, & Numeri 17. de uirga, quæ fronduerat, mandatur ut seruentur coram testimonio Domini, id est, coram Domino. Hic autem tria illa ait seruata fuisse in arca. RESPONDEO. A' spiritu sancto edoctus Paulus hæc protulit. Audet enim dicere 2. ad Corinth. ultimo, An experimentũ quæritis eius, qui loquitur in me, Christi? Aut dicito Paulum à Gamaliele edoctum, tãquam ungues & nomen cognouisse historiam Hebraicam, & natu maiorum traditione accepisse rem ita se habere, atque ita recensuisse quomodo à maioribus fide dignißimis audiuerat. Nec tamen in ipsis primordijs constructionis Arcæ tria illa adseruabantur in arca, sed longo pòst tempore, cùm esset necesse ut Ieremiæ temporibus Arca occultaretur. In ea & urnã dicunt fuisse & uirgam recondita. Multa breuitatis causa Esdras legem igne absumptam Iudæis restituens, subticuit: quæ Paulus spiritu sancto motus restituenda cognouit.

EXPRIMENS Paulus Christum hac ultima ætate mortuum, uidetur dißentire Ioãni Apocalyp. 13. Agnus qui occisus est ab origine mundi. IOANNES dicit Christum ab origine mundi præfiguratum occidi: quæ figura à principio mundi in Abele occiso & immolato fuit.

PAVLVS dicens, Non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia, exprimit sacrum illud expiasse peccatum: tamen sequenti cap. ait, impossibile est sanguine taurorum aut hircorum peccata auferri. HOMO in ueteri lege gemitu & dolore cordis ex fide consequebatur ueniam. Et quòd sacrificium faceret, id erat in testimonium peccati. At non idem in nostro uero & uiuo sacrificio IESV Christi, in quo iustificationem consequimur.

PVGNARE uidetur hic locus, In secundo autem semel in anno solus Pontifex intrabat: huic loco qui scribitur Exodi 30. Et adolebit incẽsum super eo Aaron, suaue fragrans mane, quando componit lucernas, incendet illud, & quando collocat eas ad uesperum uret thymiama compositionis alterius. Ex quo manifestum est Pontificẽ non solùm semel in anno intrasse sanctum sanctorũ. RESPONDET Theophylactus, Cum sanguine semel Aaron, bis uerò cum incẽso sancta sanctorum ingrediebatur. Aut, non dicit Paulus simpliciter quòd semel introibat, sed semel cum sanguine. Quoniam & frequens erat ingressus ipsi Aaron sine sanguine, id est, immolatione uictimæ.

PAVLVS pronuntians hoc cap. Statutum est omnibus hominibus semel mori: aduersatur sibi 1. ad Thessal. 4. dicenti, Deinde nos qui uiuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Domino erimus.

RESPONDEO, Eorum qui residui erunt, in quorum nomine & persona loquitur Paulus, tam momentanea uidebitur & erit mors, ut mortem illam subeuntes, quasi soporem se passos existiment, ac propterea sese tanquam uiuos obuiam Domino dabunt, non percipientes tam subitam & breuem mortem.

DICTIO.

Propitiatoriũ. PROPITIATORIVM Theophylactus fuisse putat operculum Arcæ. Oecumenius autem asserit, uelut aureã mensam quadrangularem Arcæ superpositam, quæ propitiatorium dicebatur, quòd inde responsa daret Deus. Atque ex deductione Exodi id manifestum est, non quòd propitiatorium ipsam Arcam contingeret, sed eminentius, perpendiculariter tamen, super Arcam collocaretur.

Thuribulum. THVRIBVLVM, uas in quo thus adoletur.

VRNA

VRNA uas aquarium ad hauriendam aquam.

OPERA mortua sunt ea, quibus tum uentri, tum idolis & huiusmodi seruitur. Non solum sunt mortua, quia sunt à uita perpetua aliena, sed quia cùm hæc exercentur abominanda redduntur. Et fallacia quidem, quia nos ubi illexerunt, capiant, & uideantur suauia, cùm minus sint. Opera mortua

TESTAMENTVM est uoluntatis nostræ legitima deliberatio eorum, quæ post uitam fieri instituimus. Hebræis sonat Berith, id est, pactum siue fœdus. Testamentum.

COCCINEA siue potius coccina lana à cocco adhibetur tingendæ purpuræ. Coccinea.

PER amplius, duæ sunt dictiones, id est, per id quod amplius siue maius est.

PROPALARE, est manifestare, in longum crescere. hinc propatulum, latè patens & apertum. Propalare.

TABERNACVLVM scriptura uocat in similitudinem eorum qui in tabernaculis habitãt, terrenam hanc habitationem, autore Basilio magno, in Psal. 14. Item tabernaculum testimonij sic uocatum est, quòd illhuc conueniret cœtus Israël ad adorandum & sacrificandum. Dicitur & protectio, ut in illo Psalmo, Dominus protexit me in abscondito tabernaculi sui. Vocatur ciuitas munita Psal. 30. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Dicitur ecclesia illa triumphans Psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Tabernaculũ.

Non hostia legalis, sed mors Christi, aufert peccatum. CAP. X.

VMbram enim habens lex, futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter, nunquã potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri, ideò quòd nullam haberent ultrà conscientiam peccati, cultores semel mundati. sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata & pro peccato, nõ tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri scriptũ est de me: ut faciam Deus uoluntatem tuam. Superius dicẽs, Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce uenio ut faciam Deus uoluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. In qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis IESV Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nõ possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in

Lex non sanctificat. Leuit. 16. c

Cultores semel] uel, qui sacrificassent, ac semel purgati essent.

Venio.] uel, adsum.

Sacrificia omnia reijciuntur præter solũ Christum. Psal. 39. b Psal. 1.

Psal.109.a
1.Corint.15.d
Oblatio Christi sola pro peccatis.
Hieremiæ 1.f
Suprà 8.e

dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos & spiritus sanctus. Postquã enim dixit, Hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus, Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas: & peccatorum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi: quam initiauit nobis uiam nouam & uiuentem per uelamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum uero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala: & abluti corpus aqua munda: teneamus spei nostræ cõfessionem indeclinabilem. fidelis enim est qui repromisit, & consyderemus inuicem in prouocationem charitatis & bonorũ operum: non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed cõsolantes, & tantò magis quantò uideritis appropinquantem diem. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quę consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi: sine ulla miseratione, duobus uel tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi uindictam: & ego retribuam. Et iterum, Iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. Rememoramini autem pristinos dies: in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum. & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter cõuersantium effecti. Nam & uinctis compassi estis: & rapinam bonorum uestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes uos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam uestram: quæ magnam habet remunerationẽ.

Accedendum ad Christum in fide.
Charitas. Opera.
Suprà 6.a
Deute.17.b
Matth.18.b
Ioan.8.c
2.Corint.13.a
Deute.32.e
Roma.12.d
Afflictiones quas sustinuerunt Iudęi propter Christum.

Cõsummauit] perfectos effecit
Testabor ad] uel, condã erga
Fiduciã in introitu sanctorũ in sanguine] libertatẽ adeundi in sancta per sanguinem
Quã initiauit nobis] ea uia quã dedicauit nobis recentẽ
Plenitudine] certitudine
A conscientia] uel, à depulsa conscientia
Indeclinabilem.] nõ uacillantem.
Consolantes] adhortãtes inuicem,
Æmulatio,] uehementia,
Mihi uindictam:] mihi uindicta: id est, meum est ulcisci:
Et in altero] partim
In altero] partim
Vinctis compassi] afflictionũ quæ ex uinculis meis contigerunt, participes fuistis.

Patientia

Patientia enim uobis necessaria est: ut uoluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum quantum, qui uenturus est ueniet, & non tardabit. Iustus autem meus ex fide uiuit. quod si subtraxerit se: non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem: sed fidei in acquisitionem animæ.

Patientia.
Viuit.] uicturus est.
Subtractionis filij] qui subducamus nos
Fidei] ad fidem pertinemus
Abac.2.a
Rom.1.b
Galat.3.b

Vmbram enim habens lex. *Hactenus docuit fructus ex Christi sacrificio, quos nunc ostendit non posse præstare Leuiticum sacerdotium: ut aperiens quàm uanũ sit & inutile Aaronicum illud sacrificium, auocet & euellat Hebræorum corda tam altis ceremoniarum & sacrificiorum legis fixa radicibus, & pijs penitus inserat Christi pectoribus. Sensus est: Lex habet umbram, id est, adumbrationem quandam bonorum, quæ ante Christi aduentum futura erant, nunc uerò præsentia. Nõ ipsam imaginem rerum, id est, non ipsam substistentiam & ueritatem, puta remissionem peccatorum, conscientiæ pacationem & fœderis initi cum Deo certitudinem. Aut imaginem ipsarum rerum, nimirum immolationis ueri agni & remissionis peccatorum.*

Non ipsam imaginem. *Ipsam posuit pro ueram & expressam, quæ rem totam, ut est, repræsentet. Vnde & Christum imaginem Dei uocat. At umbra nihil repræsentat præter extrema quædam corporis lineamenta.*

Vmbra.

Per singulos annos. *Intelligitur hic locus de sacrificio expiationis, quod decima die mensis septimi à summo Pontifice offerebatur. Nec enim (ait Chrysostomus) in lege, uera erat peccatorum remissio, sed corporales quædam mundationes illius umbræ & figuræ: neque uerum sacrificium, quod omnia semel exhaurit peccata, sed illius tantum umbra, & carnales quædam uictimæ. Quid ergo nos? Non'ne per singulos dies offerimus? Respondet Beatus Ambrosius in hunc locum. Offerimus quidem: sed ad recordationem facientis mortis eius, & una est hæc hostia, non multæ. Quomodo una est, & non multæ? Quia semel oblata est in Sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est, ad quem semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie, sed semper idipsum. Proinde unum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt, nequaquam. Sed unus ubique est Christus, & hic plenus existens, & illhic plenum unum corpus. Sicut enim qui ubiq; offert, unum corpus est, & non multa corpora: ita etiam & unum sacrificium. Pontifex enim noster ille est, qui hostiam inundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit, ei quod factum est. Hoc enim (inquit) facite in mei commemorationem. Non aliud sacrificium sicut Pontifex, sed ipsum semper offerimus. Magis autem recordationem sacrificij operamur. Hactenus uerba Ambrosij.*

Expiationis sacrificium.

Nunquam potest accedentes. *Perspicuum est hostias ueteris testamenti ad perfectionem uolentibus afferendam, fuisse infirmiores. Quòd post primam oblationem, & secunda deinceps & alia, item atq; alia sequebatur. Nam & inter medelas ea dicitur & ualida esse & efficacior, quæ semel uel imposita uel hausta sanat & curat. Quod uerò sæpius & uarie immutatum imponitur, uim medendi nullam habere arguitur, nec prodest languenti. Ex ijs dicendum est credentes in Christum perfectos fieri. Hanc perfectionem lege nemo assequitur.*

Hostiæ legis infirmæ ad expiationem peccati.
Simile.

Sed

Sed in ipsis cõmemoratio. Nil aliud, inquit, efficiunt hostiæ, nisi quòd peccata cõmemorant & arguunt. Non enim commissorum præstant remissionem, sed planè ostendunt oblatione assidua nõ esse populi peccata soluta. Nã si soluta iam fuissent, quid ultrà immolandum fuisset? Sed per singulos annos hostiæ repetebantur, ad insinuãdum in genere humano continuũ morbum. Nec secus quàm cùm una semper languẽti apponitur medicatio, argumento est hunc ipsum morbo eodem assiduo laborare.

Ingressus filij Dei in mundũ.

Ideo ingrediens mundum. Legis ceremoniarum abolitionem probat IESVS Christus filius Dei ingrediens mundum, id est, factus homo, inquit, per os Dauid, Hostiam & oblationem noluisti, ô pater, non sunt tibi gratæ & placitæ legis oblationes. Quas quia noluisti: aptasti mihi corpus, id est, destinasti corpus hoc meum consummatam perfectamq; hostiam. Aut, hostiã & oblationem noluisti, sed corpus, id est, ueritatem, & illud cuius illa sacrificia tantũ umbra erant, aptasti mihi. Figuram amplius noluisti, ueniente tempore, in quo corpus, id est, res ipsa & ueritas propalanda erat. Ad hunc modum loquentes opponit corpus ipsi umbræ.

Tunt dixi, ecce uenio. Ecce adsum. Vox est seipsum dedentis atq; offerentis ad plenum obsequium Deo.

Caput libri.

In capite libri scriptum est de me. Librum dicit uetus testamentum. In capite, id est, in summa libri scilicet, in lege ipsa. Perinde, ac si dicat in omni scriptura de meo aduentu facta est mentio, & quemadmodum ipse essem offerendus pro mundo. Aut librum, psalmos dicit, in quorum capite, id est, in primo Psalmo fit mẽtio de Messia impleturo uoluntatem patris. hic habetur, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Illhic autem, Sed in lege Domini uoluntas eius. Patris uoluntas huiusmodi est, ut filius immoletur pro mundo, & homines iustificentur, non in sacrificijs legis, sed in morte IESV Christi. In capite libri scriptum est de me, legendum est per parenthesim.

Dei patris uoluntas.

Aufert primum ut sequens. Aufert primum, id est, sacrificia & immolationes. Statuit & confirmat secundum, quod est patris uoluntas, id est, Christi corporis per mortem & crucem immolatio. Eiciuntur itaq; priora illa, ut confirmetur, quæ fit per Christi mortem oblatio, quam uoluit quidem & acceptam habuit Deus pater.

Christus semel moriens oblatus.

Per oblationem corporis Christi IESV semel. Semel dicit, non bis. Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, Rom. 6. Ob id non iteratur in sacramento altaris (in quo est uerum IESV Christi corpus) sacrificium mortis & mors ipsa, sed memoria mortis & effusionis sanguinis Christi iteratur. Ait enim præceptor & Dominus noster IESVS Christus, hoc facite in meam commemorationem. Nõ dixit, Hoc dicite. sed, Hoc facite. Nempe mandat fieri quod ipse fecit, scilicet accipere panem, gratias agere, consecrare, sumere, ac dare & distribuere. In meam cõmemorationem. Passio enim mea, qua pro uobis corpus meum datur, seu eius efficacia transibit ad minores uestros, propterea in huius meæ mortis cõmemorationem & in memoriã tanti beneficij quod uobis confero, facite hoc sacrificium, id est, consecrate panem, & corpus hoc meum sumite. Hac hostia sola, qua sanguinem fudit semel, & eandem patri obtulit moriens, consummauit & perfecit eos, qui iustificantur, in sempiternum ualitura. Ideo & iteratione illius mortis non est opus, cùm illa pro omnibus sit satis. Aliud est iterare passionem Christi, & aliud iterare cõmemorationem & applicationem passionis Christi. hoc unum uelim obserues, Sacramenta omnia noui testamenti, nihil aliud esse, q uàm quædam signa & applicationes passionis Christi, ad suscipientes.

Sacramẽta nouæ legis uim a morte Christi habent.

Sacramentum altaris.

Christi corpus in sacramento & sacrificio missæ.

Memoria passionis & mortis Christi in missa.

Donec ponantur inimici eius. Sedet in dextera expectans donec ponantur

tur inimici & Iudæi & infideles reprobi nascituri sub pedibus eius. His uerbis Hebræos Ierosolymis & alibi afflictos consolatur, ac si dicat, Nolite animos despondere. Futurũ enim est, ut quotquot uobis aduersantur superbientes, non modò subijciantur, sed, quod grauius est, & pedibus conculcentur. Aut, hæc est dilatio & expectatio quoad plenitudo gentium intrauerit, & completus erit electorũ numerus. Tunc omnes inimici eius, id est, dæmones & increduli subijcientur illi, quando iam in illis seducere electos, si fieri potest, cessabunt, & illis non aduersabuntur.

Sanctificatos. Id est, eos qui sanctificantur. Vide infrà 1. conciliationem.

Contestatur autem. Quidnam ille Spiritus sanctus testificatur? Quia uel unica oblatione à peccatorum iugo & morte nos exemit, & ita, ut secunda oblatio non sit necessaria.

Vbi autem horum remissio. Fieri non potest, peccati remissionem factam esse, & supersesse sacrificium, per quod, peccatum remittendum est. Si remissio peccati est, oportet ut sit plenaria remissio, iuxta uaticinium, quo dictum est, Peccatorum non amplius recordabor. Ergo si plenaria est remissio, necesse est ut & plenum fuerit sacrificium Christi, atq; in perpetuum ualiturũ, quo peccata abolentur, & fœdus stabilitur. Quod non præstat Leuticum sacrificium, sed ineficax est ad peccatorum remissionem.

Sacerdotem magnum. Id est, Christum.

Domus Dei.

Super domum Dei. Id est, fideles, qui sunt templum & domus Dei: ut 2. cap. suprà notatum est, uel domum Dei, id est, cœlum. illud nanq; sancta appellat, & in eo suo perfungi munere Pontificem Christum dicit, pro nobisq; intercedere.

Accedamus. Ad quem? ad cœlum, ubi noster Pontifex residet.

Cum uero corde. Hoc est, quod careat dolo, & sic sine hæsitatione, & de futuris indubium, ne in desperationem cadat.

In plenitudine fidei. Certitudinem fiduciæ dicit in omnibus, quæ pro salute nostra explicita sunt.

Plenitudo fidei.

Aspersi corda. Cùm de fide disseruisset, ostendit nunc non fidem solùm, sed uitam etiam uirtute excultam requiri. Atqui Iudæi corpore & carne aspergebãtur, nos corde & animo, à conscientia mala purgati, ita ut nil nobis simus nequitiæ conscij.

Teneamus spei nostræ. Confessionem spei nostræ, hoc est, ueram illam religionẽ de Christo, qui est spes nostra, baptismus fideliũ & expiatio. 1. Petri 3. Teneamus hanc confessionem indeclinabilem: id est, firmam, immobilem, & non uacillantem huc atq; illhuc: hoc est, in ea usq; ad finem perseueremus. Nec est quod de promissis eius dubitemus si perseuerauerimus. Fidelis enim est.

Fidelis enim est: Id est, ueridicus est Christus, & certiora sunt eius promissa. Ait nanq; Ioan. 12. Vbi sum ego, illhic & meus erit minister. nõ solùm promisit, sed & repromisit. quasi dicat, frequenter repetiuit promissiones.

Consyderemus inuicem. Quod perfectius est charitatem adiecit. Ait itaq;, Diligenter aduertamus ut uirtute præditos pernoscamus, ut hos imitemur, nõ tanquàm liuore capti, sed laudabili quadã æmulatione & ipsi illorũ operibus prouocati, faciamus. Mutuam exerceamus charitatem, Si quis ex fratribus lassescat, alius exhortetur: si quis erret, alius in uiam reducat: si quis lapsus sit, alius erigat: si quis infirmetur, alius sanet: & quicquid quoquo modo charitas exigere potest, exequi studeamus.

Collectionem nostram. Collectionem uocat aggregationem & cœtum fidelium. Hortatur ut congregationi fideliũ studiosè adsint, conuentus pios non fugiant, neque fratres fastidiant. In his enim defectus charitatis & schisma elucet. Hæc scribit

ut pertinaciam Hebræorum auferat. Erant reuera patrijs addicti ceremonijs Hebræi, qui Ecclesiam unà cum Euãgelica ueritate malebant deserere, quàm quicquam à concepta opinione cedere. Hanc exhortationem ut cordibus illorum efficacius imprimat, appropinquantis diei, id est, extremi iudicij meminit. Quò autem magis hic dies appropinquat, hòc promptius amplecti Christum, & pijs operibus incumbere debetis. Nam eo die rationem omnium factorum dare oportebit. Diem appropinquantem dicit, non solùm extremum illud iudicium, sed etiam horam mortis cuiusuis hominis.

Voluntariè enim peccantibus. Referendum est hoc istud ad id quod præcessit, Teneamus spei nostræ confessionẽ indeclinabilem. Nempe post agnitã Christi ueritatem, si uolũtariè peccemmus, id est, de industria peccatorũ pœnitere nolimus. Aut si usq; ad finẽ in peccatis permanemus & immorimur, uel si ex certa malitia agnitã ueritatẽ impugnamus. Quod uidetur esse peccatũ ad mortẽ, de quo beatus Ioãnes in Canonica, iam nõ relinquitur hostia pro illorum ablutione, rursum crucifixio Christi. Vel nõ relinquitur mors Christi per Baptismũ rursus applicãda. Hoc autem dixit Paulus, quia dixerat sufficientẽ esse Christi hostiam, hominũ expiandis peccatis: ne inde fiduciam peccãdi sumerent, sperãtes rursum pro suis peccatis oblatũ iri Christũ. Aut rursus per baptismũ sese ad nouã uitam immutandos. Hic locus nisi de baptismo intelligatur, palã adimere uidetur spem Christianis relapsis in peccatũ. Propterea uidẽtur mihi qui imitandi sint Chrysostomus & Theophylactus locũ hunc de baptismo non repetendo, interpretantes. Quidã aiũt Paulũ hoc loco loquutũ fuisse hyperbolicè, quò magis deterreat eos à peccato. Quomodo frequẽter patres filios deterrentes adclamant, hæreditate se priuaturos si huiusmodi facinus cõmiserint: & tamẽ id nõ faciunt patres, si filios ad resipiscentiã paratos intellexerint. Est hyperbole figura, quæ fit cùm dictio excedens fidem, ponitur augendi uel minuendi gratia. Vide adnotata in 6. cap. suprà.

Peccatum finalis impœnitentiæ non expiatur.

Baptismus non repetendus.

Irritam quis faciens. Contemptorum Christi & doctrinæ Euangelicæ mulctam explicat, argumẽto à minori & comparatis petito. Si Mosen ministrum contempsisse impune nemini licuit, multò minus ipsum Christum Dominum.

Conculcauerit. Id est, contempserit. Nam quemadmodum nullam habemus eorum quæ pedibus suppressimus rationem, sic & Christum nihili facimus, cùm ad peccandum prouehimur.

Conculcare filium Dei.

Et sanguinem testamenti. Id est, tanquàm inquinatũ hunc sanguinẽ Christi ducat & aspernetur. Testamenti, dicit, quia per filiũ Dei confirmatum est testamẽtum, qui nobis concessit hæreditatẽ. Hæc dicuntur de mysterij ipsius perceptione. Cùm enim immaculati corporis illius & sanguinis participes fieri uolumus, si nostram carnẽ seu nos ipsos qui hoc IESV Christi sanctissimum corpus & sanguinem in sacramẽto recipimus, sic cœno impuritatis & luxus & Veneris sordibus inquinamus, non'ne Dei filium conculcamus? Huc pertinet quod scribitur 1. Corinth. 11. Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini. Ista à Paulo ex uehementia pronuntiantur.

Sanguis testamenti.

Sacramentũ altaris summa ueneratione recipiendum.

Iudicabit Dominus. Ac si diceret: Non solùm Gentes & Ethnici Deum nescientes iudicabuntur, sed & populus ipsius: nimirũ an uera fide uel ficta egerit. Non enim est personarũ acceptor Deus. Horrẽdum est incidere in manus Dei uiuentis. Quia prolata sententia nulla est redemptio. Nihil prosunt damnatis preces & munera, quæ tamen plurimum roboris habent apud quosdam humanos Iudices corruptissimos. Deus incorruptibilis & æquissimus est Iudex, peccatoribus & obstinatis horribilis, mitissimus pijs & pacem desiderantibus.

In altero quidem opprobrijs. Est sanè magni & excelsi animi ferre conuitia, sicuti & propheta ipse hortatur Psal. 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Et Psal. 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. Et Psal. 38. Opprobrium insipienti dedisti me. Quòd si in propatulo & in omnium cõspectu inferatur iniuria, eò maior & uirilis requiritur ad tolerantiam animus. Quod sanè hoc significat Paulus, cùm spectaculum (inquit) estis effecti. Contemplare itaq; quàm essent hi magno & præstanti ingenio, ad quos Paulus scribit, qui ob Christum & gloriam simul & opes contempserint. Contumelijs deinde affecti, quum spectaculo & derisui essent, nec secus quàm qui in theatro exibilantur & illuduntur, uel à tenuioribus & abiectis illatas iniurias tolerabant. Illuminatos hic intelligit sicut supra cap. 6. baptizatos & spiritum Dei consequutos.

In altero autem socij. Commendat illos ab ardore charitatis. Qui tantus in illis fuit, ut quicquid alteri accidebat, quisq; suum hoc putaret. Socios taliter conuersantium dicit, hoc est, socios afflictionum. Dum enim afflictarentur, conspiciebantur se mutuò consolari, & animare ad quamlibet dura, pro nomine Christi patienter ferenda.

Nam & uinctis compassi. Videtur dicere Paulus, & uinculis meis cõpassi estis. Nimirum Hierosolymis captus, quæ essent uiscera misericordiarum in se, quantaq; esset fides eorum in Christum, agnouit.

Patientia enim uobis necessaria est. Non solùm intelligit sapientiam, qua toleramus mala, sed etiam patientem expectationem, cùm spe præmij duramus in malis, & nosipsos rebus melioribus seruamus.

Adhuc enim modicum. In Græcis est geminata dictio significans, adhuc enim pusillum aut perquàm exiguum tempus. Nam Græci sermonis ὅσον ὅσον conduplicatio, epitasim habet breuitatis temporis. Idq; iuxta proprietatem Hebræi sermonis, qui congeminatione uerbi eiusdem uehementiam explicant. Quod genus est illud Ieremiæ 24. Quid tu uides Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas ualde: & malas, malas ualde, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ. Rursum apud eundem cap. 7. Nolite cõfidere in uerbis mendacij dicentes, Templum Domini, tẽplum Domini est. Itidem Isaias 10. Adhuc enim paululum modicumq; & consummabitur indignatio mea. Ita & hoc loco adhuc modicum aliquantulum, uehementiam exprimit, ad insinuandum non longo, sed paruo admodum tempore tolerantiam illorum opprobriorum duraturam: quia qui remuneraturus est nõ tardabit post tribulationes consolari mœstos, & pro nomine IESV sic afflictos. Locus hic desumptus est ex Abacuc propheta 2. cap. Cui cordi fuerit de hoc loco Abac. 2. copiosius edoceri, legat Hieronymum in Abacuc.

In acquisitionem animæ. Id est, ut acquiramus animas.

CONCILIATIO.

Prima.

HIC locus, Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, pugnare uidetur cum eo qui est ad Colos. 1 Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. RESPONDEO, Christus IESVS unica corporis sui oblatione sanctificauit omnes in se credentes in perpetuum. Nobis natus & datus, Esaiæ 9. ut quotquot reciperent eum, acciperent potestatem filios Dei fieri, Ioan. 1. Sic enim Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam, Ioan. 3. Sunt & alia testimonia, quæ unicum Christum saluatorem & iustificatorem nostrum ostendunt & docent. Ipse enim solus dilectus patri, in quo sibi cõplacuit. Nulla mors grata patri pro satisfactione

Christus solus pro omnibus satisfecit.

Paulum adimplere quæ desunt passionũ, Christi, quomodo intelligendum.

ctione generis humani, nisi filij sui geniti, in quo solo dilecto, dilectos nos sibi reddidit, Ephes. 1. Nõ igitur passionibus & tolerantijs martyrũ & sanctorum omniũ redempti sumus, sed pretioso sanguine agni immaculati, hoc est, IESV Christi, qui uerus est agnus. Quod autem Paulus ait sese adimplere quæ desunt passionũ Christi: hoc intelligito de mẽbris Christi. Paulus enim ait, Quia in ipso Christus patiebatur, ut adimpleã, inquit, quæ desunt passionũ seu pressurarum Christi in carne mea. Sed cui desunt? Imò ubi desunt in carne mea. Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine filio Dei nato de uirgine Maria? Passus est enim, quicquid pati deberet, ex sua uoluntate, nõ ex peccati necessitate. Et reuera omnia passus est. In cruce enim positus accepit acetũ ultimum, & ait, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum. Quid est consummatum est? Iam de mensura passionũ nihil mihi deest. Omnia, quæ de me prædicta sunt, completa sunt. Ergo impletæ erant omnes passiones, sed in capite Christo. Agnouerat Paulus Christianos affligẽdos & trucidãdos pro nomine IESV. Deinde Christianorum afflictiones, afflictiones esse Christi tanquam in membris suis, iuxta illud Zachariæ 2. Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. &, Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Matt. 25. Quando etiã sibi persequutori dixerat uox Dei, Saule Saule, quid me persequeris? cùm tamen ecclesiam persequeretur. Restabãt igitur passiones aliquæ nõdum toleratæ & passæ à capite Christo, qui tamen eas passurus est in membris suis, id est, in sanctis. Omnes enim qui piè uiuere uolunt in Christo persequutionem patientur, 2. ad Timot. 3. Et Christus dicebat, Si me persecuti sunt, & uos persequẽtur. In his ergo membris cùm esset Apostolus, dixit, Vt adimpleã quæ desunt passionũ Christi in carne mea. Pressurarũ, inquam, non mearũ, sed Christi in carne, non iam Christi, sed mea. Patitur (inquit) Christus adhuc pressurã, non in carne sua, in qua ascendit in cœlum, sed adhuc in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Christus, inquit, pressuram patitur in carne mea. Viuo enim iam nõ ego, uiuit uerò in me Christus. Nisi enim Christus in mẽbris suis, hoc est, fidelibus suis, pressurã ipse pateretur, Saulus in terra Christũ in cœlo sedentẽ non persequeretur. Aut si mauis dicere, Ait Paulus se nunc adimplere quod deerat passioni Christi, id est, pati quod nondũ passum erat, & cursum suũ consummare, supplere quod deerat, quod sibi impositũ fuerat, ad quod ipse ordinatus fuisset, affligi, pro ecclesia, quæ est corpus Christi, 2. Timoth. 2. Omnia suffero propter electos, ut & ipsi salutẽ consequãtur, quæ est in Christo IESV cũ gloria æterna. In carne mea (inquit) ego suppleo quod deerat, ad quod me uocauit Dominus, qui crucem ecclesiæ suæ imposuit, cuius & ego particeps factus, consummo uocationẽ meã. Non autẽ dicit, ego suppleo redemptionem generis humani: tantũ inquit se passionem adimplere, id est, pati pro fratribus, ut confirmentur in Euãgelio. Aliâs enim errorẽ suggereret. Cùm inquit 1. Corinth. 1. Nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati fuistis? quasi dicat, non. Aut cùm Paulus 2. Corinth. 5. dicat, Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. In hunc sensum capi potest hæc autoritas ad Hebræos, adimpleo quæ desunt passionũ Christi. Quia Christus afflictus & patiens crucem, ob oculos uestros non offertur, ne animo exciditis. Ego pro eo (sicut & cæteri Apostoli) legatione fungens tolero afflictiones & crucem eius tanquã uisus supplere, quod præsens corpore afflicto ageret. Et quod his uestris oculis non uidetis & intuimini in illo, qui est ad dexterã Dei patris, ad quam ascendit per passionem & mortem suã. Videte pressuras & passiones in me eius uices gerente: in quo, tanquã in mẽbro sui corporis, quod est ecclesia, patitur pro uobis, ne deficiatis à tam sancto instituto uestro.

Nec

Consummatio per Christum.

Afflictiones piorum sunt Christi.

Nec secus se habet hîc Apostolus, q̃ faceret miles quispiã præfecti loco relictus, lõgius & peregrè proficiscẽtis: qui instantibus inimicis, uicem absentis gerens, creditam sibi phalangẽ pugnãdo acrius & tuẽdo, & principis locũ seruet, & uulnera quæ uel principi inficta fuisset, ipse ultro excipiat. Verbũ Græcũ correspõdẽs huic uerbo suppleo aut adimpleo, seu redimpleo, cõpositũ est, ex ἀντὶ, quod significat uicẽ, quũ quis alterius loco facit aliquid, (quod satis quadrat posteriori interpretationi) & ἀνὰ quod apud Latinos aliquoties ualet re, quasi redipleo uice Christi. Ambrosius uidetur uoluisse sensum explicare Pauli, cùm ait, Suppleo reliquias pressurarum. Vt accipiamus passionem Christi nõ fuisse diminutam ad salutem hominum, sed unam esse passionẽ Christi & martyrum, hoc est, capitis & membrorum: ut satis ex præcedentibus notum est. Simile.

QVID hic Apostolus dicit, horrendum est incidere in manus Dei uiuentis, Cùm Dauid dicat 2. Reg. 28. Melius est incidere in manus Domini, eò quòd multæ sint miserationes eius, quàm in manus hominum, ut qui nesciant misereri. Respõdeo. Apostolus respicit futuram uitam, in qua prolata iam sententia peccatorum nulla est uenia: Dauid uerò præsentem uitam, in qua cuiq; pœnitenti ex animo in promptu est uenia. Esto interim Dominus puniat: hoc tamẽ potius remedium est peccatorum, quàm pœna propter admissa censenda. Secunda concliatio.

DICTIO.

INITIARE est innouare, siue dedicare. Initiare.

INDECLINABILIS non uacillans, neq; huc neque illhuc nutans, hoc est firmus & immotus. Indeclinabilis.

COLLECTIO hoc loco pro aggregatione, quasi postea accesserint aut accessuri sint. Collectio.

HOLOCAVSTA hostiæ erant quæ totæ adolebantur & offerebantur ferè ad merendum Dei fauorem & beneuolentiam in rebus seriis & periculosis. De his lege Leuit. 1. & 6. cap. Holocausta.

VMBRA Hebræi pro fouendo, protegendo, defendendo perpetuò utuntur. Vel pro confugio familiariter capiunt, sub quo quis protegitur: ut Esa. 31. & in Dauide, Sub umbra alarũ tuarum protege me. Porrò sicut umbra sequitur ex sua natura corpus, illoq; plerunque apparet esse maior, cùm prorsus nihil sit: ita pericula huius uitæ conduplicant metum. Hinc factum, ut umbram pro figura rei accipiamus: ut Psal. 22. Si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala, &c. Vmbra.

Fidei magnifica proponuntur exempla. CAP. XI.

Sperandarum] quæ sperantur

Aptata] perfecta

Plurimam] uberiorem

EST autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentiũ. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide, intelligimus aptata esse secula uerbo Dei: ut ex inuisibilibus uisibilia fierent. Fide, plurimam hostiã Abel, quàm Cain, obtulit Deo: per quam testimonium cõsecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide, Henoch translatus est ne uideret mortem, & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile Fides. Genes. 1. a Genes. 4. a Matth. 23. d Genes. 5. e Eccles. 44. c

sibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide, Noe responso accepto de his quæ adhuc non uidebantur: metuens, aptauit Arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum; & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. Fide, qui uocatur Abraham obediuit in locum exire quem acceptu-
Ciuitas Dei. rus erat in hæreditatem: & exijt, nescies quò iret. Fide, demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitãdo cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamẽta habentem ciuitatem; cuius artifex & conditor, Deus.
Genes. 18.a Fide, & ipsa Sara sterilis uirtutem in conceptione semi-
nis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fide-
Genes. 17.e lem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tanquam sydera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus; sed à longe eas aspicientes & salutantes, & cõfitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hęc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt: habebant utique tempus reuertendi. nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo nõ confunditur Deus uocari Deus eorum.
Genes. 22.a Ecclc. 44.d parauit enim illis ciuitatẽ. Fide, obtulit Abraham Isaac cùm tentaretur: & unigenitum offerebat in quo susceperat repromissiones, ad quem dictũ est, In Isaac uoca-
Genes. 21.b Roma. 9.b bitur tibi semen. arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. unde eum & in parabolam accepit. Fi-
Genes. 27.e de, & de futuris benedixit Isaac, Iacob, & Esau. Fide,
Genes. 48. e & 49.a Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium uirgę eius. Fide, Ioseph moriens, de
Genes. 50.d profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandauit. Fide, Moyses natus, occultatus est
Exod. 2.a mensibus tribus à parentibus suis: eò quòd uidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligẽs affligi cũ populo Dei q̃ tẽporalis peccati habere iucunditatẽ, maiores diuitias æstimans, thesauro Aegyptiorũ, improperiũ Christi aspi-

Responso acce pto] oraculo admonitus

Institutus.] factus.

Virtutẽ in conceptione semi-nis] uim ad cõcipiendum ac retinendum semen
Et hoc emortuo] eoq̃ iam annis effœto

Arbitrãs] cum illud secum per pendisset
Parabolam accepit.] similitu dinẽ adduxit.

Profectione] exitu

Temporalis peccati habere iucũditatem,] temporariã habere peccati fruitionem.

ciebat enim in remunerationẽ. Fide, reliquit Aegyptũ,
Animositatẽ] ferociam
Tanquã uidẽs sustinuit.] perinde quasi uideret, tolerauit.
Primitiua,] primogenita,
nõ ueritus animositatẽ regis, inuisibilẽ enim tanquam uidẽs sustinuit. Fide, celebrauit pascha & sanguinis ef-
Exodi 12.b fusionem: ne qui uastabat primitiua, tangeret eos. Fide,
Exodi 14.a transierunt mare rubrum tanq̃ per aridam terrã: quod experti Aegyptij, deuorati sunt. Fide, muri Iericho cor-
Iosue 6.c ruerũt, circuitu dierũ septem. Fide, Rahab meretrix nõ
Iosue 2.a perijt cum incredulis excipiẽs exploratores cum pace. Et quid adhuc dicã? Deficiet enim me tẽpus enarrãtem de Gedeon, Barac, Sãson, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis: qui per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerũt ora leo-
Cõualuerũt de infir.] potentes redditi sunt ex imbecillitate,
Castra uerterunt] incursiones in fugã uerterunt
num, extinxerũt impetũ ignis, effugerũt aciem gladij, cõualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorũ, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt, nõ susci-
Melotis. Iouillis pellibus,
pientes redemptionẽ, ut meliorẽ inuenirent resurrectionem. Alij uerò ludibria & uerbera experti, insuper & uincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tẽtati sunt, in occisiõe gladij mortui sunt, circuierũt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, angustiati, afflicti: qbus dignus nõ erat mũdus. In solitudinibus errãtes: in mõtibus & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi oẽs testimonio fidei ꝓbati, nõ acceperũt repromissionẽ, Deo ꝓ nobis melius aliquid prouidẽte, ut non sine nobis consummaretur.

Fides est. *Dixit superiore capite iustum ex fide uiuere. Nunc describit fidem, cuius nos esse filios, paulò antè dixit, Nos uerò non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.* Filij fidei in acquisitionẽ animæ.

Sperandarum rerum. *Sperandarum participium futuri temporis pro præsenti, id est, earum rerum quæ sperantur. Est reuera fides certa possessio earum rerum, quæ non uidentur, & quas speramus.* Fides rerũ quæ sperantur.

Argumentum. *Id est, demonstratio & manifestatio quædã incertarum rerum, nec apparentiũ: hoc est, in conspectum non uenientium. Sed fides facit, ut res eiusmodi mente spectemus tanquam præsentes.* ἔλεγχος *enim argumentum est, non quidem tale quale finiuit Fabius: Argumentum esse rem, quæ alterius probationi adhibeatur: Sed argumentum, certum iudicium est, & cognitio certa, & adeò certa, ut de cogniti natura nihil prorsus dubitemus: quippe ipsa ueritate sic conuicti, ut nihil supersit quod impediat.* ἐλέγχειν *enim est conuincere, & causam aliquam sic protrahere, ut reo nihil supersit quo se tueatur. Ad hunc sensum usus est hoc uerbo Christus de spiritu sancto loquens, quod Latinus uertit, Arguet mundum, hoc est, protrahet in lucem & conuincet. Et de semetipso dicit Ioan. 8. Quis ex uobis arguet me de peccato? Id est, in causam protrahet, & conuincet?* Argumentum

Verbo Dei. Ad sensum literæ si respexeris, significat uerbum Dei expressum à Moyse. Dixit Dominus, fiat lux. Dixit Deus, fiat firmamentum, &c. Hoc enim uerbo apparuit sex dies. Quod autem subdit, Vt ex inuisibilibus uisibilia fierent, significat primo quidem die ex non apparentibus creatis cœlo & terra cooperta aquis, facta apparentia creando lucem. Pariter in singulis diebus non apparentia, facta sunt apparentia. Certè ratio humana non docet quomodo Deus crearit mundum ex nihilo.

Sacrificiũ Abel & Cain.

Fide plurimam hostiam. Id est, Abel honoratiorem quàm frater Cain hostiam obtulit. Abel fructum ouium: Cain uerò parum fructus terræ obtulit, aut macram ouem. De quibus hoc distícho ludi solet, Pingue dabo sacrum (ait Abel) non macrum sacrificabo: Sacrificabo macrum (ait Cain) non dabo pingue sacrũ. Ferunt ignem è cœlo demissum subitò absumpsisse hostiam Abel. Vnde Hebræi fatentur eo indicio intellexisse Cain suum sacrificium non fuisse acceptum, quod cœlitus non esset combustum sicut sacrificium Abel, & Abel sibi præfectum & prælatum esse.

Et per illam defunctus. Efficaciam & uictoriam uiuæ fidei ob oculos Apostolus posuit. Celebris enim memoria illius iusti Abelis nobis hodie loquitur atq; ad fidem, patientiamq; cum primis nos cohortari non cessat. Hac fide uiua parauit sibi immortalitatem. mortuus quidem corpore est, sed adhuc loquitur: hoc est, uiuit secundum animã beatus. Quomodo & omnes martyres Dei, qui ueritatis nomine cæsi sunt, apud Deum uiuunt. Huc pertinent uerba Christi dicentis, Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit in eum qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiet à morte in uitam.

Fide Enoch translatus. Docuit fidem uiuam periisse Abeli uitam cum Deo secundum animam & memoriam immortalem: nũc alio exemplo demonstrat fide uiua gloriosam corporũ resurrectionẽ futuram. Totus enim Enoch anima & corpore trãslatus est, totus itaq; seruatus est. Lege historiã Genes. 5. Eccl. 44. Si rogaueris unde factum est quod translatus fuerit? nempe eò quòd placuerit Deo: Sed nunquam illi placuisset, si fide uiua Enoch destitutus fuisset. Ergo hæc translatio fructus est uiuæ fidei.

Fidei gradus.

Accedentem ad Deum. Est quidem fidei gradus, credere esse Deum, sed non satis est, nisi credas & tibi esse Deum, id est, saluatorem. Contrà impius dicit in corde suo, Non est Deus. Huius generis fuerunt Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenensis, Eunerus Tegeates, qui Deos prorsus nullos esse censuerunt. Fuerunt enim sine fide

Inquirere Deũ.

quæ docet & demonstrat Deum. Cùm subdit Paulus, Et inquirentibus se, &c. significat eos, qui optimis uitæ actionibus Deo se gratos exhibere contendunt. Argumentatur Paulus hoc modo, Accedentẽ ad Deum oportet credere. Acceßit Enoch ad Deum: ergo credidit, & remuneratorem habuit.

Responso accepto. Obserua, quemadmodum & Deus responsa det, & spiritus ipse secundum illud quod est de Simeone conscriptum, Et responsum accepit à spiritu, &c. Quo fit ut Deus sit spiritus.

Per quam damnauit mundum. Id est, coarguit homines dignos supplicio, qui exẽplo Noe non sibi consulerent, nihil de diluuio credentes. de his lege 1. Pet. 3. ca.

Metuens. Id est, cauens, siue ueritus.

Abraham uocatus.

Fide qui uocatur Abraham. Id est, uocatus Abraham per fidem, & per fidem obediuit. Siquidem fide promeruit, ut illi nomen augeretur. Non enim illi prius auctum est quàm de eo dictum est, Credidit Abraham, & reputatum est illi ad iustitiã. Theophylactus interpretatur ut uocatus, non faciat ad nominis appellationem, sed ad iussum

iussum Dei. Bis enim uocatus est à Deo, Cùm iuberetur relinquere natalem terram. Rursum cùm uocaretur in montem immolaturus filium. Et iuxta hunc sensum ordinandus est sermo, Abraham cùm uocaretur à Deo, per fidem obediuit.

Tanquam in aliena. Dicit alienam, quia illam pretio accepisset, ubi Saram humaret uxorem. Genes. 23.

Abrahæ aliena terra.

Confitentes quia peregrini. Hoc confitetur Dauid Psal. 38. Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.

Vnde enim & in parabolam. Id est, reduxit illum saluum, sed in parabolã, id est, in similitudinem & typum Christi resurgentis. Paulus his indicat Isaac typum gessisse Christi, qui oblatus pro peccatis nostris tertia die reuixit.

Et adorauit fastigium uirgæ. Hoc signo indicat Paulus fidem Iacob ad regnum Christi penetrasse. Reuera longius prospiciebat Iacob senio confecti fides: cùm exosculans summam uirgam filij Ioseph, ueneraretur Christum omnibus imperaturum, cuius ille delatus ac proditus à fratribus imaginem gesserat.

Quàm temporalis peccati. Id est, quàm temporariam habere peccati fruitionem, quæ breuissima est, nec diu durat, impios concomitari solita. Hoc loco irridet stultitiam mundi, qui turpia honestis & temporaria æternis præferre solet.

Improperium Christi. Vocat Paulus improperium Christi, uitam ærumnis plenam, cõuicijsq; pessimorum hominum obiectam. Hæc opprobria passus est Christus, specimen exhibens suis cultoribus. Si uos mundus odit (dicebat ille) scitote quia me priorem uobis odio habuit. Item, In mundo pressuram habebitis. Paulus ad Timoth. ait, Omnes qui uolunt piè uiuere in Christo, persequutionem patientur.

Regis edictum. Iosephus Antiq. lib. 2. cap. 9. ubi etiam de elegantissima infantuli gratia Moysi multa scribit, refert edictum hoc ideo datum, quia rex intellexerat à propheta quopiam, illo tẽpore oriturum, per quem Israëlitæ exaltandi, Aegyptij uerò affligendi essent, & inde sumpsisse originem tyrannicum illius furorem. Quem Christi temporibus crudeliter Herodes rex imitatus est, Matth. 2. capi. Legito illhic Iosephum, qui non parum lucis huic negotio affert.

Magis eligens. Scriptura habet eum egressum fuisse, ut uideret populi sui ærumnas. Quare ingenuè fatebatur se Hæbræum esse. Et quamuis in aula regis & medijs delicijs ageret: tamẽ fratres sui generis nõ potuit dedignari. Reuera peccato nõ potest carere, nolle simul affligi cum fratribus, & malis illorum compati: ut Amos 6. cap.

Animositatem regis. Id est, iracundiam siue ferocitatem Pharaonis.

Inuisibilem enim. Deum, quem non uidebat, perinde ac si uidisset, remuneratorem expectauit.

Primitiua. Id est primogenita.

Circuitu dierum septem. Non quòd obsidione septem dierum muri fuerint euicti, sed posteaquam singulis diebus Leuitæ portantes Arcam circumissent ciuitatem, septimo die ad clangorem tubarum muri corruerunt. Clarissima omnium ciuitatum eo tempore Hiericho erat, amplissimisq; muris & turribus ornata. Sed his non nimis anxij fuerunt Iudæi quomodo ciuitatem caperent. Fides animositatem & certitudinem de uictoria addebat.

De Gedeon, Barach, Samson. Quærit aliquis, Cur hos inducit, qui peccatores fuerunt? Respondeo. Cur meretricem prius nominauit? Non igitur nunc uitia horum differenda est, sed utrum fide claruerint nec ne, cogitandum est.

Operati sunt iustitiam. *Operari iustitiã in scripturis interdum capitur pro uindicare ab aduersarijs: id quod regum, iudicum & potentum cum primis est. Interdum pro iustè & piè uiuere, iuxta Dei spiritum & donum eius. Iosue et Dauid præter cæteros regna expugnauerũt, Ios. 12. 2. Reg. 8. 1. Paral. 20. Samson, Dauid & Daniel occluserunt ora leonum, Iudic. 14. 1. Reg. 17. Danie. 6. Sed Aaron, & tres illi apud Danielem pueri extinxerunt uim ignis. Num. 16. Dani. 3. Et Helias quidem unà cum alijs nonnullis prophetis effugit aciem gladij, hoc est, acutum gladium, ne capite plecteretur sub Iezabel, 3. Reg. 19. Sic & Dauid qui impetitus hasta à Saule ictum declinauit per fidem à Deo custoditus. Ezechias autem & Dauid de infirmitate maxima conualuerunt, Isa. 38. & Psal. 6. Item Sangar, Samson, & fortes Dauid, Machabæi item pro patrijs legibus, & Dei gloria, in prælio robusti effecti sunt. Iudic. 3. 15. 1. Paralip. 11. & lib. Mach. Ionatas, Asa, & Iosaphat castra uerterunt exterorum, hoc est, impreßiones hostium auerterunt à ciuibus, 1. Reg. 14. 2. Paralip. 14. & 20. cap.*

Conualere. **Conualuerunt de infirmitate:** *Id est, potentes redditi sunt ex imbecillitate. Chrysostomus interpretatur de reuersis ab exilio Babylonico, in quo cùm fuissent deiecti, ac mortuis aßimiles, postea restituti sunt pristino uigori.*

Acies inclinata. Vertere. **Castra uerterunt exterorum:** *Id est, incursiones siue impreßiones in fugam uerterunt, & inclinarunt. Dicitur enim inclinata acies, cùm parat fugam, & cedit in bello. Vertere enim est ad fugam impellere.*

Mortuos suos. *Ob creditam resurrectionẽ poßibilem, filios suos mortuos quædam mulieres suscitatos receperunt, ut ab Helia Sareptana uidua, 3. Reg. 17. & ab Heliseo Sunamitis, 4. Reg. 4.*

Alij autem distenti. *Metaphora, à corio in tympano distento, sumpta. Hi fustibus contusi perierunt. Cæditur enim crebris ictibus tympanum. Ieremias in morem tympani distentus est: sed spe melioris uitæ non suscepit redemptionem, id est, contempsit præsentem uitam, ut æternam inueniret.*

Lapidati sunt. *Ieremias propheta in Aegypto à suis lapidatus fuit. Similiter lapidati sunt Zacharias filius Ioiadæ, & Naboth summa innocentia uir. Ad hæc statim post Christum passum Stephanus lapidatus est, Act. 7. Alij secti sunt, id est, serrati, ut Isaias serra lignea sectus est ab impio Manasse, eò quòd dixerat se Dominum exercituum uidisse.*

Melota. **In melotis.** *Melota est pellis ouilla, sicut leonta pellis leonina. quanquam melota non tam pellem ouillam significat, quàm exuuium, hoc est, pellem corpori detractam unà cum lana, qua etiam sancti & prisci illi uiri, ut carnem tegerent, utebantur.*

Egentes. *Destituti rebus necessarijs: uti Helias & Heliseus, quos alerent mulierculæ, & corui Heliam.*

Repromissio. **Non acceperunt repromissionem.** *Perfectionem scilicet, quæ est animæ & corporis beatificatio.*

Deo pro nobis melius. *Id est, quod Deus melius quiddam de nobis prospexerat. Illorum enim beatitudo ad Christi ascensionem & glorificationem differebatur: nostra autem non differtur, cum iam cœli aperti sint, qui maioribus clausi erant, donec ueniret qui mittendus erat. Ideo aliquid nobis melius est prospectum quàm patribus.*

Vt non sine nobis. *Erit enim consummata glorificatio omnibus electis simul resurgẽtibus. Patrum enim corpora non ante nostra resurgent, sed generalis omnium erit resurrectio.*

CONCILIATIO.

Prima. PAVLVS *proferens Abelem offerentem hostiam ostendit ipsum sacerdotẽ, cùm ante legem sacerdotium primogenitura esset. Natus est enim Abel post Cain, ut ex Genesi manifestum est.* OB MORES *corruptißimos Cain, sacerdotium, seu sacerdotalis dignitas à Cain, ad Abel defecit. Quemadmodum ob scelera filiorum Heli translatum est sacerdotium in aliam stirpem, 1. Reg. 2. Aut, si mauis, dicito, utrunque hac dignitate ornatum fuisse Domino Deo concedente.*

Secunda. QVOMODO *Deo uocante & iubente Abraham, ut hic dicitur, exiuit in terram quam accepturus erat in hæreditatem: cùm dicatur Genes. 11. Tulit itaque Thare Abraham filium suum, & Lot filium Aran filij sui, & eduxit eos de Hur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, ueneruntq; usque ad Aran, & habitauerunt ibi?* RESPONDET *Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 15. Deum loquutum fuisse cum Abraham, cùm esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran: sed cum in Charran peruenisse, cum patre, seruato apud se præcepto diuino, & tandem exijsse* LXXV. *suijpsius anno: patris autem* CXLV.

DICTIO.

Argumentum. ARGVMENTVM *hoc loco elenchus est, id est, indicium.*

Substantia. SVBSTANTIA, *hypostasis, id est, certitudo, & id cui aliquid innititur ac fulcitur.*

Adorare. ADORARE *si pro honorare, & non pro actu latriæ accipitur, ut 2. Reg. 9. & 3. Reg. 1. accipitur, nihil difficultatis pariet hic locus. Et adorauit fastigium uirgæ illius. Græcis est præpositio Ad, addita, Et adorauit ad fastigium. Hoc modo uidemur adorare seu honorare, ad quod prono corpore nos inclinamus.*

Patientem Christum imitari debemus. CAP. XII.

Hortatur ad ferẽdas afflictiones, ppter Christum. Rom. 6. a Coloss. 3. b Ephes. 4. c 1. Pet. 1. & 4. a

Circunstans] Tenaciter inhærens

I Deoq; & nos tantam habẽtes impositam nubem testium deponentes omne pondus & circunstans nos peccatum, per patiẽtiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem IESVM: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atq; in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis uestris deficientes. Nondum enim usq; ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes: & obliti estis consolationis, quæ uobis tanquàm filijs loquitur, dicens, Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neq; fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquã filijs, uobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo

Cõsolationis,] Vel, exhortationis,

Disciplinam] Correptionem

Fatigeris] Deficias

In disciplina perseuerate. Tanquam] Si castigationem sustinetis, ueluti

Prouerb. 3. b Apoc. 3. d.

Filij Dei qui.

adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Num multò magis obtemperabimus patri spirituum, & uiuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum uoluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem eius. Omnis autem disciplina in præsenti quidem uidetur non esse gaudij, sed mœroris; postea autē fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus uestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam; sine qua nemo uidebit Deum, contemplantes ne quis desit gratiæ Dei; ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau; qui propter unam escam uendidit primitiua sua. scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem: reprobatus est. non enim inuenit pœnitentiæ locum: quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accesibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & uocem uerborum (quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret uerbum. Non enim portabant quod dicebatur, Et si bestia tetigerit mōtem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod uidebatur. Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus) Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatē Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Et ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multò magis nos qui de cœlis loquentem nobis, auertimus, cuius uox mouit terram tunc: nunc autem repromittit dicens, Adhuc semel: & ego mouebo non solùm terram, sed & cœlum. Quòd autem adhuc semel dixit: declarat mobilium translationem tanquàm factorum, ut maneant

Adulteri,] Spurij,

Obtemperabimus] Subijciemur
In tēpore paucorum dierū] Ad paucos dies
In recipiendo, &c.] In hoc ut impertiant nobis sanctimoniam suam.

Pax. Rom. 12. d
Sanctitas.

Contēplantes] Curā agentes
Desit Gratiæ] Deficiat à Gratia

Genes. 25. d
Genes. 36. f
Accedēdum ad Christum.

Tractabilem] Contactum
Accesibilem] Accensam

Exo. 19. b. 20. c

Excusauerunt se.] Deprecati sunt,

Exodi 19. c

Ciuitas Dei Hierusalem.

Ecclesiam primitiuorū] Congregationem primogenitorum

Mediatorem] Vel, cōciliatorem

Mouebo] Cōcutio
Mobiliū] eorū quę cōcutiūtur
Tāquàm factorum.] Vtpote quæ facta sunt.

Aggæi 2. b

Immobile] Quod concuti non possit.

neant ea quæ sunt immobilia. Itaq; regnum immobile susciptentes habemus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster, ignis consumens est. Deute. 4. d.

Ideoq; & nos. *Hortatur nunc ad patientiam, à qua in fine 10. capitis ad cōmendandam maiorem fidem digressus erat, argumēto ab exēplis, similibus, præmijs & pœnis petito: quæ nunc colligens transitum facit ad conclusionem argumenti huius epistolæ. Quia maiores sese Deo fide, & crucis tolerantia approbauerunt, idq; suo exemplo testati sunt, quanto studio amplexanda sit salus: Quomodo excusationi erit locus apud nos, si illorum exemplis ad pietatis officia non moueamur, & nos multitudini illorum socios non coniunxerimus? Si enixè illorum uestigia non sequamur?*

Tantam nubem testium. *Cùm patres sint nobis exemplo quàm Deus soleat afflictis adesse, hos uocat nubem testium. Quia horum doctrina & exemplo, gratiæ cœlestis imbre sumus irrigati. Nubes hic non obscuritatem, sed multitudinem testium significat.*

Deponentes omne pondus. *Expedit athletas ad currendum paratos non solùm sarcinam, sed & uestes ac huiusmodi, quæ cursum impedirēt, deponere. Deponamus omne pondus terrenarum affectionum, & peccatum nos circundans, id est, tenaciter inhærens, ut humi nos semper reptare faciat, ne ad cœlestia suspiciamus.*

Per patientiam curramus. *Non dicit, rem pugnis agite, uel inuicem colluctemini: sed quod leuius est, currendi imponit officium. Vult nos in eo perseuerare, alios per continentiam, alios per eleemosynam, alios per diuersas uirtutes, hunc cursum tenere hortatur.*

Ad propositum nobis certamen. *Hanc uitam, quæ militia est super terram, per patientiam curramus, id est, patienter transigamus.*

Aspicientes in autorem. *Nunc exemplo Christi tanquam præcipuo eodem eos uocare conatur, si forsan non sit, quem maiorum exempla moueant. Nequādo in uia hac deficiamus. habemus, inquit, fidei & spei autorem. Perinde quasi dicas, incœptorem & finitorem, ut idem Christus sit initij simul ac finis. Non aliter aspiciamus, ac solent qui opificij alicuius uolunt fieri peritiores, opificem ipsum uel operantem attentius intuentur. Quod profectò & IESVS dicebat, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et non est discipulus supra magistrum.*

Contradictionem. *Si conseruorum tormenta quis secum animo reputet, in suis maximè quæ sustinet consolatur: quantò magis si Domini repetat contradictionem, id est, irrisiones, opprobria, & faciem cæsam, & quæ illi bene monenti obijciebātur, & in conspectu Pilati populum aduersum hunc clamitantem, & crucem demum, quam subijt uolens?*

Nondum enim usq; ad sanguinem. *Dixerat Paulus suprà capite 10. illos ingens certamen afflictionum sustinuisse, probris & pressuris affectos esse, spectacula fuisse omnibus, direptionem facultatum cum gaudio accepisse. Hæc diceres magna esse. Sed si ad finem & ad rationem cohortationi conuenientem spectes, iudicabis ista quantumuis ingentia minutula ab Apostolo censeri. Extenuat enim afflictiones illas & incommoda præterita, ut ad maiora animet. Ac si diceret, Si uos pro nomine Christi uarijs modis afflictos patienter exhibuistis, hoc reuera magnum est & arduum: sed ex-*

pectandum etiam erat capitis supplicium. Tantum abest ut in minutulis quidem illis nō omnem præstetis patientiam, cùm ne sanguini quidem, id est, propriæ uitæ parcendum sit propter Christum, qui non contentus fuit probra, ignominiam, & id genus alia pro nobis deuorare, sicut nec sanguinem pro nobis fundere, sed & mortem, eamq; crucis pro nobis subire uoluit.

Et obliti estis. Argumento ab autoritate sumpto, hortatur ad patienter toleranda mala. Mundus nescit hanc eruditionem. Multa ferre tanquam à Domino immissa, signum est excellentis dilectionis. Corripi à Deo, est diligi. Sed abeat mundus in malam crucem. Consolationis hic dicitur, pro exhortationis.

In sanctificationem eius. Quasi dicat: Deus nos multò felicius punit & castigat, quàm parentes carnis. Nullis enim affectionibus est obnoxius, neque suum commodum nos castigādo quærit, sed solùm ut nobis prosit, spectat. Rogabis, Quod est hoc commodum? Vt impertiat nobis sanctificationem suam, id est, quemadmodum ipse sanctus est, ita & nos per eum castigati sancti reddamur.

Quem enim diligit Deus. Dicet aliquis, Non'ne & prædones & perditi homines affliguntur? Erunt ergo & hi Domini Dei filij? Nequaquam. Non enim omnis qui flagellatur, inquit, est filius: Sed filius omnis qui & uarijs modis tentatur, uel flagris afficitur. Latrones uerò non tanquàm filij adflictantur, sed quia pernicioſi sunt cruciātur. Quare Paulus priori loco castigat, posuit, deinde subiunxit, Flagellat? Respōdeo, ut in disciplinā intelligas filijs hæc adhiberi, non in odij & malignitatis uindictam. Aut ut qui castigatione, quæ non dura est, meliores non fiunt, duriore flagello ad puritatem uitæ reducantur. Flagris cædi apud Romanos seruile erat.

Flagris cædi seruile erat. Disciplina.

Quod si extra disciplinam. Disciplina hoc loco pro castigatione & paulò seueriore animaduersione sumi debet. Cùm proprium sit sanctorum afflictiones pati: si illarum expertes estis, non estis germani filij, sed illegitimi & spurij. Ab inutili & damno argumentatur.

Propter quod remissas. Ne pusillanimes & remisso animo in cursu suo perficiundo sint, hortatur ad sumendum animum, alludens ad certandi rationē. Nam fit nōnunquam ut currētibus labascāt, nutentq; genua, & luctantibus manus & brachia lassescant. Nolite ergo meticuloſi esse & pauidi uos, quos uidemus mœrentes trepidare, manibus pēdulis incedere, genibus dissolutis uacillare. Sed imperterriti imitemini strenuos cursores, & fortes pugiles, qui collectis & resumptis uiribus, recto item firmatoq; cursu, uel colluctatorem premunt, uel recti ad metam properant, certè ut uincant.

Sanctimonia.

Sanctimoniam. Id est, puritatem & cœlibatum, ait Theophylactus, siue quis uxore caruerit & uirginitatem tutetur, siue hanc habeat, & continentiam seruet. Sanctimoniam uult nobis adesse, qua intelligimus continentiam corporis, ut abstinentes ab omnibus quæ animam aggrauare possunt, apti simus ad diuinum cultum, uitamque hic Deo dignam uiuamus.

Gratia Dei.

Contemplantes ne quis desit gratiæ. Contemplantes, id est, considerantes, & curam agentes. Translatum ab exercitu longum faciente iter. Nam hîc aliquot delegari solent cura prospiciendi ne desit commeatus. Gratiam autem Dei, fidem dicit, & optimum uiuendi modum & bona futura. Hæc enim omnia per Christi gratiā comparantur. Aut ne quis desit gratiæ, id est, ne quis sit deficiens, aut destitutus à gratia Dei, hoc est, qui non possit assequi, uelut in uia sunt qui deficiant. Aut sic, Contemplantes, &c. Cauete ne quid per uos reliquum fiat, uel aliquid ad iter necessariū relinquatur,

tur, uel quispiam proficiscentiū restet. Non enim id solum rogo & deposco, ut ipsi quò tenditis tutò perueniatis, sed ut comites etiam obseruetis, perdiscatisq; utrum uobiscū iter faciant omnes, nec'ne. Quod planè solet imbecillioribus euenire, qui præcedentium uestigia persequi nequeunt. Contemplamini itaque, inquit, & oculis collustrate, & si quem cernitis post terga relictum, nequaquam hunc negligatis.

Profanus.

Aut profanus, ut Esau. Profānum dicit, ut Esau, quasi uentri deditum, & huius seculi rebus addictum, & inquinantem quæ spiritus sunt & conculcantem. Inuenias hodie tam uolupe uiuentes, certè Esau ipso profaniores, qui dicant se malle uiui sextarium quàm Euangelicam homiliam. Sed illi aliquando dignas luent pœnas.

Reprobatus est. Tunc enim Esau fuit reiectus, cùm istiusmodi loquutus est pater, Si dominum tuum illum constitui, tibi quid faciam fili? Nonnulli uerò à Deo fuisse reprobatum hunc dicunt, quia Dei instinctu deceptus sit Isaac, ut prius impartiretur benedictionem ipsi Iacob, & sic Esau, reprobatus apparuerit.

Pœnitētia pro benedictione.

Non enim inuenit pœnitentiæ locum. Dicet aliquis, Tollit ergo è medio pœnitentiam Paulus? Nequaquam. Cur igitur, inquit, pœnitentiæ locum non inuenit, quamuis lacrymans quæsiuisset? Primùm intelligas uelim, pœnitentiam hoc loco benedictionem significare. Deinde benedictionem hanc petijsse fatetur Apostolus, sed modum petendi debitum non seruauit Esau. Neque enim rectè tanti odij in fratrem pœnituit. Quod enim esse poterit pœnitentiæ argumentum, cùm Esau ipse iactet: Appropinquabit luctus dies patris mei, & interficiam fratrem meum? Ob id itaque pœnitentiam non inuenit: quia non ut oportuit depoposcit. Nam etsi lacrymas fuderat, non tamen erant pœnitētiæ lacrymæ, sed liuoris & odij, & animi exacerbati, qui minus æquo animo toleraret præferri sibi fratrem: quemadmodum nec mœror quidem, quem Cain ille uultu prætulerat, pœnitentis fuerat, sed inuidentis. Aut sic, Non inuenit pœnitentiæ locum. Hoc si ad literam spectes, uerùm est. Nam etiam lacrymatus, à patre non impetrauit benedictionem primogeniti, quamuis impetrauerit minorem benedictionem. Simile accidere solet pœnitentibus post amissam uirginitatem, aut deperditum aliquod simile donum. Nunquam enim inueniunt locum pœnitentiæ apud Deum, quo ad priorem dignitatem, puta uirginitatem, aut huiusmodi. Sicut nec Esau quo ad primogenituram. Remanet tamen semper locus pœnitētiæ post lapsum, quo ad remissionem culpæ, petenti in fide ab eo, qui uult omnes homines saluos fieri.

Non enim accessistis. Ad insinuandam legis infirmitatem paucis perstringit quid tempore legis datæ sit factum. Finge tibi duos montes stare, alterum Sinai, alterū Sion: Priore repræsentari legem, Posteriore Christum & Euangelium. Priorem montem, in quo data est lex Moysi copiosè depingit, dicens, montem tractabilem, hoc est, contactum, per antiphrasim loquitur. Nemo enim audebat montem illum contingere. Montem contactū, aut tractabilem dicit, ad eum modum qui est in Psal. 17. 103. & 143. Tange montes & fumigabunt. Quando enim montes diuino nutu & tremenda Dei potentia contremiscunt, dicuntur à Deo tangi. Hinc mons contactus, hic est.

Ignem & turbinem. Ignis eò offerebatur, ut legum latoribus indictas præferret pœnas, & terrorem statim incuteret. Nebula uerò & caligo, testamentum uetus illud præfigurabat, opertum adhuc permanere, necdum fuisse tunc temporis reuelatum. Procella excitabat Hebræos, qui tardiores essent, ut Dei dictis, & rebus mirandis intenderent animos. Tubæ uerò, adesse regem & deum significabant, quod ipsum erit, & in secundo Christi aduentu futurum.

Et uocem

Et uocem uerborum. Exodi 20. *Cunctus autem populus uidebat uoces. Hæ uoces erant uoces præceptorum.*

Non enim portabant quod dicebatur. *Hoc est, quod à Dei ore prodibat, quia esset horrisonum, nequibant auribus sustinere. Causam ergo hi obtulere, ut Deus appareret in carne, ut percipi posset ab ijs & intelligi. Propterea cùm factus est homo, ait, Discite à me, quia mitis sum.*

Moyses dixit. *Non legimus ubi Moyses in Biblijs dixerit hæc. Fortassis ex alio quopiam sacro libro Paulus hæc hausit. Aut non infrequens est, dicatur, dixit, pro dicere potuit. Expauefactus sum & tremebundus ex terrifica ista Domini apparitione, & omnium trepidatione. Aut tam terribilis erat in monte hæc apparitio, ut uel ipsi duces terreri potuissent. Vide infrà conciliationem.*

Primitiui fideles. **Ecclesiam primitiuorum.** *Primitiuos fideles appellat & electos Dei. Sunt omnes tum electi, tum reprobi, creatione filij Dei. Præ illis tamen electi sunt primogeniti, quorum nomina scripta sunt in cœlis.*

Videte ne recusetis. *Comparat ea quæ facta sunt in confirmatione ueteris legis, satis horrenda, cum gratia, quæ fit nobis in confirmatione regni cœlorum inuisibilis. Si terrena, quæ tunc uidebantur, quamuis Dei erant, & è cœlis erant, contemni impune non potuerunt: quantò magis hæc, quæ non sunt huius mundi, non possunt impune contemni? Tunc uidebimini loquētem* IESVM *recusare, cùm eius promissis nullam fidem præstabitis, & omnem spem amiseritis.*

De cœlis loquentem. *Postquam Christus fuit assumptus seu ascendit in cœlum, legem nobis per spiritum dedit.*

Terræ successio frequens. **Adhuc semel, & ego mouebo.** *Ter terram apud sacras literas legimus fuisse succussam. Primùm, cùm in monte Sina lex ferebatur. Secundò, cùm carnem Christus assumpsit, Commota est (inquit) Matth. 2. omnis Ierosolyma. Hoc est quod dicitur iam semel mouisse terram. Tertiò, quando Christus erat in cruce. Terra, ait Euangelista, tremuit, & monumenta aperta sunt. Cùm autem semel dicit, adhuc & aliam terræ quassationem significat, hoc est, cùm seculum hoc euertetur, cùm immutata omnia à corruptione ad immortalitatem transferentur.*

Declarat mobilem. *Vocat facta quæ manibus facta erant, ut tabernaculum & huiusmodi Leuitica, quæ per Christi perpetuum sacerdotium immobile transierunt, & sublata sunt.*

Vt maneant ea quæ, *Id est bona futura. Quæ enim sanctis futura sunt, neque corruptionem admittent, neque motum, cum non sint translationem subitura.*

Habemus gratiam. *Id est, patienter aduersa feramus, & nullus nos subeat dolor, si in rebus externis iacturam patimur. Sed gratias illi agamus, qui bona hæc nobis contulit, & maiora est nobis propediem collaturus.*

Ignis consumens. *Hos consolatur perinde ac si diceret, Talem sumus Dominū assequuti, qui possit aduersarios nostros, ut ignis absumere. argumentatur à periculo.*

CONCILIATIO.

HIC *locus, Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus: nullo in loco ueteris testamēti legitur. Imò uidetur aduersari ei loco Exodi 20. Nolite timere, ut enim probaret uos uenit Deus, & ut terror illius esset in uobis, & non peccaretis.*

TAMETSI *non legitur in Exodo hic locus tam explicitus, quàm à Paulo est productus*

productus: ita tamen res habuit, quam illius textus Pauli uerba significāt. Hoc uerbum, dixit, positum putauerim pro expressit, siue gestu, siue alio quouis signo. Nempe in rubi ardentis apparitione, faciem uelans exprimebat quàm exterritus, & tremebundus esset. Exodi 3. Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum. Ad hunc modum pronuntiauit beatus Stephanus Act. 7. Tremefactus autem Moyses non audebat consyderare, &c.

DICTIO.

DISCIPLINA *pro castigatione hoc cap. ponitur. In hanc significantiam apud probos autores reperitur, præcipuè apud Suetonium, pro seueriore institutione & gubernatione, cuiusmodi solet adhiberi primis annis. Diuus Augustinus interpretatur disciplinam, cùm quis molestijs eruditur.* Disciplina.

ADVLTERI, *spurij, illegitimi, & nothi.* Adulteri.

CONFVSIONEM *suo more Paulus hic uocat probrum atque ignominiam.* Confusio.

Hortatur ad pietatem. CAP. XIII.

Charitas. Roma. 12. c 1. Petri 4. e Hospitalitas. Latuerūt, &c.] quidam insciētes exceperunt angelos hospitio. Laborātium,] Afflictorum, Coniugium. Fornicatio. Auaritia. Iosue 1. a Psal. 117. a Præpositi. Fides. Operæ. Doctrinæ. Abduci.] circunferri. Altare nostrū. Numeri 19. a Hostia laudis fructus labiorum.

CHaritas fraternitatis maneat in uobis. Et hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis. Mementote uinctorum, tanquam simul uincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile cōnubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia: cōtenti præsentibus. Ipse enim dixit, Non te deseram neque derelinquam. Ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum uestrorum, qui uobis loquuti sunt uerbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitemini fidem. IESVS Christus heri & hodie: ipse & in secula. Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim, gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & IESVS, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hīc manentem ciuitatem: sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficētiæ autem & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs

Præpoſiti. ſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus ueſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciāt, & non gementes, hoc enim non expedit uobis. Orate pro nobis, confidimus enim quòd bonam cōſcientiam habemus; in omnibus bene uolentes conuerſari. Amplius autem deprecor uos hoc facere, quò celerius reſtituar uobis. Deus autē pacis qui eduxit de mortuis paſtorē magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Dominum noſtrum IESVM Chriſtum: aptet uos in omni bono, ut faciatis eius uoluntatem, faciens in uobis quod placeat coram ſe per IESVM Chriſtum: cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. amen. Rogo autem uos fratres, ut ſufferatis uerbum ſolatij. Etenim per paucis ſcripſi uobis. Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celerius uenerit) uidebo uos. Salutate omnes præpoſitos ueſtros, & omnes ſanctos. Salutāt uos de Italia fratres. Gratia cum omnibus uobis. Amen.

Oratio.

Paſtor Chriſtus.

Opera noſtra grata per Chriſtum.

Promeretur Deus.] cōciliatur Deus. Vel, placet Deo.

Subiacete eis.] concedite, deferte eis.

Non expedit] inutile

Aptet uos] abſolutos uos reddat

In uobis quod placeat] ut id quod agitis acceptum ſit

Solatij.] exhortationis.

Cognoſcite] ſcitis

De Italia fratres.] Itali.

Hæc epiſtola beati Pauli Apoſtoli miſſa eſt ab Italia per Timotheum.

Charitas fraternitatis. *Singulari amplificatione proſequitur explicare pacem & ſanctimoniam, quas paulò antè commendauerat, uarias morum paræneſes, uelut ſuperioribus adfixas appendices adducens. In primis admonet illos charitatis Chriſtianæ & hoſpitalitatis, exemplo maiorum, ne inter tantas afflictiones mutua charitas periclitetur. Per ſynecdochen, hoſpitalitate, intelligit omnia miſericordiæ opera, quorū meminit Chriſtus, Matth. 25. Abraham tres uiros, Geneſ. 18. fatigatos ex itinere in meridie uidebat, adorauit, & in tabernaculum ſuum uocauit. Lot circa ueſperam duos uidit, Geneſ. 19. nihil minus putans eos eſſe quàm Angelos. Hac uirtute placuerūt Deo. Certè placebitis & uos, ſi hoſpitalitate illis reſponderitis, non recipientes Angelos, ſed Chriſtum ipſum dicentem, Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.*

Memores uinctorum. *Hoc præſtitit Paulus dicens, 2. Corinth. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Addit, & laborantium, hoc eſt, afflictorum ob malā ualetudinem, fāmem, ſitim, uel aliam qualēcunq; neceſsitatem. Tanquam & ipſi in corpore morantes, hoc eſt, mementote fratrum afflictorum, tanquam iiſdem afflictionibus obnoxij.*

Honorabile cōnubium. *Cùm dicit, in omnibus, ſubaudi modis, aut in omnibus ætatibus, aut in omni tēpore, Deniq; apud omnes, ſeu ab omnibus probatur. Quādoquidē & apud Ethnicos honos habitus eſt matrimonijs ob fauorem publici cōmodi.*

Sint

Sint mores ſine auaritia. *Hortatur ne auaritiæ dediti ſimus, ſed ſimus contenti rebus præſentibus, cura & omni ſolicitudine futurorum reiecta. Dices fortaſſe, Res domi uſqueadeò tenuis eſt, ut uix familiæ faciat ſatis: quì fieri poterit, peregrinis & indigentibus ſubueniam? Aut unde accipiam quo me meamq; familiam ſuſtentem? Scripturæ teſtimonijs hanc obiectiunculam diluit. Dominus Ioſue iſta dicenti quòd uideret ſe populo Dei perficiendum, dixit, Non te deſeram neq; derelinquam. At quia Dominus neminem, qui ſe illi concredit, uult deſerere, rectè inducit Paulus, ut & promiſſum ſit omnibus fidelibus, ita ut confidenter fidelis dicat, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Ioſue 1.

Mementote præpoſitorum. *Perſeuerate tanquam ueri diſcipuli in fide & doctrina, quam ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus didiciſtis, & illorum in fide conſtantiam & ſanctimoniam imitemini.*

Ieſus Chriſtus heri. *Quidam erant pſeudapoſtoli, qui alium Chriſtum docerent, & alium aſſererent Meſsiam uēturum, ſicut & hodie falsò Iudæi putant. Sed hoc loco Paulus docet IESVM Chriſtum eundem heri, id eſt, præteritis ſeculis, & hodie, id eſt, in præſenti & in futura ſecula & infinita, nec alterum quempiam præter hunc aſſerit eſſe uenturum. Propterea abijciendi ſunt errores huiuſmodi, ne peregrinis doctrinis abducamur. Aut accipiamus ad hunc ſenſum: Dicet aliquis, Verum eſt, Deum Apoſtolis & apoſtolicis uiris tanquam anteſignanis fauiſſe: me autem non pari fauore & gratia proſequetur. Reſpondet: IESVS, qui heri fuit, id eſt, illorum tempore iam præterito, idem & hodie eſt, & perdurabit in ſecula. Eadē eius eſt benignitas, manus illius non ſunt abbreuiatæ, qui Heliam & populum Iſrāeliticum per annos 40. in deſerto manna & aquis è petra & pauit & potauit, idem poterit & uos alere.*

Doctrinis uarijs. *Variæ uidentur doctrinæ, cùm ab alijs item atque alijs afferuntur. Peregrinæ uerò, id eſt, à rectitudine dogmatis alienæ. Poteſt nanq; uaria eſſe doctrina nec peregrina dici, eoq; nec improbanda. Cùm uerò uariæ fuerint, hoc eſt, aliter atq; aliter illæ ingeſtæ & peregrinæ à ueritate ſcilicet ipſa dimotæ, tunc ſanè erit magnopere ab ipſis cauendum. Variæ erant, cùm de cibis mundis & immundis poſt baptiſmum ſuſceptum docerent. Propterea dicit, Bonum eſt ſtabilire cor, id eſt, mentem atque animum, gratia Euangelica, non eſcis, hoc eſt, diſcretione eſcarum poſt Euangelium acceptum, quaſi adhuc lex uim quandam haberet. Eſt fides neceſſaria, non eſcarum obſeruatio.* Doctrinæ uariæ.

Habemus altare, de quo edere. *Poſt damnatam Iudaicorū ciborum diſcretionem, manifeſtat excellentiorem nobis cibum eſſe, à quo, qui legem obſeruant, arcentur. Habemus altare, id eſt, hoſtiam in ara crucis oblatam, id eſt, IESV Chriſti corpus, de quo edere non poſſunt qui tabernaculo deſeruiunt, id eſt, qui Moyſen ſeruant. Hæc probat à ſimilitudine ſacrificij legalis, quod in feſto propitiationis fiebat, ubi uitulo & hirco apud caſtra immolatis, ſanguinem illorum pontifex ſolus in ſancta ſanctorum oraturus deferebat. Cadauera uerò extra caſtra comburebātur. Hæc in figura erant ad fidem noſtram facientia. Chriſtus uerus pontifex cum ſanguine ſuo cœlos aſcendit, id eſt, uera ſancta ſanctorum intrauit patrem oraturus. Et quemadmodum immolatorum animalium corpora extra caſtra cremanda ferebantur: ita corpus Chriſti extra Hieruſalem in monte Caluariæ ardore paſsionis eſt combuſtum, hoc eſt, mortuum pro nobis. Hæc eſt uera hoſtia, per quam ſanctificantur credentes in IESVM: & de qua ſpiritualiter & ſacramentaliter ueſci poſſunt quicunq; in eum credunt, non autem qui*

adhuc

adhuc Moysi seruiunt,non credentes IESVM Christum uerum Messiam.

Exeamus igitur ad eum extra castra. Exuamus ueterem hunc hominem & ueterem hanc legem, à conuersatione illa mundana recedamus, eadem illa, id est, improperia quæ ille sustinuit, tolerantes: ut sicut ipse pro nobis passus est, ita pro eo affligi non dubitemus. Non enim hîc est nostra ciuitas, sed futuram inquirimus,in quâ iam per spem uersamur.

Per ipsum ergo offeramus. Alludit ad ea quæ leguntur frequenter in Psal. 49.115.& alijs,item 33.Benedicam Dominum in omni tempore,semper laus eius in ore meo:ac si dicat, Nullum tempus elabatur, siue aduersum sit,siue lætum, in quo Dominum non laudauerimus, idq; fiat per Christum, per quem solum ad Patrem habemus accessum. Ex hoc contextu Pauli colligimus tria sacrificia,ad quæ nos hortatur. Primum corporis,quod mortificandum est, & in obsequium spiritus redigendum. Secundum animi, quod fructus labiorum siue laudis hîc dicitur. Tertium beneficẽtiæ in proximos.Talibus hostijs Deus promeretur,id est,placatur,siue conciliatur: & huiusmodi hostiæ illi sunt acceptißimæ.

Obedite præpositis. Hactenus de his,quæ faciunt ad salutem uestram abunde uos monui. Huic epistolæ imponamus finem oportet. Quòd si quid præterea perdiscere necessarium fuerit, habetis pastores, qui pascent, & docebunt uos uerbo Dei. Ab illis requirite. His obedite. Qui si uideantur uobis morosi, Et his subiacete: modò nihil aduersum Christi doctrinam doceant. Non desunt qui etiam hunc locum de magistratibus Reipub.interpretantur. Sed quod subiungit,docet de pastoribus Ecclesiæ intelligendum:ipsi enim uigilant,quasi rationem pro animabus uestris reddituri.

Vt cum gaudio hoc faciant. Cauete immorigeri esse uestris pastoribus,ne frangantur eorum animi, & contristentur: cùm uiderint discipulorum negligentiam & segnitiem: labores item suos periisse.Sed estote præfectis uestris obsequentes,excipite ex animo illorum doctrinam, ut fructum centesimum producatis. Hoc fructu uestro, his uestris laboribus pijs feliciter elocatis exhilarati, munus docendi postea obibunt, & longè alacrius inseruient. Est reuera gaudium doctorum, incrementum discipulorum,& contrá.

Conscientia bona. **Bonam conscientiam habemus.** Id est,puram habeo conscientiam,nullius mali sum conscius,quod intelligam me uobis consuluisse. In omnibus bene uolo conuersari:do operam ne quempiam offendam,nc dissensionum causas seram.

Deprecor uos hoc facere. Id est,pro me orare ut ocyus uobis restituar.

Gratia,peccati remissio. **Gratia cum omnibus.** Gratiam,cùm peccatorum dicit remissionem,tum animi puritatem,tum ipsam spiritus sancti participationem,hanc gratiam tandiu conseruabimus quandiu bonis operibus incumbemus.

CONCILIATIO.

BENEFICENTIAM & communionem Paulo commendanti in hunc modum, Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: maximè aduersatur,quod probè gessit Ioseph Genesis quadragesimoseptimo, qui Aegyptios fame pereuntes cum possessionibus in seruitutem redegit. Si qua est liberalitas & beneficentia, exercenda est maximè tempore famis. Et tamen Genesis quadragesimoprimo dicitur, Crescebat autem fames in omni terra,aperuit Ioseph horrea,& uendidit Aegyptijs. RESPONDET Ambrosius lib.2.Officiorum, cap.16. Maluit Ioseph frumenta uendere, quàm dare

dare esurientibus. Quia si paucis donasset, pluribus defuisset, eam liberalitatem probans,quæ abundaret omnibus. Patefecit horrea, ut omnes subsidium emerent, ne gratis accipientes,agriculturam relinquerent. Solet enim, qui alieno utitur, suum negligere. Maturo itaque consilio usus est Ioseph,cui tandem dictum est, Salus omnium nostrum tu es,Genesis quadragesimoseptimo.Præterea dici potest Aegyptios pauperiati nondum tunc addictos fuisse, quibus tum pecuniæ, tum possessiones erant amplißimæ. Huiusmodi enim uenditione subuenitur.Licet liberalius & commendabilius foret si dono ageretur, cum his qui fame laborant.

*

FINIS.

OMNIA IVDICIO ECCLESIAE SVBMISSA SVNTO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX EORVM, QVAE HOC OPERE HABENTVR.

A Dextris, & sinistris incedere. facie 215
Aaron. 477
Abba. 267
Abba pater. 60.71
Abrahæ aliena terra. 515
Abrahæ fides. 27.257
Abrahæ filij, qui? 29
Abrahæ filij duo. 269
Abrahæ semen sumus nos, per Christum. 264
Abraham. 483
Abraham cur primus in Deum credidisse narratur. 257
Abraham dedit decimas ipsi Melchisedec. 487
Abraham uocatus. 514
Absit, uocabulum quid denotet. 26
Abyssus. 85
Accedendum ad Christum fide. 504
Accessus, uia, & ostium ad patrem, Christus. 33
Accessus ad patrem per Christum. 299
Acceptum esse. 223
Acceptum ferre. 32
Acies inclinata. 516
Achaia. 198
Adam duplex. 185
Adam, Primus, & Secundus. 187
Adam & Christus conferuntur. 36
Adama. 455
Adoptari in filios per Christum. 265
Adoptatos unde cognoscamus nos à Deo. 266
Adoptio. 64.71
Adoptio filiorum. 62.298
Adorare. 449
Adulteri. 523
Aedificatio Dei. 123
Aemulor, uerbum. 167.275
Aerarius. 427
Aeternitati præsentia omnia. 447
Affectu quodam res uniuersæ duci uidentur pro conditione hominum. 63
Affectus nostros spiritus sanctus cognoscit. 66
Afflictiones ut tolerandæ. 206
Afflictiones ferendas propter Christum hortatur Paulus. 517
Afflictiones quas sustinuerint Iudæi propter Christum. 504
Afflictiones piorũ, Christi esse. 350.510
Afflictiones Pauli in Macedonia. 218
Afflictorum consolatio. 342.358
Afflictorum functio. 348
Afflictorum impatientes querelæ. 361
Agere non perperam, quid. 170
Agricolatio Dei. 123
Allegoria, id est, intelligẽtia spũalis. 273
Allusiones dictionum periucundæ. 243
Altare nostrum. 523
Altaris sacramentum. 506
Altaris sacramentum summa cum ueneratione recipiendum. 508
Amaritudo, ira &c. 313
Ambrosius citatur. 125
Ambulare, ire, ingredi. 284
Ambulare & placere Deo. 372
Ambulare dignè uocatione. 308
Ambulare in sapientia. 363
Ambulare secundum seculum. 299
Amen. 199
Angeli, Principatus, Virtutes. 69
Angeli, id est, episcopi. 155
Angeli dolent, quid? 62
Angeli sunt flammei. 449
Angeli ab Hebræis Malachim. 456
Angeli sunt nuntij & ministri. 449
Angeli, Dei ministri. 443
Angeli, hominum ministri. 451

Angelorum lingua loqui. 168
Angelus, commune uocabulum, & quibus. 161
Angelus nõ naturæ, sed officij nomẽ. 449
Ancillæ filius esse. 274
Anima. 102
Anima & Spiritus. 71
Animæ corruptio, quid? 325
Animalis homo. 122
Antichristi nomina. 383
Antichristus. 381
Antiochia duplex. 423
Antiquare. 494
Anthropopathia. 14
Anus. 432
Apelles. 112
Apollos. 92. Timothei frater. 191
Aporia. Aporior. 208
Apostolatus. 389
Apostoli, ab uno omnes dicti. 241
Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, Doctores. 310.314
Apostolorum & Episcoporum in scripturis autoritas. 166.167
Apostolus. 240.241
Apphia. 440
Apprehendere. 78
Arcana Christi Paulo reuelata. 304
Arcarius. 113
Archippus. 441
Aretas rex. 234
Argumentum. 513
Aristarchus. 441
Aristobulus. 113
Arma iustitiæ. 215
Arma aduersus mundum. 215.228
Artemas. 437
Assumere. 106
Athei. 243
Auaritia. 312.315.523
Audacius, quomodo accipiendum. 109
Auditus fidei. 256
Autoritatis minoris non sunt quæ à sanctis uoce prolata sunt, quàm quæ scripto. 384
Auxilium opportunum. 470

B

BArbam promittere, Græcæ erat legis. 153
Barbarus quis Paulo. 13
Blasphemi. 422
Blasphemia. 479
Blasphemor. 152
Bonitas seu benignitas. 94
Bonitas & Seueritas Dei. 89
Bruium. 147.341
Brutum moriẽs omnino extinguitur. 187
Baptismi firma. 354
Baptismi uirtus. 43
Baptismus non repetendus. 479.508
Baptismus illuminatio dictus. 478
Baptismus est loco passionis Christi. 263
Belial. 217
Benemerendi studium. 172
Benedictio. 104.110
Benedictio duplex. 293
Benedictio pro adulatione. 112
Benedictio pro eleemosyna & beneficentia. 225
Beneficia Dei erga nos per Christum. 346
Benignus. 431

C

CAdere in scripturis, quid? 94
de Cæcitate Israel & sui resumptione. 90
Cæcitas ex parte. 90
Calceatus, quis dicatur in scripturis. 324
Calix. 150
Calix uariè usurpatur. 161
Caluariæ locus, quare sic dictus: ex Hieronymo. 316
Cancer. 421
Capere pro capax esse. 220
Capitulum. 492
Captio. 94
Caput diuersa signat. 154
Caput Ecclesiæ Christus. 246

Caput libri. 449
Caput uiri. 152
Cur uelatum orans gerit. 154
Carbones ignis. 99
Carnales. 280
Carnales & spirituales. 57
Carnalis spiritualem persequitur. 269
Carne quid intelligi debet. 256
Carne consummari. 256
In Carne & secundum carnem ambulare. 230
In Carne esse, & uiuere, non idem. 254
Carni debere. 60
Carni studere. 70
Carnis nostræ nomina. 455
Infirmitas Carnis. 275
Carnis iustitiæ. 498
Caro, quid. 12
Caro. 190.279.387
Caro & sanguis. 461
Caro & spiritus. 54.58
Catechizare. 290
Cauponari uerbum Dei. 200
Causari, uocabulum quid. 26
Cauteriatus. 405
Charisma. 161
Charitas. 69.141.168.438.504.523
Charitas non ficta. 215
Charitas, & dilectio non idem. 346
Charitas, uinculum perfectionis. 360
Charitas mutua hæreses nescit. 352
Charitas Christi erga nos. 306
Charitas Dei erga nos. 300
Charitas Dei in nobis. 35
Charitas Pauli erga Iudæos. 87
Charitatem non excidere. 170
Charitates. 156
Charitatis Christi uis. 209
Charitatis affectus erga congeneres. 72
Charitatis membra, & species. 170
Charistiæ. 156
Chirographum. 358
Chirographum affixum cruci, quid. 355
Chirographum decreti deletum. 355
Chloe, quid. 120
Christi nomen. 334
Christi caput, Deus. 154
Christi, qui dicantur. 33
Christi peculium sumus. 434
Christi aduentus. 501
Christi cognitio, Lux: eius ignoratio, tenebræ. 348
in Christi nomine facienda omnia. 360
Christi introductio in mundum. 448
Christi IESV manifestatio & incarnatio, grande mysterium est. 401 402
Christi corpus. 166
Christi corpus in sacramento Missæ. 506
Christi ingressus in sancta. 499
Christi plenitudo. 310
Christi mors promissionum seu testamenti confirmatio. 261
Christi oblatio. 501
Christi sanguine purgati à peccatis. 494
Christianismi summa. 293
Christo incorporamur per baptismum. 163
Christo omnia subiecta. 452
in Christo esse. 57
Christum esse in nobis. 59
Christum in nobis uiuere. 254
Christum, non nosmet, prædicandum. 205
Christum induere. 101
Christum superinduti, ipsi similes sumus, & filij Dei, quomodo? 263
Christum sedere ad dexterã patris, quid? 447
Christus fundamentum & lapis angularis, quare? 80
Donatus nobis Christus. 67
Christus noster accessus ad patrem. 33
Christus audiendus, ne puniamur. 452
Christus apostolus ad oues Israël. 463
Christus semper exauditus. 476
Christus, Angelis superior 447. Maior. 443
Christus non angelicam assumpsit naturam, quare? 460
Christus minutus ab angelis. 456
Christus Moyse & angelis præstantior, quare. 452
Christus omnia gubernans. 447
Christus, iustitia Dei. 211
Christus, Iustitiæ rex. 485
Christus filius Dauid, & Dominus eius. 450
Christus hæreditauit nomen. 457
Christus uerus homo & frater. 459
Christus constitutus ut homo. 457
Christus dictus hostia. 501
Christus humilis considerandus. 221
Christus factus sub lege. 266
Christus factus ex muliere. 266
Christus à maledicto liberat. 255
Christus dicitur maledictum, & peccatum, quomodo? 258
Christus mediator. 395
Christus mediator noui testamenti. 491
Christus mortem gustauit pro omnibus. 458
Christus mortis uictor. 459
Christus mortuus pro omnibus. 452
Christus mortuus pro omnibus, ut ei iam, non sibi ipsi uiuant, qui uiuunt. 209
Christus pro nobis mortuus. 495
Christus semel moriens, oblatus. 506
Christus semel oblatus pro nobis. 484
Christus factus pro nobis omnia. 258
Christus omnia, in nobis. 118. In omnibus. 184
Christus orans pro nobis 495
Christus pacificauit omnia per sanguinem. 349
Christus pastor. 524
Christus medium parietem soluit. 302
Christus nostra causa pauper factus. 221
Christus factus peccatum. 211
Christus traditus propter peccata nostra. 29
Christus pontifex. 452
Christus constitutus pontifex à patre. 471
Christus pontifex, Deus. 491
Christus, apostolus noster, & pontifex. 462
Christus, pontifex Moyse maior. 463
Christus principium. 349
Christus secundum promissiones uenit. 432
Christus impleuit promissiones Iudæis. 107
Christus prophetarum Dominus. 444
Christus sanguine suo semel nos redemit. 494
Christus nos repropitiauit patri. 460
Christus primus resurrexit, & omnes per ipsum resurgent. 179
Christus suscitatus à patre. 296
Christus, sacerdos. 484
Christus, sacerdos noster. 483
Christus solus magnus sacerdos. 486
Christus, saluator. 391
Christus obedientibus, salus. 472
Christus, spes nostra. 389
Christus solus pro omnibus satisfecit. 509
Christus figura substantiæ patris. 446
Christus tentatus. 452
in Cibis scandala. 143
Cibus solidus. 427
Circuncisio. 18.27.299.303.351
Circuncisio ad quid data, & quid conferat. 29
Ciuitas Dei. 512
Clamor. 267
Clamor Christi. 473
Clauis scripturæ. 207
Coccina. 503
Cœlestia. 294
Cœli. 310
Cœna Domini. 149.155
Cœnam dominicam dupliciter accipi. 156

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cognati. 113.145
Cognitio Dei. 9
Cognitioni sui fructus. 160
Cognoscere ex parte. 170
Cognosci à Deo. 265.266
Cognitionem Dei, qualem ante & post incarnationem uerbi, cœlestes potestates habuerint. 305
Collatio. 110
Colere Deum ut Deum. 9
Collectæ in pauperes sanctos. 190
Collectio. 511
Colluctatio spiritus & carnis. 208
Colossæ, ciuitas. 351
Comessatio. Comos. 102
Commune. 106.107
Communicatio. 151.221
Compati, id est socium esse, imitatorẽ, &c. 61. Affici malis alienis. 471
Complantatus quid? 47
Comprehendere. 126.306
Compunctio, quid? Et Spiritus compunctionis. 94
Cõcisionẽ, & Circũcisionẽ distingui. 338
ad Concordiam inuitat Paulus. 332
Conculcare filium Dei. 508
Concupiscentia. 279
Concupiscentias facere, & perficere non idem. 299.285
Conferre, quid Hieronymo? 248
Confessio. 82
Confirmatio. 196
Confirmatio Euangelij. 218
Confortari. 418
non Confundi. 417
Confusio. 523
de Coniugatis. 135
Coniugium. 523
Consensus multorum, autoritatis uim habet. 241
Conscientia, quid in scripturis? 198
Conscientiæ bona. 526. pura. 400. 416
Consolamur à Paulo. 29
Consolator Deus in tribulationibus. 194
Consuetudo ecclesiæ plurimum autoritatis habet. 155
Consummare, quid? 458
Consummatio per Christum. 510
Consummatio seculorum. 501
Contaminatus. 394
Contendere. 333
Contentio. 19
Contribules. 370
Cooperator, & Commilito differunt. 336.337
Contristati Corinthij ad pœnitentiã. 218
Corinthij, epistola Pauli sunt. 201
Corinthij ingrati. 126
Corinthijs comminatur Paulus, ni resipiscant. 238
Corona gloriæ, id est uniuersæ creaturæ, soli Christo. 457
Coronare, quid in scripturis. 457
Correptionis modus. 128
Corporaliter habitat in Christo deus. 354
Corpus Christi quid. 356
Corpus Christi tabernaculum. 498
Corpus hostia, quomodo? 96
Corpus spirituale. 208
Corpus unũ sunt Christiani, quomodo? 95
Corpus mortuum, homo dicitur, qũo? 59
Conualere, quid Chrysostomo? 516
Creta insula. 432. Cretenses. 428
Crucifigi mundo. 288
Crucis mysterium. 306
Crucis fructus. 339
Cupidi, qui dicuntur. 422
Cupiditas nemini parcit. 411
Cupiditas immoderata fugienda. 223
Cursus in scripturis quid? 80.254

D

DAmascus. 234
Damnationis ministratio, Lex. 203
Dæmones, per Ecclesiam mysteria Dei cognouerunt. 305
Dæmoniorum socij ne simus. 150
Dæmonium. 405
Deceptio multiplex. 357
Decimæ soluuntur ab Abraham Melchisedeco. 486

Decimatus in lumbis Abrahæ, quid? 491
Decreta, & Lex differunt, ex Theophylacto. 302
Dei adiutores, id est cooperarij. 124
Dei patris uoluntas. 506
Delibatio, Primitiæ, Radix, idem. 89
Demas uiri nomen. 441
coram Deo, iurantis est. 220
Deo, non nobis fidendum. 194
Diffidentia de Deo, qualiter? 149
à Deo omnia nos accepisse. 126
Depositum bonum, quid? 417
Desertio diuina. 370
Despondere. 231
Desyderium carnis. 298.300
Detinere. 8
Deum ad æmulationem prouocare, quomodo? 84
Deum in nobis habitare, quid. 217
Deum iustificamus, qualiter. 21
Deum quiescere. 471
Deum quiescere ab operibus. 470
unus Deus, unus Christus. 142
Deus beatus, quare dicitur. 391
Deus cur magnus dictus. 434
Deus cur seipsum negare non potest. 419
Deus nomen naturæ. 293
Deus meus, ut accipi debet? 5
Deus uerax. 20
Deus uerus. Dij per adoptionem. Dij iuxta opinionem. 206
Deus inuisibilis. 348. 392. in natura. 394
Deus solus sapiens. 392
Deus Iudæorum & Gentium. 23
Deus pacis. 378
Deus seculi. 206
Deus natura misericors. 195
Deus præter Leges naturæ, aliquas semper interpretationes suæ uoluntatis dedit suis. 50
Diaboli autoritas in nos illi permissa. 420
Diabolus. 326.432
Diabolus peccatum. 50. & cur? 184
Diabolus, quibus est Deus? 206
Diabolus hic ut tyrannus, non ut Dominus regnat. 300
Diaconi. 398.400
Diaconus, uox. 331
De infirmis in cibis, & ratione dierum. 102
Dierum obseruationes refelluntur. 353
Dies festi, Christianis obseruandi. 104
Dies festi Christianorum, & Iudæorum conferuntur. 275
Dies Christi. 328
Dies humanus. 129
Dies iræ, quid? 19
Dies pro Iudicio. 197
Dies iudicij, quibus notis designetur. 15
Dies nouissimi. 444
Dies salutis. 214
Dies pro uita. 214
Dicere, quid est? 168
Diffamare. 367
Dij. 143
Dilectus nomen. 4
Disceptatio. 106
Discessio. 385
Discere semper cum fructu, laudabile. 423
Disciplina, quid? 520.523
Discretor, quid? 471
Dispensatio plenitudinis temporis. 294
Diuitiæ, absolutè. 94
Doctores. 167
Doctoris, & doctorum functio. 271.276. 310
Doctoris labor magnus. 407
Doctrina sana. 433. uera. 241
Doctrinæ uariæ. 523
Domestici dei, gentes. 299
Domestici fidei. 285
Dominationes. 296
Domus Christi nos sumus. 463
Domus Dei. 399.462.507
Domus terrestris. 208
Dona & uocatio. 90
Dona, cur spiritualia dicantur. 172
Dona spiritus sancti. 162

Universidad de Deusto
Biblioteca

Donec,particula. 161
Donec & quoadusq; particulæ. 451
Donorum distributio. 162
Donum Dei. 299
Donum Dei duplex. 293
Donum & gratia Dei. 38
Donum & hostia differunt. 492
Dormientes. 374
Dormire,qui dicantur. 377
Dormire,requiescere. 161
Dorsum incuruare. 95

E

EBrietas. 281.377
Ecclesia.364. eadem ut domo priuata non est utendum. 157
Ecclesia,quid? 161
Ecclesia columna & firmamentum ueritatis. 401
Ecclesia de carne Christi. 317
Ecclesia Dei non contentiosa. 153
Ecclesia in Deo. 365
Ecclesiæ autoritas. 346.384
Ecclesiæ caput, & corpus Christus. 296
Ecclesiæ fundamentum Christus. 124
Edom. 74
Effundere. 34
Elati. 422
Electio. 293.298
Electio duplex. 67
Electorum passiones,Christi esse. 195
Eleemosynæ uis. 226
Elementa. 266.472.477
Elementa mundi.265.quæ? 353
Elenchus fidei. 478
Eloquentiam non damnandam,in usu scripturarum. 357
Per Eloquia quid intelligendum in sacris. 20
Eloquia Dei. 20
Emere & redimere. 265
Emortuus. 32
Energiæ uox,quid significet. 49
Enos,quid signat? 455
Epaphras. 441
Epaphroditus uir. 331
Ephesios hortatur Paulus, ut quales fuerint ante uocationem, meminerint. 301
Ephesus. 297
Epimenides. 428
Episcopi functio. 328
Episcopi partes. 430. 491. Munus. 460. opus. 369.399
Episcopi in quo superiores præsbyteris. 400
Episcopi propter opus in honore habendi. 406
Episcopos plures non fuisse unius ciuitatis. 328
Episcopus qualis. 398
Episcopus unius uxoris uir. 399
Erastus. 427
Error. 370
Erroris uirtus. 423
Erubescentia. 47
Esca.134.143.spiritalis. 149
Et,particula. 352
Euangelij confirmatio. 328
Euangelij cognitio,à Deo. 205
Euangelij defensio. 328
Euangelij definitio. 2
Euangelij præconibus uictum deberi. 144
ueritas Euangelij,quando dicitur? 254
Euangelium,quid? 1
Euangelium Pauli. 112
Euangelium unum est, non diuersa. 244
Euãgelium cum afflictionibus susceptum. 365
Euangelium quare dicitur uerbum ueritatis? 347
Euangelium quare quibusdam incognitum? 205
Euangelium accipere & discere, non idem. 243
de Euangelio uiuere. 147

Euangelizat gratis Paulus, ne oneri sit Christianis. 146
Eubulus. 427
Ex Eucharistiæ indigna sumptione multa incommoda. 167
Eucharistia infantibus non datur. 158
Eucharistiæ sacrificium, usq; in diem iudicij. 167
Eunica mater Timothei. 416
Euodia & Syntiche. 344
Excommunicandi potestas. 131
Excommunicandi,qui? 131
Excommunicatio. 132
Excommunicatio in quos ferenda? 387
de Excommunicato Corinthio,& resipiscente. 199
Excommunicato, non solùm pœnitentia, sed & absolutio necessaria. 199
Exercitatio corporalis. 404
Exhortatio ad Christum accedendi. 468
Exhortatio ad opera. 213
Expectatio creaturæ, exponitur, ex Augustino. 62
Expiationis sacrificium. 505
Expugnare,quid Paulo. 246
Exterminator. 149
Extollere. 230

F

FAbulæ. 402
Fabulæ aniles. 405
In eos qui ad fabulas conuertuntur. 423
Secundum Faciem,quid? 228
Facie ad faciem uidere. 171
Factores legis iustificari,quomodo? 19
Facultas sacra Parisiensis. 177
Fascinare,quid in scripturis? 255.264
Fermentum. 132
Fermentum duplex. 284
Fermentum abijciendum. 130
de Festis & ceremonijs Iudaicis. 354
ex Fide iustitia,non ex lege. 276
in Fide sanitas. 433
Fide roborari. 30
Fide destituti, sola Christi hostia expiantur. 477
Fidei uiuæ functio. 6
Fidei gradus. 514
Iustitia Fidei. 28
Iustitia Fidei propè est. 82
Fidei Lex. 24.26
Fidei symbolum. 82
uerbum Fidei. 82
testes Fidei Paulinæ,Iudæi. 72
Exhortatio ad fidem, ne, ut Iudæi,pereamus. 462
Fides. 27.112.169.208.238.299.438.511. 523
Fides,unde? 84
Fides communis. 429
Fides,& Fidei mensura. 96
Fides,seu Iustitia Dei, per fidem,qualiter Thomæ censeatur. 23
Fides Dei pro quo dicatur. 20
Fides signorum mater. 163
Fides in sanguine Iesu. 24
Fides in uerbum Dei. 467
Fides, Pax, Gratia, se consequuntur. 33
Fides speculo & ænigmati confertur. 171
Fides,rerum quæ sperantur. 513
Affligebantur fideles. 369
Fidelis in Christo,quis? 292
Fiducia Christianorum. 367
Figulus. 75
Figura. 431
Filij Abrahæ & promissionis,qui? 73. 257
Filij Dei magnitudo. 446
Ingressus Filij Dei in mundum. 506
Filij Dei,in acquisitionem animæ. 513
Filij Dei, per fidem in Christum designati. 263
Filij Dei,qui? 517
Filij diffidentiæ. 300.315
Filij iræ. 300.303
Filioli Pauli,Galatæ. 269
Deus nos filios suos sibi confirmes faciet,

ciet,quando? 67
Filius Dei æternus. 445
Filius Dei,omnium Dominus. 445
Filius hominis. 421
Flagellantium se,Secta. 357
Flagris cædi,seruile apud Romanos erat. 461
Fœdifragi,qui? 422
Fœminæ prophetissæ. 154
Foris,qui dicantur esse. 131
Foris sunt infideles. 363
Fornicarius excommunicatur. 129
Fornicatio. 523
Fornicatio & adulterium,non idem. 373
Frater in scripturis, id est Christianus. 137
Christus,fratres appellat,quos? 452
Falsi fratres. 234
Fraudem pati. 133
Fraus. 135
Christianæ uitæ fructus. 214
Fructus spiritus. 279.281
Fructus, in carne non dicitur, sed opus, quare? 280
Frugalitas. 96
Fundamentum ecclesiæ. 124
Furor triplex,ex Platone. 210

G

GAlatæ abducti à fide per pseudapostolos. 242
Galatæ insensati. 255
Galatia. 246
Galatia,Hebræis quid? 243
Genealogia,quid? 394.437.491
Germanus. 342
Non gens,quid? 84
Gens insipiens. 84
Gentes susceptæ in populum Dei, Iudæis reiectis,& quare? 78.87
Gentes non glorientur aduersus Iudæos, sed timeant. 88
Gentium plenitudo. 94
Gentium uocatio. 76
Gladius Dei. 471
Gladius flammeus reuelabitur. 381
Gloria in sacris,quid? 19.456
Gloria inanis. 279
Gloria Dei,quid? 24.26
Gloria diuina,unde? 294
Gloria patris. 43
Pauli & Corinthiorum gloria. 196
Dare Gloriam Deo,quid? 32
Gloriæ splendor,filius. 446
Deus non est gloriæ cupidus. 294
Gloriandum in Deo. 229
Gloriari in Deo. 35
Gloriatio nostra,quid? 33
Gloriatur Paulus in afflictionibus, propter Christum. 288
Glorificare uerbum,quid. 388
Gomor. 223
Gratia in scripturis,quid? 3.241.293
Gratia duplex. 294
Gratia Dei. 520
Gratia Dei,salus. 299
Gratia ad uitam æternam. 38
Gratia,& opera. 86
Gratia,peccati remissio. 526
Gratia in Paulo, id est munus apostolicum. 96
Gratia per Christum. 115
Gratiæ Dei est,pati uincula. 328
Gratiæ & pacis uocabula,quid sonent. 4
Gratiam Dei in uacuum recipere. 213
Deus uoluit omnibus gratiam prædicari, quare? 294
Gratiarum actio. 295.305
Mos gratiarum actionis Pauli. 391.328
Gratifico.Gratificor.& Grator. 298
Grauare,quid? 387

H

HAbeo,pro possum. 222.225
Habitare,quid Paulo? 56
Hæredes,Cohæredes. 60
Hæres. 443
Hæres paruulus. 265

Hæreses,quid? 156
Hæresis. 161
Hæresis ut cancer. 420
Hæreticus reijciendus,quando? 435
Hebræi,unde dicti? 451
Hermes. 112
Heua. 230
Ciuitas Dei,Hierusalem. 518
Hodie,signat æternitatem. 447
Hodie,signat tempus salutis. 448
Holocausta. 511
Hominis distinctiones,non persona,sed fide & merito fieri. 263
Hominis partes tres. 378
Spiritualis hominis eruditio & doctrina, in quo? 343
Homo iuxta naturam dicitur Adam. 455
Primus & secundus homo. 185
Homo,per se non iurat,quare? 481
Homo,caro. 123
Homo peccati. 383.385
Homo mendax. 22
Internus & Externus homo. 54.207
uetus & nouus Homo. 42. 44. 56
Honor,subsidium corporis. 357
Honor,pro uictu. 407
Honorandi,uocabulum. 406
Hospitalitas commendatur. 98.523
Hospites testamentorum. 301
Hostia Deo placens. 95
Hostia laudis,fructus labiorum. 523
Humanum,Paulo quid? 152
Humilitas,uitium. 357
Hyle,Manichæorum Deus. 206

I

IAcobus frater Domini. 246
Idiota,uocabulum. 179
Idolæum. 143
Idolis immolata. 141
Idololatræ. 148
Idololatræ uitandi. 216
Idololatria uitanda. 150
Idolothytum. 141. 143
Idolum. 143
Ignis,quid signet. 125
Illyris. 110
Imago Dei,filius IESVS. 348
fieri Imago Dei. 67
Imitatores. 128
Imitatores Dei. 314
Immaculatus,& sanctus non idem. 298
Immobilitas apud deum. 481
Immunditia,doctrina malefica. 368
Immunditia duplex. 217
Immutatio,in sacris. 187
Imperiorum successio. 384
Impij in peius semper proficiunt. 370
Impietas,quid. 434
Impingere. 79
Impœnitentia finalis non expiatur. 508
Importunus. 388
Inchoatio,quid in sacris? 483
Incontinentes. 422
Increduli omnes. 90
Indeclinabilis,quis? 511
Indignatio. 19
Indumenta Christianorum,benignitas,humilitas,modestia.& c. 359
Deum Indurare corda,quomodo. 79
Infensus, quid Latinis, Græcis & Hebræis? 466
Infernus. 300
Infirmus. 42.103
ab Infidelibus recedit prophetia. 176
Infidelitas. 467
Infirmi ferendi. 107
Infirmitas. 239. 489
Infirmitatis tempus. 35
De Infirmis in cibis & ratione dierum. 102
Inimicitiæ in carne Christi,quid? 302
Initiare. 511
Initium substantiæ,fides. 466
de Innuptis & uiduis. 136
Instantia quotidiana Pauli,quid? 234
Instaurare. 101.298
Instaurari. 102
Inuocare Deum, & Christum. 115

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inquirere Deum. 514
Inquisitor. 120
Insertus es. 94
Plena intellectus certitudo, quid. 352
Interpretatio, quid? 173
Inuenire, pro mereri. 27
Iterum Introducit, quid sit. 448
Intercessio. 70
Inuidia, unde? 333.413
Ira reprimenda. 313
Ira uentura. 367
Ira Dei. 7.8
Iracundus, quis? 431
Thesaurizare sibi iram. 12
Iram operari. 29.30
Ismaël repromissionis filius non dicitur, sed Isaac, quare? 272
Israël Dei. 289
Israëlitæ. 72.73
Israëlitæ nomen unde? 80
Iudæ Galilæi dogma. 435
Iudæi unde dicti. 17
Iudæi obcæcati. 203
Iudæi, Pauli persequutores. 369
Iudæos Gentibus non præpollere. 19
Iudæorum scandalum. 278
Iudæis reiectis, gentes assumptæ. 84, 87
Iudæorum æmulatio, seu zelotypia, aut inuidia & dolor. 84
Iudæorum plenitudo. 87. 88
Optat Paulus Iudæos saluari. 71
Iudæos iuxta ac gentes peccato obnoxios. 21
Iudæos & gentes coalescere per Christum. 302
Paulus Iudæos, aliàs cognatos & fratres, aliàs carnem suam appellat. 88
Iudicabimus angelos, id est dæmones. 133.
Iudicare. 126
Iudicari à Domino. 160
Iudicia minima, quæ? 133
De Iudicijs forensibus. 133
Iudicium uarie sumitur. 212
Iudicium ad quod omnes resurgent. 375
Iudicium particulare. 125
Iudicium temerarium fugiendum. 127
Iudicium sibi manducare 159
Iugum seruitutis, lex. 284
Deus, Iuramento salutem promisit, ut certi simus. 477
Iuramentum. 478
Iuramentum Dei. 489. diuinum. 482
Iurant homines, quomodo. 482
Iusiurandum, quid? 481
Iustificamus, qualiter? 21
Iustificare, quid in scripturis? 47
Iustificatio. 21. 67
Iustificatio quotupliciter accipiatur. 12
de Iustificatione nostra. 251
ad Iustificationem nostram tria concurrentia. 24
Iustificationes, culturæ, quid? 496
Iustificationes Dei. 48
Iustitia Dei, quid. 21. 81
Iustitia Christi. 38. 490
Iustitia, Christi opus. 277
Iustitia duplex, legis, & fidei. 81
Iustitia fidei. 28. 82. ex fide. 255
Iustitia in lege. 490
Iustitia propria, quæ? 81
Iustitia Moysi, Euangelij, id est legis & fidei. 81
Iustitiæ Dei ostensio, quid? 24
Iusto non est posita lex. 391
Iustus. 6.255.505

L

LAbores Pauli, qui? ex Theophylacto. 214
Laborat manibus Paulus. 128
Lac, in scripturis quid designet. 477
Lac, potum dare, quid? 123
Pauli ad Galatas uerba, Lacrymas spirare. 268
Laodicea urbs. 358
Lapis angularis. 303. offensionis. 79

Laquei

Laquei scripturæ, quid? 95
Legati Christi, Apostoli. 210. & episcopi. 167
Legatus Christi. 292
à Lege liberati, seruiunt Deo in spiritu. 48
Esse sine Lege, qualiter intelligendum. 25
Legem alicui uenire, quid? 25
per Legem cognitio peccati. 50
Legi uiuere & mori. 252
Legis ceremoniæ, typus Christi. 355
Legis finis. 81.390
summa Legis, dilectio. 286
Legis uelamen, ablatum. 204
Leui. 483
Leuiticum sacerdotium abrogatum. 483
Leuiticum sacerdotium, sacerdotio Melchisedec inferius. 486
Lex. 22.28.48.259
Lex non sanctificat. 503
Lex iusto non est posita. 391
Lex in custodiam data, ad quid? 260
Lex & ceremoniæ cum non iustificarent quid proderant. 356
Lex Mosaica, cur dicta inutilis? 490
Lex, litera. 204
Lex carnis. 53. Membrorum. 26. seu peccati. 54
Lex fidei. 26. gratiæ. 46
mentis. 26.54
Lex mortis. 57
Lex noua, Lex spiritus. 202
Lex operum. 26
Lex sancta, quare? 51
Lex spiritualis. 52.204
Lex spiritus uitæ. 57
Lex spiritus, & spiritalis differunt. 57
Lex uetus, quantum ab Euangelio differat. 202
Lex uetus, noua seuerior. 461
Liberalitas unde metienda? 221
Liberati à lege seruiunt Deo in spiritu. 48
Libertas. 56.152
creaturæ omnes Libertatem nostram suspirare uidentur. 64
Liberum arbitrium. 45.84.197.336. 396
Libidinem horrendè damnauit Deus. 373
Licent, quæ non expediunt. 134
Lingua loqui. 172. 175
Linguis. 178
intentio sacrificii Lingua loquentis. 176
Linguarum genera. 167
& uarietas. 164
Linguæ donum. 172
Litera. 266
Liturgia. 494
Loamni. 77
Longanimitas. 215
Loqui in aëra. 174
secundum hominem Loqui. 259
Deus per Prophetas loquutus. 443
Lorica. 320.377
Loruchama. 77
Lucas. 222

M

MAcedones, sunt Thessalonicenses. 223
Macedonia. 374
Magistratibus obediendum. 99
Magistratus quare instituti? 394
Magni Apostoli, qui? 231
Mahumetæ, unde? 74
Mahumetes. 383
Maiestas, quid? 447
Maior & Minor uocabula ad quid referantur. 74
Maledicere iustè Deus potest, homo uerò non, quomodo? 99
Maledictio. 264
Ab omni etiam specie Mali abstinendum. 210
Malum, id est, peccandi affectus & pronitas. 54
Malum non cogitare. 170

credit

Universidad de Deusto
Biblioteca

credit se Manducare omnia, quomodo intelligendum. 103
Manibus operandum. 374
Manichæorum error. 206
Manus puræ, quæ? 397
Manuum impositio. 404.414
Maran atha. 61
uirgo Maria, mulier & mater. 266
Massa. 132. Massa, Rami, idem. 89
Matrimonia inter dispares cultu non contrahenda. 140.218
Quid meditandum pijs? 347
Melchisedec. 477.491
Melchisedec, & eius Sacerdotium. 484
Membra in uno corpore uaria. 164
Membra infirmiora, ignobilia, inhonesta, necessariora esse. 164
Membra seruiant Deo. 46
Membra Christi. 133
Mensa in scriptura quid? 94
Mensæ olim communes ex consuetudine in ecclesia. 155
Mensura donationis dari, quid? 309
Merces laboris in euangelio, quæ? 347
Merces pro ultione. 453
Messis duplex. 290
Metaphora corporis naturalis. 164
Minister gentium Paulus. 108
Minister sanctorum, quid? 494
Ministerium, quid? 99
Ministerium suum honorare, quid? 94
Ministerium in ministrando. 94
Ministrationes, quid? 163
Ministri Christi. 123.126
Ministri Dei quales esse debeant. 213
Ministri Euangelici forma. 368
Miracula, sunt cõfirmatio doctrinæ. 452
Misericordia, quid in scripturis. 198
Misericordia, Dei diuitiæ. 300
Misericordia gentes à peccatis liberat. 298
Misericordia in episcopo. 390
Modestia, quid? 342.344
Modestia Philippensium commendatur. 341
Momentum, quid. 379
Mordere, in scripturis quid? 279
Mori. 103
Mori peccato. 43.44.47
Mori & uiuere idem esse Paulo, propter fratres. 329
Moriendum semel. 495
Mors. 46.189
Mors duplex. 188
Mors Christi, uita nostra. 35
Mors per Christum extincta. 459
Mors condemnata. 459
Mors corporalis. 59
Mortem uidere. 189
Mortificanda membra. 358
Mortificatio. 208
Mortificatio Christi. 207
Mortui quomodo resurgent? 185
Moyses. 462. Moyses, Lex. 204
Mulier, sexus nomen. 266
Mulier aperta, quid? 154
Mulier, mortuo marito, libera à iure uiri. 48
Mulieres, quales. 398
Mulieres, Apostolos sequutæ. 145
Mulieres prophetantes. 397
Mulieres sileant. 397
Mulieribus negatur docẽdi facultas, quare? 397
Mulieribus præfectura negatur. 178
Mulieris probæ symbolum. 433
Mulierum ornatus. 395. & qualis esse debeat. 397
Mundum reconciliari Deo. 213
Mundus. 289. quid designet. 322
Munera ligant. 147
Murmurare, malum. 148
Mysteria omnia habentur in Christo. 295
Mysterium, quid? 90.112.190
Mysterium Dei sanctis reuelatum. 350
Mysteria nosse, quid? 169

N

NAscentia secũda Deo placemus. 243
Necessitas instans, quid? 139
Neoph

Neophitus. 400
Nequando, particula dubijs præponitur. 420
Nero, leo dictus. 425
Neronis nomen subticet Paulus. 384
Nisi particula confirmantis. 481
Nicopolis. 437
Nobiles nolunt ignobiliores se agnoscere. 459
Nomen, quid? 13
Nomina diuinitus indita, unde? 4
Nomina patris, & Christi seu filij, & Spiritus sancti, quid denotent. 4
Quomodo facta sunt omnia noua? 211
Noua creatura. 211.289.312
Nouatianorum hæresis. 271
Nouitas Spiritus. 49. Vitæ. 47
Nouus homo. 299.312.359
Nubere. 141
Parentum consensum requiri, cum nuptui puella traditur. 140
Numeri singulari efficacia. 285
Nympha uir fidelis. 363.364

O

OBediendum superioribus. 435
Obedientia, quid? 3.38.111
Oblatio Christi sola pro peccatis. 504
Obsecratione. 395
Obsequium rationabile. 95
Otiosos & inquietos arguit Paulus. 387
Oculus in scripturis, quid? 264
Odor. 201
Odor uitæ & mortis. 200
Offendiculum. 151
Oleaster. 88.94
Oleaster, gentes sunt. 89
Oliua. 88
Oliua naturalis, Iudæi sunt. 89
Olus. 106
Omnia credere, sperare, sustinere &c. 170
Onera fratrum portanda. 285
Onesimum Paulus in carcere baptizauit & Christum docuit. 438.439
Onesimus. 441
Onesimus, id est utilis. 439
Onus multiplex. 290
Opera. 22.27.299.435.438.504
Hortatur Paulus ad opera. 308
Opera, quibus debetur merces. 182
Opera nostra, grata per Christum. 524
Opera carnis. 278.280
Opera, doctrinæ. 528
Opera mortua. 500.503
Operari bonum. 285
Operari iram. 29
Operari manibus. 372
Operarius inconfusibilis. 419
Manuum operatio. 313
Operationes uirtutum. 257
Esse ex Operibus. 86
Opitulationes. 167
Oppositiones. 413
Opus desiderare. 399
Opus fidei. 366
Opus Pauli. 144
Orandum multum, & multum non loquendum. 379
Orans Christus exauditur. 471
Orans pro nobis Christus coram patre. 484
uir Orans. 154
Orans lingua, quid? 174
Orare. 64
Orare docet Paulus. 395
Oratio. 476.524
Oratio sine intermissione. 378
Orationes. 396. Pro quibus faciendæ. 395
Orationes fratrum postulat Paulus. 109. 385
Orationi necessaria. 362.396
Orbis futurus. 455
Ordinandi, probandi primum. 408
Ordines sacri diuersi. 328
Ordinum sacrorũ institutio à Paulo. 430
Oris apertio, quid? 325
Os Domini. 94
Osculum. 191
Ostendere, pro facere. 129.42
Oues occisionis. 69

Universidad de Deusto
Biblioteca

P

PActum Dei. 259
Pædagogus. 262.264
de Pane illo, quare dictum. 160
Panis. 388
Panis uariè usurpatur. 161
Panis benedictionis. 150
Pascha nostrum Christus. 130
Passiones, quid? 14
Patenarum usus in missa unde? 158
Paulum adimplere quæ desunt passionũ Christi, quomodo intelligendum? 510
Commemoratio Passionis Christi. 158
memoria Passionis, in missa. 506
Pastor stultus, idolum. 383
Pater in filio. 211
Dei nomine Pater intelligitur. 315
Paternitas. 306.307
Pati pro Christo, donum Dei. 330
Patientia opus esse. 505
Patientia, probatio, spes, Charitas Dei, per gradationem. 33
Patrem, cum Christo, communem habemus. 346
Patres in Moyse baptizati. 148
Patriarcha. 491
Pauli autoritas. 241
Pauli mors præcognita. 425
Pauli mors, unde? 425
Pauli synceritas, & puritas in prædicando Euangelio. 196.205.367
Paulo uisus Christus. 179
Qui comites Paulo fuerint, primum à sua conuersione in Hierusalem proficiscenti. 247
Omnia Paulo nihili sunt, ab unius Christi cognitione. 337
Paululum, pro aliquantisper. 456
Paulum adimplere ea quæ desunt passionum Christi, quid? 510
Paulum non fuisse oneri ijs quibus prædicauit. 231
Paulus afflictus in Asia. 194
Paulus bestijs expositus. 185
Paulus coram Cæsare. 424
Paulus in carcere & scribebat & prædicabat. 419
Paulus pusillo corpore fuit. 228
Paulus conuersus, statim secesſit in Arabiam, ut euangelizaret. 244.245
Paulus doctus à Deo. 242
Paulus confert suam doctrinam cum Apostolis. 247
Paulus eloquentia non utitur prædicando. 120
Paulus gentium Apostolus & doctor. 247.303
Gloriatur Paulus contra pseudapostolos. 232
Paulus gratis prædicat. 237
Paulus ascendit Hierosolymã, quare. 247
Paulus cum lacrymis scribit. 199
Paulus omnium linguis loquutus. 175
Paulus laborat manibus. 368.385
Paulus Apostolorũ minimũ se facit. 304
Paulus missus à Deo ad prædicãdũ. 240
Paulus petit pro se orari. 194
Paulus omnia prædicauit prædicãda. 230
Purè Euangelium prædicat Paulus. 205
Orat Paulus, ut uideat Thessalon. 371
Paulus uinctus. 308.415. & quare? 418
Paulus, uirgo. 136
Quorum pauperum Paulus curam gerebat. 250
Paupertas altissima. 225
Pax. 13.136.241.293.299.518
Pax nostra Christus. 299
Pax Dei. 341
Peccantes, quomodo corripiendi? 285
Hostiæ legis non expiant peccata. 505
Exaggeratio proprij peccati. 391
Peccati fallacia. 466
Peccati medela, contritio. 220
Peccati propagatio in posteros. 41
Peccati ex infirmitate purgatio. 497
Peccatores omnes. 23
Peccatorum purgatio. 443
Peccatum, in scripturis quid? 52.212.213
Peccatum, Diabolus. 50
Peccatum, pro hostia. 212

Peccatum, quæ nobis afferat incommoda. 434
Peccatum ultum post remissam culpam. 466
damnare Peccatum de peccato. 57
Peccatum à Christo deletum, quale? 55
Pecuniæ uis suspicioni fraudis obnoxia. 224
Pedes Christi, Apostoli. 254
Penula, quid? 425
Per, & Ex, præpositionibus, idem fere exprimit Paulus. 292
Percussor. 400.430
Perditionis filius. 383
Peregrinari à Domino. 209
Peregrinum, uox. 278
Peregrinus. 213
Perfectio uera. 341
Perfectus sensu. 175
Pericula Apostolorũ in prædicãdo Euangelio. 126
Peripsema, quid? 129
Persequutionẽ patientur sequentes Christum. 422
Personarum mutatio per Paulum obseruanda. 55
Petra, Christus. 148.149
Petra scandali. 79
Petrus Iudæorum Apostolus. 247
Philemon. 440
Pharao. 75
Philetus. 421
Philippi, urbs. 331
Philosophia naturalis non reprobatur. 352
uana Philosophia prohibetur. 353
Pietati nostræ aliquid semper adijciendum. 6
Scientia & ueritas Pietatis. 439
Pignus, seu Arrabo. 298
Pignus spiritus. 209
Pignus, spiritus sanctus. 197
Pythagoræ impostura. 390
Placere hominibus. 243
Plagiarius. 395
Plenitudo diuinitatis in Christo. 353
Plenitudo fidei. 507
Pœna incredulis. 380
Pœna indignè sumentium Eucharistiam. 160
Pœnitentia. 220.365
Pœnitentia, & Baptismus. 478
Pœnitentia pro benedictione. 521
Pœnitentia Dei, quid? 482
Pœnitentia, secunda tabula post naufragium. 361
Politica sine legibus non posse consistere. 356
Pontifex. 477
Pontificis officium. 471.491
Postulationes, in scripturis quid? 396
Animalis Potentia. 187
Potentia gloriæ diuinæ. 348
Potestas & Magistratus à Deo sunt. 100
Potestas Pauli ad ædificationem, non ad destructionem Ecclesiæ. 228
Potestates. 296
uis Potestatum peccata nostra. 183
Præcepti diuini uis. 17
Præceptores oderunt mali. 377.407
Præceptorum & discipulorum mutua beneuolentia. 286
Euangelij præconibus uictum deberi. 144. 285.369
Prædestinatio. 66.298
Prædestinatio ex gratia. 294
Prædicandum quocunq; tempore. 424
Prædicatorum peculiaris est afflictio. 371
Præiudicium, quid? 408
Præmium propositum currentibus. 146
Præoccupatus, quid. 285
Præpositorum conuersatio intuenda, & fides imitanda. 523
in Præputio esse, quid? 29
Præputium. 299.303
Presbyter. 405
Presbyteri, episcopi. 407.430
Presbyteri, seu episcopi quales constituendi. 428

Presbyteri quales esse debent? 403
Presbyterorum accusatio non temere audienda. 407
Primitiæ. 64.192
Primitiui fideles. 522
Primogenitus,in sacris quid? 351
Primogenitus Christus. 349
Princeps potestatis aëris. 299
Principatus. 296
Principes,in scripturis,qui? 122
Principes seculi. 121.122
Prisca mulier. 113
Pro,particula,quid enuntiet. 4
Probare seipsum. 160
Probatio. 34
Probatis acquiescendum. 178
Proditores. 422
Profanum. 413
Profanus. 521
Professio Christiana est à spiritu sancto. 162
Promissio,in scripturis,quid? 260
Promissio benedictionis non innititur legi. 262
Promissiones Dei à Paulo manifestatæ. 218
Officium pronominis demonstratiui. 158
Prophetæ. 13
Prophetæ noui testamenti. 167
Vates & Propheta differunt. 162
Prophetare. 178
Prophetia,quid? 96.164.168.178.378
Prophetia,pro testimonio. 392
Prophetiæ uis. 173
Propitiatorij significatio. 470
Propitiatorium,quid? 502
Propositum diuinum. 294
Propter uentrem prædicantes. 111
Proscriptus. 257
Proselyti,qui? 338
Prouentus,quid in scripturis? 150
Prudentia. 215.294
Prurientes auribus. 424
Proximo placendum. 107
Pseudapostoli,quales? 231
Cauendum à Pseudapostolis. 227
Pseudapostolorum mos. 368
Pueri malitia ut simus. 175
Purè Euangelium prædicat Paulus. 205
Purgatio peccatorũ per Christum. 447
Purgatorium. 126

Q

Quæstiunculæ labefactant conscientias. 393
Quæstuarij uerbi Dei. 244
Quoadusq;,quid signet. 451

R

Reconciliatio. 36
Verbum reconciliationis. 211
Rectores mundi & tenebrarum in aëre esse,ac ad malum nos prouocare. 322
Redemptio. 23
Perfecta redemptio,quid? 70
Redemptio corporis. 62
Dies redemptionis. 313
Pretium redemptionis. 242
Regnum Dei. 105
Regula Christianorum. 288
Varij rei cuiusq; assequendæ modi. 65
Reliquiæ secundum electionem,quid? 86
Remissio peccatorum. 23
Quorum remiseritis peccata, quomodo intelligendum? 3
Repromissio,quid? 516
Iosue ueram requiem Iudæis non præstitisse. 467
Requies tres. 465.469
Res uniuersæ duci uidentur pro conditione hominum. 63
Resurgens à peccatis transit ad pristinam gratiam. 257
Resurrectio. 59
Resurrectio duplex. 186.189
Resurrectio nostra,id est iustificatio. 3
Resurrectio fiet uirtute Dei. 3.9
Resurrectio,fidei caput. 180
Resurrectio Christi,cur tam frequenter à Paulo repetatur. 367
Resurrectionis mortuorum ordo. 182
Reticentia,figura. 465

Reuelari de cœlo. 8
Reuelatio,pluris est quàm uisio. 236
Christi Reuelatio. 115
Reuelationes Paulo factæ. 245
Rex Salem,quid? 485
Romani,Paulo qui sint. 13

S

SAbaoth. 80
Sabbathum & Requies Dei. 467
Sacerdotes non sunt negotiatores. 431
Sacerdotij Christi excellentia. 481
Sacerdotij ueteris, & noui collatio & differentia. 492.493
Sacerdotium Leuiticum mortale: Christi uerò immortale. 488
Sacerdotium Leuiticum,sacerdotio Melchisedec inferius. 486
Sacra non omnibus passim communicanda. 123
Sacramenta nouæ legis,uim à morte Christi habent. 506
Sacramenta ecclesiæ, sunt applicationes passionis Christi. 213
Sacramentum,uocabulum quid? 307
Sacramentum Altaris summa cum ueneratione recipiendum. 508
Sacrificia odore grata,quid? 315
Sacrificia Abel & Cain. 514
Sacrificia ueteris Legis. 494
Sacrificia omnia reiiciũtur,præter quàm solius Christi. 503
Sacrificij partes,& officium. 473
Sacrificis uictus debitus. 487
Sacrificus quorũ meminisse debet in Missa. 472
Sacrilegium. 17
Sale,quid designetur in scripturis. 363
Sancti,qui dicantur Paulo. 292
Ciues,non hospites,Sancti. 302
Sancti & mundi per Christum sumus. 349
Sanctimonia,Sanctitas. 293.518.520
Sancta,seu Sanctum sanctorum. 494
Sanctum, seculare seu mundanum, quid? 496
Sanctus. 298
Sanguis. 190
Sanguis testamenti. 508
Sanitas in dilectione. 433. In patientia. 433
Sapientes. 7.13
Sapientes & insipientes,qui sint Ambrosio. 7
Sapientia. 111.163.294
Sapientia & prudentia. 347
Sapientia Dei. 117.119
Sapientia mundi reiicitur. 117
Sapientiam Dei prædicat Paulus. 120
Satan. 369
Scabellum,in scripturis quid? 451
Scandalizari. 234
Scandalum duplex. 278
Scandalum in cibis. 143
Scandalum Pharisæorum. 51
Scandalum passiuum, seu Pharisæorum. 79
Schisma. 116
Schismatum origo. 390
Scientia. 141.163.215
Scientia sine uerbo. 116
Scopus,quid? 340
Scortatio fugienda. 132
Scriptura,pro spiritu in illa. 257
Scripturæ,sanctæ,cur? 15
Scripturarum maiestas. 93
Scripturarum usus. 107
Scurrilitas, & stultiloquium differunt. 319
Scytha,& Barbarus,qui sint Paulo. 362
Sectæ duæ olim de fide & operibus. 31
Sectæ inter Corinthios,qui in hominibus, non in Christo gloriabantur. 115
Sectari,quid sit. 172
Sectas insectatur Paulus. 115
Secula,seculorum,quid? 306
Seculare,quid? 435.445
Secularia. 134.434
Secularia desyderia. 434

Seculum. 445
Seculum nequam. 242
Seductores. 431
Seir. 74
Semen,in scripturis quid? 30
Semen duplex. 287
Semen Abrahæ Christus. 259
Seminari. 187
Senectutis morbi. 433
Senes,quales esse debeant. 432
Senior. 406
Sensus. 117
Sensum scripturæ pronuntiatione uariari. 68
Sententia. 117
Pauli modus in Sentẽtia contra flagitiosum pronuntianda. 130
Sermo per angelos dictus. 453
Sermo Dei. 468
Sermo Dei uiuus. 469
Sermo sapientiæ. 163
Sermo uitiosus. 311
Serui. 409.432
Serui Dei. 46.429
Serui iustitiæ. 46
non Seruiendum peccato. 42
Seruitij, id est cultus diuini species multæ. 5
Seruitus unde. 321
Seruitus intolerabilis. 362
Seruus, quot modis dici posit in scripturis. 1
Seruus Paulus. 146
Si,particula. 465
Si,pro quia. 380
Signa præcedentia aduentum Christi. 381
Signa quærere. 118
Signaculum. 29.147
Signum. 29.196
Silas uiri nomen. 241
Sina mons. 273.275
Sobrietas. 96
Sobrietatis uerbum. 416
Sobrius. 400
Somnus,Nox,Dies,Opera. 101
Somnus animæ. 316
Sosthenes. 120
Speculari,unde ductum. 205
duo in Spe esse concluſa. 65
Spes. 64.70.478
una Spes uocationis,quid? 313
Spes beata. 434
Spiritales quid? 187
Spiritu ambulare. 279
Spiritu feruere. 98
præsens Spiritus. 130
Spiritualia. 162
Spiritum sanctum præitorem esse spiritus nostri ad orandum. 65
Spiritus. 38.59.415
Spiritus Christi in nobis. 58
Spiritus Christi,noster auriga. 60
Spiritus Dei,Christi. 59.162
Spiritus Dei,doctor noster. 120
Spiritus Deus. 203
Spiritum donum. 378
Spiritus fessos & afflictos leuat. 65
Spiritus integer. 378
Spiritus mundi. 122
Spiritus promissionis. 295
Spiritum postulare pro nobis, quomodo intelligendum. 60.62
Spiritus sanctificationis. 3
Spiritus sancti templum. 134
Spiritus sanctus. 162.265.353
Spiritus sanctus cognoscit nostros affectus. 66
Spiritus uita. 59
Spirituum discretio. 164
Statuere,id est erigere,stabilire. 104
Stephana. 120
Stephanæ familia. 191
Stigma. 289
Stimulus carnis Paulo datus. 236
Stimulus mortis peccatum. 188
Stulta Deo,Stulta mundo,quæ. 125
Stultiloquium & Scurrilitas differunt. 319
Stultum Dei,quid? 119
Sua non quærere, quomodo intelligendum. 170
Suadere. 246
Subditus. 23.26
Substantia. 226.517
Sufficientia. 411
Superbi & fastuosi. 356
Superbia. 413
Superbus 430
Supplicium capitale. 132

T

Tabernacula duo,quid significarint. 494
Tabernaculum. 503
Tabernaculum Christi,uetere perfectius. 498
Tabernaculum Dei fixum. 492
Tactus morticini immundus. 500
Tanquam,uox quid sonet. 204
Tanquam,& Quasi. 217.333
Templum Dei sumus. 216
Tempora nouissima,qualia futura. 421
Tempora ultima. 402
Temporis plenitudo. 266
Tempus. 101.432
Tempus redimere. 316.319.363
Tentare Deum. 148
Tentatio. 148
Tentator Satan. 372
Terra benedicta,& maledicta. 477
Terræ partes inferiores. 310
Terræ succussio frequens. 522
Tertius uiri nomen. 113
Testamento nihil superordinandum. 259
Testamentum. 495.503
Testamentum,pactum,promissio,idem. 80
uetus Testamentum sanguine dedicatum. 495
Paulum usum non esse malierum testimonio,quare? 181
Thessalonica. 367
Thessalonicenses in tribulationibus. 380
Thessalonicensium commendatio. 367
Throni. 296
Thronus soli Deo competit. 450
Thuribulum. 502
Timotheum commendat Paulus. 190
Timotheus.394.qualis. 335
Timotheus germanus Pauli. 390
Titus. 218.219
Titus gentilis non circũcisus,quare? 247
Traditio qua à Paulo traditi sunt Satanæ.Seu,ritus excommunicationis Pauli quis? 393
Traditio humana. 353
Traducere. 355
Tribuere, id est, continenter ministrare. 257
Tribulatio. 34
Tributum. 100
Trinitas,cuius opera sunt indiuisa, in his quæ ad nos attinent. 165
Triturare. 407
Triumphat nos Deus,quid est? 300
Triumphantium mos. 355
Troas ciuitas. 201.427
Turpitudo. 315
Tutores & actores,Prophetæ dicti. 265
Tychicus. 320

V

Vanitas,quid? 65
Vanitas sensus. 312
Vas. 80
Velamen capitis. 154.161
Velamen Moysi. 203
Velle & perficere dat Deus. 332
Venientes qui dicantur in scripturis. 355
Venter. 134
Verbi Dei efficacia. 366
Verbum ueritatis. 215
Veritas multiplex. 429
Veritatis dilectio. 384
Veritatis osores, quale maneat Iudicium. 382
Veterem hominem deponere. 312
Veteri homini, Veritatem Christi opponi. 312

Veteris hominis membra, & morbi. 313
Vetus homo. 312
Vetus homo exuendus. 526
Vetus Lex, litera scilicet. 202
Vetustas literæ. 49
Victoria Christi, quæ? 309
Vidua, & uerè uidua. 407
Viduæ. 406
Viduitas. 407
Viduis subueniendum. 406
Vincere bono malum. 98
Vini usus, qualis commendetur. 316
Vinctus Christi, quis? 304
Vir mulieri præstat in quo? 397
Vir inter orandum non uelet caput quare? 153
in Virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis occurrere. 310
de Virginibus. 138
Virginitas in uno laborat, in cæteris libera. 139
Virgo casta Christi, Corinthij dicuntur. 230
Virtus, id est potentia & uis, aliàs afflatus diuinus. 3. & 215
Virtutes in scriptura, quid? 70.163. 167.296 pec
Viscera, in scripturis quid? 329
Vita. 59
Vita æterna. 38.46
Vita æterna promissa ante mundi constitutionem. 428
Vita per Christum. 414
Vita Dei. 312
Vita ex [illegible]uis. 94
Vitæ Chri[illegible]næ pictura. 213
Non secundum carnem uiuendum. 60
Viuens mortuus. 407
Viuere. 48.203
Viuere Deo. 44.48
Viuificatio. 188
Mortuus pro omnibus Christus, ut ei iam non sibi ipsi uiuant, qui uiuunt. 209
Vltio diuina quid inferat, & qualis. 15
Vmbra, & Imago. 505
Vmbra in scripturis quid? 511
Vnctio nostra. 196
Vnitatem Spiritus, maximè commendari à Paulo, & quid sit expon.tur. 308
Vocabitur, pro erit, & ueniet. 80
Quales uocarit Christus. 117
Vocati secundum propositum. 66
Vocati sorte. 295
Vocatio. 67.90.136.467
Vocatio, & Fides à Deo. 115
Vocatio operibus confirmata. 381
Vocatus nomen substantiuum. 1.115
Voluntas carnis & desideria, quid. 300
Voluntas Dei. 372
Voluntas Dei duplex. 396
Vox Archangeli in Iudicio quid? 375
Vri, quid in scripturis. 137.141
naturalis Vsus quid? 11
Vt, particula. 11.21.161.206
Vultus in sacris quid? 205
Vxor uiro subiecta sit. 317
Vxore uiuente etiam adultera, non plenè dissolui matrimonium, facto diuortio. 137

Z

ZElus, in scripturis. 275
Zelus stultus. ibidem
Pauli Zelus, erga Ecclesias, quantus. 371
Zenas. 473

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca